

TITI MACCI PLAVTI

COMOEDIAE TRES

CAPTIVI. MILES GLORIOSVS. TRINVMMVS.

IN TIRONVM GRATIAM ET VSVM SCHOLARVM

EDIDIT

FRIDERICVS LINDEMANNVS.

EDITIO ALTERA MVLTVM AVCTA ET EMENDATA.

ACCESSIT LIBELLVS DE PROSODIA PLAVTI EMENDATVS.

LIPSIAE,

SVMPTIBVS I. C. HINRICHSII.

CIↃIↃCCCXLIV.

PRAEFATIO
EDITIONIS REPETITAE.

Postquam anno huius saeculi tertio et vigesimo has, quae nunc repetitae prodeunt, Plauti fabulas edidi; tot ac tam praeclara ingenia in huius poetae comoediis emendandis operam posuerunt, ut hanc editionem secundis curis repetere mihi fuisset optabile, etiam si veteris editionis exemplaria non essent divendita. Quod quum iam dudum usu evenisset, rogassetque iam ante quadriennium bibliopola honestissimus, ut novam editionem curarem; nolebam ego repeti priorem, nisi partes eius omnes ac singulas ad examen revocassem. Quare factum est occupationibus meis ac negotiis ceteris, ut sero tandem ac tarde precibus illius respondere possem. Verum intra ipsum hoc quadriennium tam larga denuo prodiit curarum in Plauto positarum messis, ut multae plagulae novae editionis, prius excusae, essent repetendae, si respicere vellem suo loco omnia a viris doctis disputata. Vnde nata sunt additamenta et quaedam retractationes, quas partim in libello de prosodia denuo excudendo, partim in Addendis et Emendandis recensui.

positione longae, quae accentum non recipiunt, maxime in thesi metrica, ancipites redduntur, ita ut in versibus iambicis, trochaicis, creticis et bacchiacis longa syllaba indifferenter pro brevi, hoc est, spondeus pro iambo et trochaeo, molossus pro cretico et bacchio ponatur. Veluti Terent. Andr. prol. 25.

Vt pérnoscátis écquid spei sit rélicuom;

in quo v. unica est syllaba natura brevis cum sequenti longa purum iambum efficiens; Plaut. Mil. I, 1, 57.

Virtúte et fórma et fáctis invictissumis;

ubi ultimus tantum iambus purus est; Plaut. Captiv. Cat. 1.

Spéctatóres ád pudicos móres facta haec fábulast;

ubi praeter penultimam una tantum brevis est; Terent. Ad. II, 1, 31. Bentl.

Egon débacchátus sum aútem, an tu ín me? mítte ista átque ad rém redi;

in quibus praeter duplicem anacrusim et penultimam nulla est brevis syllaba; Plaut. Capt. II, 1, 18. ibid. 21. 46.

'Vnum exoráre vos;
Nós concedámus huc;
Fiunt; nunc út mihi;

Plaut. Epidic. III, 1, init.

'Exspectando éxedor;

Idem Cist. IV, 2, 26.

'Oculis tuis ínvestigáns, astute aúgura;

in quibus omnibus aut molossi pro creticis, aut, quod eodem redit, syllabae longae ancipites sunt; Plaut. Most. I, 2, 16. 18. 2.

Auscúltate, argúmenta dúm dico ad hánc rem;
Aedés quom extempló sunt parátae expolítae;
Argúmentaque in pectus múlta institivi;

Idem Bacch. V, 2, 6, 7, 15.

At pól nident, haút sordidae ámbae vidéntur;
Attónsae quidem ámbae;
Cogúntur quidem íntro.

Syllabae breves natura, quae accentum non recipiunt, non producuntur, nisi sub finem vocabuli nonnunquam, ubi ultima in arsi ponitur et sub ictum cadit, de quo genere paullo post

videbimus. In his vero brevibus, quae accentum habent, eo artificio utuntur poetae, ut eas sub ictum sive in arsi collocare studeant; qua re efficitur, ut excepto fine versuum iambicorum et exceptis interdum disyllabis priorem corripientibus, semper pronunciatio verborum vulgaris cum mensione versuum concordet. Veluti cf. Ennium Fragm. ed. Hess. p. 234.

Ex ópibus summis ópis egens, Hectór, tuae.

Terent. Ad. V, 4, 24.

Blánde dicere aút benigne fácere, quando huc próvocat.

Plaut. Aul. I, 1, 3. 4.

Nam cúr me miseram vérberás? Vt misera sis,
Atque út te dígnam, mála, malam aétatem éxigas.

Mutatur autem accentus aut certe obscuratur, quando ultima syllaba liquescit sive eliditur; tum enim accentus plerumque, nec tamen semper, in proxime antecedentem syllabam retrahitur; veluti Plaut. Asin. II, 2, 18. *aétatem ambo*; Captiv. II, 2, 13. *sécede huc*; ibid. 49. *meám nobilitatem óccultare*; ibid. 105. *ómnia' óptata afferant*; ibid. III, 1, 96. *sérvate istum.* Haud raro tamen etiam contrarium invenitur, ut diximus; veluti Plaut. Captiv. III, 4, 12. *sérvitútem sérvivisti in Alide*; et saepissime alibi; Terent. Heaut. I, 1, 67. *Ambo áccusándi*; *etsi illud inceptúm tamen.* — In fine versuum iambicorum, aliorumque, qui in clausulam finiunt iambicam, anceps syllaba penultima respuitur, quare in disyllabis et quadrisyllabis saepe mutatus accentus deprehenditur, saltem vocabuli accentus cum ictu metri non consentit. Veluti: *dícitó meó patri*; *operám dabám*; *tantispér voló*; *parvi preti*; *nón dici potést.* Ceterum mutatio accentus videtur tantum esse, non revera est, ubi syllaba accentu notata in thesi pedum eorum latet, qui in sedibus iamborum imparibus, trochaeorum paribus spondeos aut anapaestos efficiunt, veluti Plaut. Asin. I, 1, 6. *Vt tibi superstes úxor aetatém siet.* Ibid. v. 20. *Vbi vivos homines mórtui incursánt boves.* Ibid. I, 3, 35. *Pérdidici istaec ésse vera dámno cum magnó meo.* Ibid. I, 3, 80. *Nón omnino iám perii*; *est relicuom quo pereám magis.* Mil. II, 2, 19. *Própter amórem suum ómnis crúcibus cóntubérna'is dari.* — Haec in universum de accentu eiusque momento in vetere prosodia praecepta sunto.

Sequuntur iam leges singulae, quibus utuntur poetae, qui veterem prosodiam habent, in versibus factitandis.

De ultimis syllabis.

Vltimae syllabae si sunt breves, produci in versu non possunt, nisi in versibus asynartetis, quando sub ictum cadunt. Sed rectius dicas, metrum ibi indifferentem syllabam admittere. Aliquoties tamen etiam brevis ultima ponitur pro longa, ubi metrum indifferentem syllabam non admittit, quod plerumque accidit in syllabis finalibus verborum, in omnibus vocabulis, quae littera *r* terminantur, haud raro quoque in iis, quae in litteram *m* et in breves vocales desinunt, si syllabae ultimae in arsi collocantur. Sic saepe apud Scenicos, saepissime tamen apud Plautum, *feceris*, *faxis*, ultimam producunt; sic syllabae verborum finales *at*, *et*, *it* longam syllabam repraesentant, quemadmodum saepe etiam apud Augusteae aetatis poetas, quando in arsi ponuntur, velut Horat. Sat. I, 9, 21. *subiit onus*; sic forma vetus infinitivorum *dicier*, *loquier*, *monerier*, ultimam nusquam corripit; sic *machinór* Plaut. Captiv. III, 3, 15. *eminór* Idem, ibid. IV, 2, 11. *experiór* Mil. III, 1, 39. *móriuntúr* Trin. II, 4, 139; sic *dicité* Plaut. Captiv. III, 5, 79. *ultimús. accédito.* Idem ibid. prol. 11. *promeré* Mil. III, 2, 36. *Saureám uxor tua* Asin. I, 1, 72. *optumá* Mil. I, 1, 49. *liberá* Epid. III, 4, 62. *malediceré* Terent. Andr. prol. 23. De quo omni genere cf. Kampmann. Annotatt. ad Plauti Rud. ab init. Quare non dubium est, recte se habere vulgatam lectionem Mil. IV, 6, 29. *desiderét, exspectet,* ubi male correctum: *desideret, expetessat.* Neque hoc solum in iambicis et trochaicis versibus invenitur, verum etiam in creticis et bacchiacis, velut Captiv. IV, 2, 2. *auctiór est;* Trin. II, 1, 4. *exercitór*; *familiá* Trin. II, 1, 28. *fugát ipse* Trin. II, 1, 38. — Hic non sunt praetereunda vocabula disyllaba, quae penultima brevi ultimam producunt, quaeque apud Scenicos pyrrhichium plerumque efficiunt, non nunquam vero monosyllaba sunt, haud raro tamen etiam, ut vulgo, iambum praebent. Huc pertinent *domi*, *dari*, *dedi*, *brevi* Mil. IV, 2, 3.; *heri* gen. Mil. II, 4, 9.; *meri* Mil. IV, 2, 86.; imperativi *roga*, *ama*, *habe*, *iube*,

tace, *mane*, Curcul. I, 3, 3. Cas. II, 6, 32. *cave*, *vide*, *abi*, *adi*, *redi*, ex quibus quaedam etiam apud poetas Augusteae aetatis correpta ultima inveniuntur, ut *vale*, *cave*, *vide*, *iube*. Quare *videlicet* pro proceleusmatico est Mil. IV, 6, 68 et alibi. Contra *uti* coniunctio ultimam nunquam corripere videtur, quare Plaut. Captiv. II, 1, 58. scribendum erit: *'Atque ut, quí fueris* cet. Vtrum *iubes* pro pyrrhichio sit, merito in dubium vocatur, quare fortasse Mil. IV, 8, 4. legendum est: *Quid vis? Quin 'tu intús iube ecferri ómnia, isti quaé dedi.* Nunquam ultimam producit *ego*, nisi ubi omnis alia brevis pro longa ponitur.

Polysyllaborum ultimae, sive natura sive positione longae sunt, plerumque producuntur, raro corripiuntur, idque maxime in lyricis. Sic *gaudiis* pro dactylo est in numero anapaestico Trin. V, 1, 2. 5; *maxime* pro dactylo in anapaesticis Mil. IV, 2, 34; *impera* dactylus item in anapaesticis Mil. IV, 2, 41. Sed *gaudiis* etiam in trochaico numero pro dactylo est, nisi forte locus vitium traxit, Captiv. IV, 2, 60.

Pól moerores mi ántevortunt gaúdiis. Nón ita ést, scies;

quare fortasse legendum:

Pól moerores mi ántevortunt gaúdiis. Non ita, scies:

aut, si videtur, *Non est, scies*, aut *Ah, non itast*, om. *scies*. Syllabae *us* et *is* finales breves sequente consonante plerumque brevem efficiunt syllabam; et ubi eaedem syllabae cum formis verbi substantivi *es* et *est* coniunguntur, plerumque unam constituunt ancipitem, ut *opust* pro *opus est; similist*, pro *similis est*; *versatu's* pro *versatus es*; *facili's* pro *facilis es*. Idem accidit in syllabis finalibus longis *es*, *as*, *os*, ut *veritast* pro *veritas est*; *diest*, pro *dies est; labost* pro *labos est*. Idem porro in syllabis finalibus in *m* desinentibus locum habet, ut *otiumst*, *arduomst*. Quo in genere adhuc dubitatur, utrum *opu'st*, *facili's*, *versatu's*, *otium'st* cet. scribatur, an *opust*, *facilis's*, *versatus's*, *otiumst*. Mihi tutissimum videtur, sine omni coronide scribere *opust*, *versatuss*, *otiumst*, ita ut in secunda persona *es* significanda duplex *s* scribatur, veluti Mil. III, 2, 13.

Eho, tú, sceleste, qui illi suppromúss, eho.

Nam si *suppromu's* scripseris, cur ultima producatur, non in-

telligitur; et si *suppromuss*, alio signo non est opus. Similis locus est Epid. II, 2, 101.

'Et placet. Tum tu ígitur culide quídquid acturúss age.

Monosyllabae voces, si sunt natura longae, h. e. longa vocali utuntur, variam habent observationem. Primum collocari possunt in thesi iambicorum, trochaicorum, creticorum et bacchiacorum, ubi alias brevis requiritur syllaba, veluti Poen. III, 3, 14.

Viám qui néscit, quá devéniat ád mare;

sed in huiusmodi locis omnis generis longa syllaba, si accentu careat, pro brevi poni solet. Tum in clausulis iambicorum, ubi purus iambus requiritur, nunquam brevem syllabam repraesentare monosyllaba longa possunt, quare nunquam versum finire possunt iambicum tales formulae, velut *ín te sum*, *tú qui mi*, *húnc quae sit*, *ín re quam;* sed ne alia quidem in his clausulis longa syllaba admittitur, quare videndum, utrum *factúrus sim* ferri possit, quod nunc legitur Mil. IV, 4, 47.

Quíd ubi ero exornátus? Quin tu dícis, quid factúrus sim,

pro quo facile legi possit:

Quíd ubi ero éxornátus? Quín tu dic, quid fácturús siem

Videntur tamen in his familiaris sermonis formulis, quae frequenti in usu erant, aliquid sibi indulsisse poetae scenici, qui sermonem quotidianum imitantur. Sic *rupturus sum* Captiv. prol. 14. Sic *nullus sum* Merc. I, 2, 104. Contra Stich. IV, 2, 43. *eamus tu* sine dubio mendosum. Sed Rud. I, 2, 15. legendum:

Patér, salveto; ámboque adeo. sálvos sis,

admisso hiatu; et Bacch. II, 2, 15. cum vulgata legendum:

Si non inventast, minus valet, moribundus est,

non *moribundusque est.* Praeterea notandum, voculam *sit* nonnunquam pro longa esse, veluti Milit. II, 2, 89. ibid. IV, 4, 49. V, 4.

Denique polysyllaborum ultimae breves ita nonnunquam sub ictu collocari solent, ut cum sequentis vocabuli brevi initiali unam longam efficiant, veluti Capt. I, 1, 36.

Nullá iuventutis spés est, sese omnés amant.

Atque ita *tuté tibi* Captiv. II, 3, 11. *ipsé sibi* Captiv. III, 1, 1. *comminisceré cedo* Mil. II, 2, 73. *ancillulá tua* Mil.

III, 3, 38. *ceterá rape* Trin. II, 2, 14. *obiceré neque* Mil. III, 1, 25. *essé videatur* Trin. III, 2, 3. *sine doté sine* Trin. III, 1, 4. *usqué modo* Trin. IV, 1, 8. *Illuricá facies* Trin. IV, 2, 10. In versibus autem asynartetis mediis ultimam brevem saepe longam repraesentare, propterea non mirum est, quod ibi admittitur syllaba indifferens, ut Mil. III, 3, 53.

Mihi dés, quiéscas céterá ‖ Ni ludificáta lépide;

et saepe ita alibi.

De syllabis penultimis.

Syllabae penultimae, quod ex superioribus intelligitur, si natura aut positione longae sunt, accentum plerumque recipiunt et producuntur; sin breves, nunquam possunt produci, quamvis accentu iuvante. Saepe vero ictus arsium in breves incidunt penultimas, quod maxime sub initium versuum iambicorum locum habet, quando sequitur ultima aut natura brevis aut pro brevi habita. Sic si quando versus iambicus incipiat a vocabulo *omnia*, acuenda erit penultima sive ictu notanda, ut apud Plaut. Mil. IV, 7, 21.

Omnía composita súnt, quae donavi, út ferat

Trin. I, 2, 16.

Omníbus amicis, quód mihi est, cupio ésse idem.

Rud. II, 6, 29.

Piscíbus in alto, crédo, praebent púbulum.

Longae vero syllabae penultimae eaedemque accentu praeditae, est, ubi corripi videantur, neque tamen revera corripiuntur. Quod hic iterum monemus, supra iam a nobis commemoratum, ne quis tironum putet discedi unquam a lege, ex qua syllabae, quae accentum habent, si longae sunt, ubique in versu producuntur. Accidit illud plerumque in sedibus iambicorum imparibus, trochaicorum paribus, uti diximus, veluti Terent. Andr. prol. init.

Postquam poeta sensit scripturam suam.

Saepe autem penultimae longae in locum brevium succedunt, quando accentus propter elisionem ultimae retrahitur, ut in huiusmodi creticis: *sécede huc, cóncede huc.* Amant poetae scenici in hoc genere si bis ponitur idem vocabulum in hunc modum variare accentum; veluti Terent. Eunuch. prol. 27.

Si id ést peccátum, péccatum ímprudéntiast.

Aulul. II, 7, 7.

Superi íncoenáti súnt et coénati ínferi.

Alia est ratio, ubi longa penultima corripitur posito accentu in antepenultima, quae ratio apud Plautum longe frequentior est, quam apud Terentium. Praeivit in hoc genere Ennius Fragmm. ed. Hessel p. 270.

Palám mutire plébeio piáculumst;

ubi metri ratio longam syllabam non admittit. Plaut. Captiv. II, 2, 8. *praésenti pecúnia.* Ibid. I, 1, 23. *nónnullum perí-culumst.* Ibid. I, 2, 89. *súbducam ratiúnculam.* Rud. I, I, init. *ábduxi negótiis.* Asin. II, 2, 32. *vírgarum lascívia.* Mil. II, 6, 22. *Nisi míhi supplicium vírgarum de té datur,* ubi *virgeum* emendatum est, quod probabilitate non caret, licet non sit necessarium. *prívabó portório* Asin. I, 3, 7. *árgentó concrédidi* Men. V, 1, 2. *árgentó marsúpium* Men. V, 7, 53. *vícinós impértio* Pseud. I, 5, 41. *súmebús primó-ribus* Bacch. IV, 4, 24. *pérturbát penissume* Most. III, 1, 127. pro quo apud Priscianum editur: *pérvortít p.* — Cas. IV, 1, 20. *Novi égo illas ambas éstrices; corbém cibi.* sic ibi legendum. Poen. V, 6, 4. *áddicúr Agorástocli.* Men. I, 5, 51. *réspectús itendidem.* Stich. I, 3, 40. *praéconís com-péndium.* Merc. prol. 10. *Mércatór Macci Titi.* Merc. prol. 6. *húmanás querimónias.* Men. II, 2, 55. *Vólcani violéntiam.* Stich. II, 1, 28. *Decént secundas fórtunás superbiae.* Poen. prol. 27. *ínfantés minútulos.* Poen. prol. 7. *fécistís sapientius.* Rud. IV, 5, 5. *speraví neque crédidi.* Referendus quoque huc est usus, ex quo longa penultima in trochaicorum initiis admittitur, ubi pro puro, qui ex lege requiritur, trochaeo, spondeus ponitur, accentu et metri ictu in prima syllaba, hoc est, vocabuli antepenultima, collocato, velut Captiv. II, 2, 85.

Prívatúm medicí Menárchi;

Ibid. III, 4, 115.

Súbrufús aliquántum críspus;

Mil. III, 1, 102.

Iámpridém quia níl abstúlerit;

Ibid. III, 1, 116.

Ábducúnt ad éxta;

Ibid. IV, 8, 26.

Téntabám, spiraret, an non;

Ibid. IV, 8, 30.

Cónserví, consérvaeque ómnes;

Trin. II, 1, 31.

Cántricés, cistéllatríces;

Trin. III, 2, 97.

Fúlmentás iubeám suppíngi;

Asin. II, 1, 13.

Cónsuadént; certum, hércle, est;

Ibid. II, 2, 11.

Lárgitúr pecúlium, ómnem;

Ibid. II, 2, 84.

'Extempló fació facétum;

Ibid. V, 2, 86. 88.

'Ecastór coenábis hódie;
Dícebám patér tibí, ne.

Sic *vénibunt* bis et *vénibit* semel Men. V, 9, 96 seqq. *Súblectos* Rud. III, 4, 44. *Póstremo* Bacch. III, 6, 41. *'Argentum* Pseud. I, 3, 61. *'Antiquom* Curc. V, 1, 1. *Cóntemplent* Merc. II, 3, 72. *Iúnonem* Amphitr. II, 3, 200. ed. m. *'Incedunt* Curcul. II, 3, 10. *Réspondit* ibid. II, 3, 54. *Tríginta* ibid. II, 3, 65. *Déduco* ibid. II, 3, 82. *Prómistin'* ibid. V, 3, 31. *Póstremo* Cas. II, 6, 24. *Cómpressan'* ibid. II, 6, 53. *Póstremo* Cist. II, 1, 56. *'Argentum* Epid. II, 2, 67. *'Extemplo* Bacch. III, 3, 37. *Quápropter* Most. I, 3, 116. *Tríginta* ibid. I, 3, 142. *Quápropter* Most. III, 2, 140. *'Vxori* Men. II, 3, 67. *Résponsant* Men. IV, 2, 57. *Bárbatum* ibid. V, 2, 101. *Me ábduxit* ibid. V, 9, 81. Sed satis exemplorum esto.

Itaque verba omnis generis, composita pariter atque simplicia, quae penultimam radicalem habent longam et quae eam in flexione producunt, in hunc modum eandem pro correpta admittunt.

Huc etiam pertinent syllabae penultimae tertiae personae pluralis perfectorum in *erunt*, quae apud recentiores quoque haud raro correptae inveniuntur, ut: *tulerunt fastidia menses* Virg. Eclog. IV, 61. *excidĕrunt vigilacis furta Suburae* Propert.

IV, 7, 15. et saepe alibi. Atque ita Terent. Eunuch. prol. 20. *póstquam Aedíles émerunt.* Apud Plaut. Mil. II, 1, 39. recte restituisse videtur *vóluerunt* in fine iambici versus Bothius. Trin. II, 4, 149. *égerunt caste suam.* Captiv. I, 1, 18. *réd-ierunt.* Phaedr. Fabb. IV, 19, 16. *ábierunt.* Plaut. Trin. III, 2, 16. *trádiderunt.* Poen. sc. ult. 5., quae vulgo habetur supposita: *périerunt? domo.* Bacch. IV, 9, 4. *subégerunt.* Similiter *dórmierunt* Poen. prol. 21. *méruerunt* Most. I, 3, 124.

Denique in vocibus disyllabis, quarum sive natura sive positione longae sunt ambae syllabae, aliquoties ictus versuum in ultimam incidit, quod ubi eodem in versu saepius accidit, vitium est, quod emendatione indigere locum indicat. Excipiuntur sedes iambici versus impares, trochaici pares, ubi elegantia numerorum habetur, longam disyllaborum priorem in thesi collocare, veluti Aulul. I, 1, 15. *quíd rerúm geram.* Ibid. I, 2, 17. *Cultrúm secúrim.* Ibid. II, 2, 12. *Quoí ego iám linguám praecídam.* Rariora vero sunt talia Aulul. II, 4, 44. *Cocum égo dicó. quid tu áiis? sic sum ut vides;* qui versus fortasse sic emendandus est: *Cocum équidem díco. quíd tu aiís? sic sum út vides.* Capt. I, 1, 18. *Sumús; quandó res.* Capt. I, 2, 2. *Heri quós emí de praédu dé quaestóribus*, ubi fortasse scribendum: *Herí quos émi dé praeda á quaestóribus.* Ibid. I, 2, 9. *Satis ést; nunquám*, ubi fortasse verbis transpositis legendum: *Satis ést; postílla núnquam póssis préndere.* Captiv. III, 5, 42. *Nec ést quisquám mihi*, ubi fortasse legendum: *Nec est mihi quisquam*, admisso in seqq. hiatu. Mil. II, 6, 3. *núnc intúst in aédibus*, ubi fortasse verba transponenda: *íntust núnc in aédibus.* Mil. II, 6, 73. *Fateór. Quidní fateáre*, quod excusationem habet, si scriptum legas: *Fateór. Quid ní fateáre*, diremptis voculis *quid ni.* Mil. III, 2, 8. *quóm stertás quasi sórbeas.* Mil. IV, 3, 2. *núm nulló pactó potest.*

Disyllaborum vocabulorum quae corripiunt penultimam, non possunt ita collocari, ut ictus in penultimam incidat, nisi ultima pariter est brevis. De quibus apud Terentium hanc legem obtinere vidit Bentleius in schediasmate de metris Terentii p. 18. ut in prima et tertia dipodia iambicorum semper, in secunda fere nunquam statueret vocabulum disylla-

bum, quod corripiens penultinam, ultimam sub ictu collocaret. Igitur rarissimi apud Terentium huiusmodi sunt versus:

Persuásit nox, amór, vinum, adulescentia.
Scelesta ovem lupó commísi; dispudet.

Saepe vero apud Plautum huiusmodi iambici versus reperiuntur: Captiv. IV, 1, 3.

Laudém, lucrúm, ludúm, iocúm, festívitátem, férias.

Ibid. I, 1, 34.

Quod égo quidem nimís quam cupio ut ímpetret.

Ibid. I, 2, 5.

Sinito ámbulare sí forís, si intús volent.

In clausula tamen iambicorum, ubi purus necessario requiritur iambus, apud Scenicos vocabulo disyllabo versum terminari, cuius penultima brevis sit, tam est usitatum, ut exempla in omni pagina reperiri possint permulta. Contra in tertio iambo nonnihil dubitationis interdum relinquitur, velut Captiv. III, 5, 10.

Tuús sum; tu hás quidém vel praécidí iube;

ubi potius legerim:

Tuús sum; tu hás quidem vél mihi praécidí iube.

Cuius similis est versus Captiv. III, 5, 99. quem sic pronunciandum existimo:

Satís sum sémel decéptus, non ita:
Satis súm semel decéptus.

De syllabis antepenultimis.

Antepenultima, sive natura sive positione longa, si penultima est brevis, accentum habet, quapropter in versu necessario producitur atque sub ictum est collocanda. At vero etiam quum ipsa est brevis, plerumque sub ictum cadit et cum sequente brevi penultima pro una habetur longa; quae lex tantam habet vim, ut, quo saepius ea observetur, eo suaviores efficiantur numeri. Igitur optime se habet versus huiusmodi: Plaut. Trin. I, 2, 137.

Quid fúit offícium meúm me fácere, fác sciam.

Rariores sunt versus tales:

Videó nimió iam múlto plús quam vólueram.

Quo longe suavior est ad numerum:

Vixísse nímio sátiust iám quam vívere.

Nunquam autem tales fecit versus Plautus:

Magis quam íd reputó, tam mágis urór, quae méus fílius turbávit;

qui versus sic est pronunciandus:

Mágis quam id réputo, túm magis úror, fíliús quae méus turbávit.

Neque recte se habent numeri hoc in versu:

Omnía me mála conséctantúr, omníbus exítiis ínterii;

sed legendum est:

'Omnia mé mala cónsectantur, ómnibus éxitiís intérii.

Quapropter versus iambicus Captiv. II, 1, 2. sic erit scribendus et pronunciandus:

Decét pati ánimo id aéquo; si íd faciétis lévior lábor erit;

quem versum male sic exhibui in hac editione:

Decet íd pati ánimo aequó; si id fácietís levíór labós erit.

Sed haec omnis observatio de his maxime vocabulis est intelligenda, quae sunt trisyllaba itemque de vocibus, quarum syllaba principalis a fine tertia est. In longioribus vero, quorum quarta a fine vel quia principalis est vel ob aliam causam acuitur, haec ipsa sub ictum collocatur, modo ne antepenultima natura sit longa. Quorum vocabulorum tantus est numerus, ut hic eorum usus constans sit dicendus, rarior vero, et pro exceptione habendus contrarius. Sic igitur plerumque pronunciatum invenimus apud Plautum et Terentium: *árietem, cálamitas, cápitibus, céleriter, cúpiditas, béneficus, málevolus, dócilior, fídicinam, fácilius, fácinoris, fámilia, háriolus, málitiam, hábueris, métuero, múlieris, míseritus, míseria, méminero, mémoria, lápidibus, látibulum, máritumis, óperuit, pélagio, pósuero, pépererat, plácuimus, rélicuom, relíquiae, répudiat, récubuit, réperies, sócietas, símiliter, státuimus, valuerim, vóluero, vítuperant, várietas, tetigerit* et multa id genus alia. Ex quibus intelligitur, nullum non genus vocabulorum, tribus proximis a terminatione syllabis correptis, nam extrema brevis sit an longa, nihil differt, hac ratione prolatum esse, ut quarta a fine, ipsa brevis, acuatur, reliquae omnes degraventur, a qua voculatione nonnunquam tamen disceditur, atque ad usitatum ac-

centum reditur. Veluti Bacch. IV, 8, 2. *retíneat mulierem*, ubi utrumque genus coniunctum legitur. Captiv. III, 4, 92. *repéries*. Ibid. V, 4, 25. 26. *memóriam*. Sed rariora haec sunt. Longe saepius voculatio fluctuat in eiusmodi tetrasyllabis, quarum prima vel positione vel natura longa est, duae sequentes corripiuntur. Itaque toties legas *áccipias* quoties *accípias*, toties *ingénio* atque *íngenio*, *ímperium* atque *impérium*, *flágitium* atque *flagítium*. In hoc tamen genere tenendum, ubicunque puro iambo opus est, veluti in extremo senarii pede, nunquam posse tetrasyllabum eiusmodi vocabulum poni, cuius quarta a fine longa sit, propterea quod omnis anapaestus in fine iambicorum vitiosus est, quare quemadmodum vitiosus est versus Epid. IV, 3, 19.

Pláne hic ille est, quí mihi in Epidauró primus pudícitiam,

qui potius sic scribendus:

Pláne hic ílle est, qui ín Epidáuro prímus pudícitiám mihi;

sic etiam vitium inest in hoc versu Epid. IV, 3, 18.

Certo ea est, quam in Epidauro pauperculam memini comprimere,

qui sic scribendus:

Cérto east, quám meminí comprímere in 'Epidauró paupérculam.

Neque minus pravi sunt numeri Epid. IV, 2, 27.

Mihi íllam ut trámittás argéntum áccipias,

qui versus mutilus est et sic scribendus:

Mi illam út tramíttas; árgentum áccipiás licet.

Sed longiora etiam vocabula, quorum tres a terminatione proximae sunt breves, saepe ad hanc normam se componunt et accentum in quartam a fine recipiunt, ut *multigéneribus* Captiv. I, 2, 56. *aequánimitas* Terent. Adelph. prol. 24. *mendacíloquius* Trin. I, 2, 163. *incúbuerim*, *interpósuero*, *depósuimus*. Ac sponte intelligitur, quum, ut vidimus, ea quoque vocabula, quae quartam a fine vel natura vel positione habeant longam, eam accentu notare possint, ut *pértegito*, *múltiloquus*, *múltibiba*, *confidéntiloquus*, ad eandem quoque normam pronunciata esse talia: *dívitiae*, *súrripuit*, quae tamen quando in fine iambicorum leguntur, synizesim patiuntur, et *dítiae*, *súrpuit* enuncianda sunt. Verum tamen haec

ipsa voculatio argumento est, antiquitus in his vocabulis quartam a fine habuisse accentum, quare apud Horatium: *Quae me surpuerat mihi.* Huc etiam pertinet verbum *pórrigere*, quod *pórgere* pronunciatum aliquoties reperitur apud Plautum, cuius imperativum *porge* pro eo quod est *porrige* legimus Pseud. II, 4, 18. De quo genere synizesis quoniam mentionem fecimus, verbo tangenda erunt huiusmodi vocabula, ut *mánipulus*, pro quo plerumque *múniplus*, *véhiculum*, pro quo fere semper *véhiclum*, dicitur, quo etiam referendum est *populus* cum derivatis, quod saepissime, maxime vero in casibus obliquis contractum reperitur, ut *pŏpli*, *pŏplo*. *Periculum* cum derivatis in contractione non aliter dicitur, nisi *períclum*, propter longam *i* vocalem.

De reliquis syllabis,
ac
de longiorum vocabulorum usu prosodiaco in universum.

In vocabulis plurium syllabarum reliquae syllabae praeter tres a fine plerumque ad communem Augusteae aetatis prosodiam se componunt; nonnunquam tamen ab ea recedunt et, si breves sunt, produci non possunt, si longae, nonnunquam corripiuntur. Eas vero omnes ita in versu ordinare metroque aptare solent poetae, ut accentus quatuor ultimarum non laedatur, hoc est, recte sub ictum cadat. Ab hac tamen regula, ut supra iam indicavimus, excepti sunt versus, ubi syllabae accentum servantes in trochaicorum pares, iambicorum impares sedes incidunt. Nam quum his in locis collocari possint syllabae acutae et saepe collocentur, non posse ictum cum accentu verborum consonare ex eo intelligitur, quod iambicorum arsis in altera spondei syllaba, trochaeorum in priore collocanda est. Itaque quum recte se habeant huiusmodi versus iambici:

Cladés, calúmitas, intempéries ín nostram ádvenit domum;

et versus trochaici tales:

Eí beneficium béne meránti nóstro mérito múneres;

tamen non minorem habet laudem hoc genus:

Neque déprecátió perfídiis meís nec málefăctís fugást;

vel:

Quod cúm salúte eius fíat, íta se défetigarít velím;

vel:

Tíbi comméndo spés opésque meás. mandávistí satis.

vel:

Néque te cómmeruísse cúlpam, néque me advórsatúm tibi.

In quibus vv. vocabula *málefactís*, *défetígarít*, *mandávisti*, *advórsatúm* non possent his ictibus notari, nisi in trochaeorum pares in iambicorum impares sedes inciderent, quo factum est ut veri accentus in thesibus delitescerent.

Haec observatio ad aliam nos ducit quaestionem quae est de prosodiae moderamine atque usu in longioribus vocabulis. Satis enim ambiguum videri potest, qua ratione a poetis scenicis versui accommodanda sint vocabula huiusmodi, veluti *calamitatem*, *cruciabilitatibus*, *adulescentem*, *assimulabitur*, *familiarium*, *investigando*, *dissimulavero*, *indiligenter*, *intelligentia*, *adulescentulo*, *stultiloquium*, *supparasitatur*, *incommoditate*, *praecantatrici*, *interpellatio*, et quae multa sunt alia. Ex quibus *cálamitátem*, *ádulescéntem*, *ássimulábitur*, *fámiliárium*, *dissimulávero*, *ádulescéntulo* non admodum sunt dubia, quanquam *adulèscentém* in anapaesticis numeris dici posse facile intelligitur. Sed vix credas dici et pronunciari *cruciábilitátibus*, veluti Plaut. Cistell. II, 1, 3.; *ínvestígando* Plaut. Mil. II, 2, 107. *indíligénter* Mil. I, 1, 28. *stultiloquiúm* Mil. II, 3, 25. *suppárasitátur* Mil. II, 3, 77. quicum conferas *súpparásitor* Amphitr. III, 4, 10. *intélligéntia* Terent. prol. II, 23. *íncommóditate abstinere* Mil. III, 1, 49. *praécantátricí*, *coniéctrici*, *háriolae* Milit. III, 1, 99. *intérpellátio* Trin. III, 2, 86. Pro quibus omnibus alia pronunciatio requiritur ex pedestri et familiari loquendi consuetudine: *invéstigándo*, *crúciabilitátibus*, *índiligénter*, *stúltilóquium*, *súpparasitátur*, *íntelligéntia*, *íncommoditáte*, *praécantatríci*, *cóniectríci*, *ínterpellátio*. Sed de his hactenus.

Aliam exceptionem admittunt elisiones. Quas quum supra viderimus mutare verborum accentum, id ipsum in longioribus quoque vocabulis accidere non mirum videri potest. Ex quo genere illud est, quod in superioribus vidimus *ínvestígando óperam súmam* Mil. II, 2, 107. Alia sunt huiusmodi:

Forís aliquántillum étiam quód gusto íd beat.
Neque spárcidici ínsunt vérsus ímmemorábiles.
Méam nobílitatem óccultáre et génus et dívitiás meas.
Mácilento óre, naso acuto, corpore albo, oculis nigris.

Referam hoc loco de his vocabulis formisque vocabulorum, quae apud veteres alius prosodiae fuisse intelliguntur, cuius generis sunt primum genitivi *íngeni*, *aúxili*, *cónsili* et quaecunque sunt eiusdem commatis, quae apud Scenicos nunquam *ingénii*, *auxílii*, *consílii* prolata inveniuntur. Cf. quae a nobis notata sunt ad Milit. II, 4, 11. Commemorandi sunt porro genitivi et dativi quintae declinationis formae, ut *díe*, *fácie*, *fide*, pro *diéi*, *faciéi*, *fídei*, quod postremum apud priscos producta etiam penultima invenitur, *fidéi*. Tangendae h. l. sunt quoque penultimae productae in vv. *Hectóris*, *Castóris*, *Hannibális*, *Hamilcáris;* veluti Cic. Tuscul. dispp. I, 44. in versu Ennii:

Vidí, videre quód me passa aegérrume,
Hectórem curru quádriiugo raptárier.

Et eiusdem apud Gellium IV, 7.

Quíque própter Hánnibális cópias consédera nt.

Ad hoc genus pertinent formae verbi *fieri*, *r* consonam habentes, quae apud Scenicos plerumque *i* prima producta leguntur, veluti Mil. III, 2, 43. Notanda quoque est penultima in v. *ibidem*, quae apud Plautum non nisi correpta legitur. Trin. I, 2, 166. Ibid. II, 4, 10. Vocula *es*, secunda persona verbi *esse*, saepe apud Plautum producitur. Aliquoties etiam voces inveniuntur, quarum apud priscos prosodia duplex, ut *liquidus*, quod apud Lucretium in eodem versu quantitatem mutat, ut lib. IV, 1252.

Crassaque conveniunt liquidis et liquida crassis.

Huc referenda sunt vocabula *coturnix* et *Acheruns*, quorum prius nescio an ubique apud veteres primam producat; cf. notata ad Captiv. V, 4, 6. De altero loquitur Herm. ad Eurip. Hecub. init. et uberius *Alfredus Fleckeisen* in Exercitt. Plautinis pag. 34 sqq. His accedit in vocabulis Graecis, nominibus maxime, Graecus accentus. Itaque quum Graeci Φίλιππος pronunciaverint, Latinorum Scenici poetae plerumque in prima syllaba accentum posuerunt, et *Phílippi*, *Phílippo*, *Phílippis*

pro *Philippeis*, *Philippum* adeo pro *Philippeorum*, pro tribrachis acceperunt. Eodem etiam pertinet, quod aliquoties apud Plautum legitur *Aĕtoli*, cuius pronunciationis fortasse caussa est, quod Graeci ultimam huius nominis accuere solebant Αἰτωλοί, unde factum, ut apud Latinos mediae syllabae quantitas obscuraretur.

Quae nunc iam reliqua sunt nobis observata, his complectamur sex capitibus, ut primum de *positione*, tum de *hiatu*, tum de *elisione*, porro de *synizesi* tum de *diaeresi*, denique de *enclisi* dicamus.

De Positione.

Positio quum sit duarum vel plurium consonarum concursus, hanc vim habens, ut syllaba ea ratione orta producatur, apparet, ita pronunciari vocabula nonnunquam posse, ut vis positionis minuatur et syllaba corripiatur. Quod ipsum apud veteres Latinorum poetas, maxime apud scenicos, factum esse non mirum est, quod illi ipsi poetae familiarem loquendi consuetudinem sunt imitati. Itaque factum est, ut primum omnia vocabula, quae in familiari sermone sunt frequentissima, veluti pronomina, adverbia quaedam usitata, vocabula substantiva usu quotidiano multum frequentata, positione neglecta saepe reperiantur. Pertinent huc *ille* et *illic*, *iste* et *istic*, cum adverbiis inde natis, *ipse* cum formis reliquis, *hicce* cum formis reliquis adverbiisque, ut *huc* sequente consona; *eccum*, *eccam*, *eccillum*, *eccillam*, de quibus tamen duabus postremis formis dubitari licet, *intus*, *intra*, *intro*, *interim*, *nempe*, *unde*, *inde*, *ergo*, *quippe*. De *intus*, *intra*, *intro*, *interim*, vocum correptione dubitatum est. Sed velim comparent vv. docti haec exempla:

Trin. IV, 5, 9.

Séd intus nárrabó tibi.

Mil. III, 1, 17.

Quód intus méditati sumus.

Cas. III, 3, 24.

'Ego intus quód factóst opus.

Curcul. IV, 1, 25.

Séd interim forés crepuére.

Mostell. V, 1, 45.

'Ego interim hánc aram óccupábo.

Stich. V, 4, 23.

Séd interím stratége nóster.

Aulul. III, 3, 3.

'Ite sáne núnc ĭam ĭntro ómnes ét coqui ét tibicinae.

Fortasse eodem etiam modo pronunciandum, quod legitur Aulul. II, 8, 23:

Nímirum óccidór nisi égo ĭntro huc própere própero cúrrere.

Stich. IV, 1, 29.

Deós salûtatum átque uxórem módo ĭntro dévortór domum.

De voculis *nempe*, *unde*, *inde* correptim prolatis fuerunt qui dubitarent, non recte dicentes. De voce *nempe* correpta cf. quae notavimus ad Trin. II, 2, 52. adde Brixium in quaestt. de prosodia Plauti et Terentii pag. 19 sq. De vv. *inde* et *unde* adeatur idem Brixius in eodem libello pag. 22. 23. Simili modo *périnde* pro tribracho est Terent. Heaut. I, 2, 21. Pseud. II, 1, 4. Stich. I, 2, 43. Non idem constat de v. *exinde*, quod nusquam penultima correpta legitur, quod equidem sciam. De v. *ergo* correptim pronunciata non dubitatum est, quanquam rara sunt exempla, veluti Mil. IV, 2, 18.

Quíd ergo hanc dúbitas cólloqui.

Quippe duobus locis Plauti correptum reperitur, quare de eius correptione dubitatur. Cf. Brix. libello citato pag. 18. *Autem* quoque pro pyrrhichio esse significavi in notis ad Trin. II, 2, 52. Sed post Brixii curas in hac re investiganda positas non videtur exemplum superesse praeter unum: Stich. II, 1, 59.

Quot pótiónes múlsi; quót autem prándia.

Quo tamen loco Brixius legendum censet: *quot item prandia.* — De prima correpta in v. *omnis* iure dubitari potest. Nam Mil. III, 1, 66. quum vulgo legatur:

Lépidiórem ad omnés res, néc qui amíco amícus sit magis;

praestabit scribere:

Lépidiórem ád res ómnes, néc qui amícus cett.

hiatu in v. *lepidiorem* admisso. Contra Trin. III, 1, 21. multum praestabit pronunciatio:

Quoí tuám quom rém credideris, sine ŏmni cúra dórmias.

Ad vocabula, quae propter frequentem usum quotidiani ser-

monis positione neglecta pronunciari solebant, referenda sunt talia, ut *măgĭstrátus* Amphitr. prol. 74. *fénestra* Mil. II, 4, 26. cf. notata a nobis ad hunc locum; Casin. I, 44.

Quid fácies? Cóncludére in fénestram fírmiter.

Rud. I, 1, 6.

Illústrióres fécĭt fénestrasque índidit.

magister, Epid. IV, 2, 22.

'Epidicŭs mihi mágister fúvit. Périi, claústrum pércŭli.

Sic quoque prolata esse inveniuntur *vóluptas*, *vóluntas*, *vénustas*, *vétustas*. Quae ratio ita est usitata, ut contraria et legitima sit multo rarior, veluti Mil. IV, 4, 26.

Vólo; volúptatém mecástor mi ímperas cet.

Quam usitata fuerit correptio penultimae in v. *voluptas* ostendit locus Mil. III, 1, 46.

Néque dum exárui éx amoénis rébus ĕt voluptáriis.

Retulerim huc quoque v. *libertas*, quod hoc accentu legitur Rud. V, 3, 38. (4, 38. Reiz.)

Sálvos súm leno labáscit; líbertás porténditur.

In hunc eundem venit censum verbum *esse*, quod saepissime pro pyrrhichio est, et *est*, quod saepe corripitur. *Esse* pro pyrrhichio est Milit. IV, 2, 2.

nĕque ĕsse hic étiam dúm sciam;

Trin. II, 2, 61.

Nil morór eum tíbi ĕsse amícum eum eíusmodĭ virtútibus; et saepe numero alibi. Neque solum est verbum simplex, verum etiam formae compositae *opust*, *adest*, *inest*, *potest*, *abest*, quibus etiam accedunt *quid est*, *is est*, *id est*, *itast*, correptim pronunciantur. Cf. quae notavimus ad Milit. II, 3, 40. Praeter ibi notata, alia quaedam addam exempla. Veluti Trin. II, 2, 78. *ís ĕst immúnis.* Mil. IV, 2, 82. *quid est, ut lúdo?* Rud. IV, 4, 16. *Quíd est? qua dé re lítigátis;* Trin. III, 2, 71. *is est honós.* Trin. II, 2, 42. *ítăst amór*, ad quem locum vide quae adnotavi. *Estis* quoque pyrrhichium censeri, ibidem dixi. Trin. III, 3, 2. *pŏtĕst fíerí prorsus.* Mil. III, 1, 38. *inest in hóc amússitáta.*

Accentu quoque urgente quaedam positiones obscuratae esse inveniuntur, ut Amphitr. I, 1, 2. *Iuvĕntútis móres qui*

sciam. Terent. Andr. I, 1, 39. *Sine ĭnvidia laúdem.* Plaut. Trin. II, 4, 55. *Ferĕntárium ésse amícum.* Trin. II, 3, 7. *Suaé senĕctúti is ácriórem hiemém parat;* nisi forte ibi legendum: *Suaé senéctae is* cet. Trin. II, 1, 25. *ĭllă pĕndentém ferit*, qui duo sunt cretici. Mil. IV, 2, 100. *gŭbĕrnábunt.* Captiv. V, 5, 3. *nĕc ārgénti;* Curcul. V, 2, 15. *quód argĕntum;* de qua correptione cf. Kampm. V. C. in dissertatione de rebus militaribus Plauti pag. 39. Porro Trin. II, 1, 60. ubi pro vulgata: *in hac astutia*, legerim *húc in ăstútia.* Trin. III, 2, 105. *in tabĕrnáculo.* Huc maxime referenda sunt verba composita, quae a praepositionibus *ad*, *in*, *ob*, incipiunt atque in syllaba sequenti accentum servant, ut Trin. IV, 2, 124. *quód ăccepisti a Chármide.* Bacch. IV, 9, 146. *praéda onústus ĭncéderem*, ubi tamen Ritschelius scripsit *cederem.* Mil. III, 3, 23. *lepide hércle ornátus incédit*, ubi tamen fortasse scribendum: *lepide hércle ornáta incédit.* Mercat. IV, 4, 33. *Cur hic adstámus? quin abímus? ĭncómmodi*, ubi tamen legendum videtur: *quin abimus commode?* Mil. II, 5, 51. *égo ŏbtruncábo extempulo.* Trin. III, 2, 89. et ibid. 38. *in ŏccultó.* Men. II, 3, 82. *ante solis ŏccasum* ubi tamen fortasse legendum: *ante solem occasum.* Magis mira sunt *quíd ŏbsecrás me* Mil. II, 6, 61. in medio versu, cui conferas: *Sed quíd, obsecro hércle, fáctumst;* ita enim legendum; nisi forte pronunciandum: *Sed quid óbsecro hércle.* Simili ratione legebatur olim et nunc legitur in hac editione Trin. II, 2, 43. *Quíd exprobrás;* sed ibi Cod. Ambr. rescr. exhibet

> *'Exprobrás bene quód fecisti.*

Cf. quae dixi ad Trin. III, 2, 38. *Exercitus* primam correptam habet tribus locis Amphitr. prol. 152. ibid. 140. et I, 3, 6. *ĕxemplis* primam corripit Rud. II, 3, 40.

Peculiares correptiones admittunt verba, in quibus positionem efficiunt *muta cum liquida*, aut ubi *liquidae* plures concurrunt, veluti in his, quae *l* duplicem habent. Sic, ut ab hoc genere ordiamur, *sátĕllites* legitur Trin. IV, 1, 15. *supĕlléctili* Poen. V, 3, 26.

> *Tace átque párce múliebrí supelléctili;*

éxpapĭlláto Mil. IV, 4, 44. *simĭllimae* Asin. I, 3, 88.

> *Pórtitórum simillimaé sunt iánuaé lenóniae.*

cf. Becker. V. Cl. in Antiquit. Plautin. pag. 15. Non tamen aliae liquidae duplicatae positionis regulam laedunt, quare versus Mil. II, 2, 68. sic legendus est:

'Interclúde inimicis cómmeátum, tíbi muní viam.

Neque unquam positio neglecta est in duplici *s*, ut videbatur Beckero l. c., qui putabat, vocabulum *lassitudo* primam syllabam habere correptam. Versus enim, quem ex Captiv. V, 4, 4. sic scriptum ponit,

'Vbi labóre lăssitudo ómnist exigenda ex pectore, ita potius legendus est:

'Vbi labóre lássitúdo est éxigúnda ex córpore.

Accensenda tamen videtur huic generi vox *illico*, cuius primam syllabam, licet accentu notatam, tamen corripuisse aliquoties putem Plautum; ut Epid. III, 1, 7.

Scivi équidem in prínc'pio ĭllico núllam tĭbi ĕsse in illo cópiam.

Mil. IV, 2, 40.

Aliquám mihi pártem hodie óperae dés den'que tandem; ĭllico adésdum;

sic enim ibi legendum. Trin. III, 2, 1. ubi *Stá ĭllĭcó* pronunciandum videtur.

Referendum huc quoque erit nomen *Achilles*, quod media correpta ponitur Mil. IV, 2, 64. *Age mi 'Achĭlle fíat, quód te oró* cet.

De muta cum liquida eiusque positione neglecta satis diligenter exposuit *Julius Brixius*, vir doctissimus, in Quaestt. de Prosodia Plautj et Terentii. Is ostendit, vocabula et formas *pátris*, *pátri*, *pátrem* cum reliquis nunquam productam habere priorem, similiterque *lŭcrum*, *volŭcris*, *epĭcrocus*, *lăcruma*, *sacrum* cum compositis; excipitur tamen *sacres* Rud. 4, 5, 18; *mediŏcris*, quare Merc. II, 1, 13. in fine senarii pronunciandum est *medíŏcriter*; *sŏcrus*, *rĕcreo*, *ludĭcram*, *alăcrem*, *celĕbrem*, *tenĕbrae*, *colŭbra*, *făbre*, *făbrica*, *prŏbrum*, *fĕbris*, *lugŭbris*, *muliĕbris*, *illecĕbra* cum similibus compositis *elecĕbra*, *latĕbrae*; excipiam tamen adv. *latebrose*, quod Trin. II, 2, 3. in bacchiaco numero positum aliquam mihi videtur habere excusationem a lyrico dictionis genere, ut versus legendus sit, quemadmodum nos edidimus:

Latébrose me ábs tuo conspéctu occultábo;
nam quod Brixius pag. 37. legendum suasit:

Latebróse med ábs tuo cet

propter vim encliticam pronominis *me* ferri non posse existimo; *lăbris*, *lăbra*, *lĭbri* cum reliquis formis; Pseud. I, 5, 131. ubi legendum, *Quasi cum in libró scribúntur cálamo litterae.* *cerĕbrum*, *exterĕbrare*, *supra*, *Cyprus*, *stŭprum*, *căpra*, *rĕprimo*, *rĕprehendo*, *ăpri* cum reliquis formis, *manŭpretium*, *manŭbrium*; ut recte restitutum sit ex Cod. Ambr. rescr. Epid. IV, 2, 89.

Is étiam sése sápere mémorat; málleum
Sapiéntiórem vídi excússo mánubrio;

emendatione vero opus est in v. Aulular. III, 4, 12.

Si id palam fecisset; exemi ex manu manubrium.

parcĭpromus, *impĕtro*, *obstĕtrix*, *Amphĭ'ruo*, quare Amphitr. I, 2, 9. pronunciandum est:

Complébo atque ómnem 'Amphĭtruónis fámiliam,

ut hiatus sit ante nomen proprium; ibidem autem II, 1, 45. sic scribendum:

Néque tibi, 'Amphitruo, ístuc mírum mágis vidétur, quám mihi;

Erĕtria, *tonĭtrus*, *pătrare*, *merĕtrix*, *ŭtrum* cum formis affinibus, *penĕtro*, qua de caussa Trin. II, 2, 1. scripsimus secundum codd. lectionem in hac editione

Quo íllic homo fóras se penetrávit ex aedibus,

ut *foras* sit pro monosyllabo; *lătro*, *ianĭtrix*, *excĕtra*, *barăthrum*, *mĭgro*, *perĕgrinus*, *flăgrum*, *flagĭtribu*, *intĕgri* cum reliquis casibus obliquis, *pĭgri* cum formis affinibus, *podăgrosus*, *nĭgri* cum formis reliquis, *spissĭgradus*, *rĕgredi*, *ăgri* cum formis reliquis, quare Trin. II, 4, 159. scribendum est ex Cod. Ambr.

Lepide hércle ego hóc agro húnc seném detérrui;

dŭplex, *dŭplum*, *trĭplex*, *dŭplicare* cum affinibus et compositis, *quadrŭplum* cum affinibus, *locŭples*, *pŏplus*, *pĕplum*, *manĭplares* cum affinibus omnibus; *Sosĭcles*, *Stratippŏcles*, *Callĭcles*, *Agathŏcles*, *Sophŏclidisca*, *Agorastŏcles*, *rĕcludo*, ubi tamen exceptio notanda videtur Captiv. IV, 4, 10.

Cellás refrégit ómnes íntus réclusitque armárium;

hippŏdromus, quare Cist. II, 3, 8. legendum:

Dico éii, quó pacto éam ab hippódromo viderim
Herilem nostram filiam sustollere;

Scelĕdrus, nucĭfrangibulum. Haec omnia magna sedulitate et vix satis laudabili industria collegit Brixius in libro quem iam indicavimus: De prosodia Plauti et Terentii.

Peculiares quasdam correptiones admittunt vocabula disyllaba et trisyllaba ab initio versuum posita, maxime in iambicis, ubi anacrusim faciunt, in quibus persaepe et positiones negliguntur et longae vocales corripiuntur. Idem etiam in trochaicorum initiis locum habere videtur. Veluti Captiv. prol. 22.

Enĭmvéro di nos quási pilás hominés habent.

Terent. Heautont. V, 5, 1.

'Enimveró Chremés nimis gráviter crúciat ádulescéntulum.

Captiv. IV, 2, 97.

'Abi ĭn malám rem; lúdis me. íta me amábit sáncta sáturitas.

Trin. I, 2, 72.

Vidĕtque ípse ad paúpertútem prótractum ésse se.

Merc. IV, 4, 21.

Te odisse aéque atque ánguis. égon istúc dixí tibi?

nisi forte scribendum:

Odisse te aéque atque ánguis. égon istúc tibi?

Trin. III, 2, 105.

Dédĭ, repóscam, ut hábeam mécum quód ferám viáticum.

Mil. II, 2, 53.

Dedi mércatóri;

Merc. V, 2, 5.

Vítam amĭcítiam cívitútem laétitiám ludúm iocum.

Pseud. I, 4, 6.

Neque ăd détexúndam télam cértos términos.

Ibid. I, 4, 13.

A'que ego huíc iam prídem mé datúrum díxerum.

Ibid. I, 4, 15.

Verum is néscio quo pácto praésensít prius;

nisi forte *verum* omittendum est. Ibid. I, 5, 83.

Quaproptér te expértem amóris náti hábuerim;

quem versum tamen mendosum esse puto. Ibid. I, 5, 127.

Qui me argénto circŭmvórtant? quís me audácior.

Rud. prol. 35.

Senex, qui húc Athénis éxsul vénit;

Ibid. I, 1, 5.

Ita omnís de técto déturbavit tégulas.

Captiv. pról. 39. ubi edidimus:

Huius illíc, hic íllius hódie fért imáginem;

ubi fortasse legendum est:

Huius ílle, hic íllius hódie fért im.;

Ibid. prol. 49.

Ut in sérvitúte hic;

Ibid. I, 1, 2.

Eo quia ínvocátus;

Ibid. I, 1, 3.

Scio absúrde dictum;

Ibid. I, 1, 15.

In occŭlto, míseri

Ibid. I, 2, 2.

Heri quós emí de praéda dé quaestoribus;

ubi fortasse legendum:

Herí quos émi dé praeda á quaestóribus.

Ibid. I, 2, 30.

Quis hic lóquitur? 'Ego qui tuó moeróre máceror.

Ibid. II, 2, 84.

Séd is privátam sérvitútem;

Ibid. III, 4, 2.

Nunc énim vero óccidi.

Ibid. III, 5, 40.

Quid sit hóc negóti.

Trin. I, 2, 14.

Bene, hercle, ést illam tibi béne valére et vívere;

sed Cod. Ambr. rescr. om. alterum *bene*, quare legendum:

Bene, hércle, est illam tíbi valére et vívere.

Rud. IV, 1, 4.

Sed uxór scelesta;

Ibid. IV, 1, 13.

Sed ad prándium;

Terent. Eunuch. I, 2, 51.

Nuper eius fráter;

Terent. Eunuch. II, 2, 2.

Quíd interest?

Mil. I, 1, 55.

Quid tibi égo dicám quod ómnes mórtalés sciunt;

Ibid. II, 1, 33.

Quam herus méus amábat;

Ibid. II, 4, 9.

Heri cóncubina est haéc quidem;

Ibid. II, 5, 31.

Quíd hic tibi ín Ephesóst negóti;

Ibid. II, 6, 28.

Quodque cóncubinam herilem;

Ibid. III, 2, 40.

Sed in célla erat paúllum loculi nímium lubrici;

Ibid. IV, 7, 14.

Nunc ego húnc arcesso;

Trin. I, 2, 92.

Dedistín hoc pácto.

Atque sic etiam initiis anapaesticorum, velut. Mil. IV, 2, 30.

Brevin án longínquo sérmoni;

et ibid. v., 86.

Meri béllatóres gígnuntúr;

Ibid. 82.

Quid est? út ludó?

Ibid. 29.

Sed hic númquis adést?

Notandum porro est, saepenumero in fine vocabuli vim positionis tolli, si vocabulum in consonam terminatur, subsequente voce, quae a consona incipit, velut *ápud forúmst, quídem pol;* Trin. II, 1, 15.

póstulăt cónicere ín plagas;

Ibid. II, 1, 17.

'Ab re cónsulĭt blándiloquéntulus;

et innumerabilibus aliis locis. Saepissime hoc usu venit in vocabulis in *is et us* breves syllabas terminantibus, quae syllabae sequente consona apud Ennium aliosque veteres in hexametro etiam heroico corripiuntur, ut in illo: *volentibus*

cum magnis dis. Magis tamen mirum est, etiam ultimas syllabas in duplicem consonam desinentes interdum correptas videri, veluti Persa IV, 4, 11.

Huéc ni inde úberunt céntuplex múrus rébus sĕrvándís parumst.,

ubi utrum *centuplus* sit scribendum, ut Brixius volebat, mágnopere dubitari licet. Similiter *duplex* Bacch. IV, 4, 2.

Nám duplex hódie fácinus féci, dúplicibús spoliís sum adféctus;

ubi minime probabile est, *duplum* scribendum esse.

De hiatu.

De hiatu in versibus Plautinis exposuit accurate et diligenter *Carolus Lingius*, V. Clarissimus, nunc Professor et Rector Gymnasii Hirschbergensis in Silesia, quem virum doctissimum mihique amicissimum his verbis honorificentissime consalutatum volo. Eius rationes atque observationes, a nemine ad hoc usque tempus refutatas, quippe verissimas, paucis hoc loco recensebimus, additis his, quae postero tempore ab aliis sunt repertae, in quibus omnium maxime operae pretium fecit *Kampmannus* V. Clarissimus, Professor Vratislaviensis, item mihi amicissimus, qui multa circa totam hanc doctrinam scite atque eleganter animadversa disputavit.

Hiatum admittunt primum omnes voculae monosyllabae, quae in longam vocalem exeunt, ita quidem, ut aut longae maneant, quo loco quaedam eorum fortasse adiectam habuerunt *d* ephelcysticam, aut corripiantur, si sequatur vocabulum a vocali incipiens. Veluti Trin. III, 2, 67.

Tē honestét, me cónlutábit;

Pseud. I, 5, 1.

Si dé damnósis aut si dĕ amatóribus;

Epid. II, 2, 31.

Obviam órnatae óccurrébant suís quaequaĕ amatóribus;

Trin. II, 2, 21. *Quaĕ égo*; Ibid. II, 2, 29. *Quĭ homo;* Mil. IV, 6, 7. *Quía tĕ ádiit*; ubi cf. Fleckeisen. Exercitt. Plaut. pag. 40. qui legendum suadet: *quía adit ád te.* Trin. I, 2, 113. *thesaúrum démonstrávit mĭ in hisce aédibus*, ubi tamen transponendum ratus sum: *mi hísce in aedibus.* Sed Trin.

prol. 12. recte legitur: *quī in hisce hábitat aédibus.* Mil. II, 6, 90. *Sí te dī amant;* Ibid. II, 3, 22. *Sí te dī amant.* Terent. Andr. IV, 3, 6. *mī homo;* Ibid. IV, 4, 5. *Relíquit mĕ homo atque ábiit;* Idem Eunuch. I, 2, 113. *Noctés diésque mĕ ames, mé desíderes;* Idem Eunuch. IV, 1, 1. *'Ita me dī ament.* Ibid. V, 8, 50. *Néque istum métuas nĕ amet múlier.* Idem Phorm. prol. 27. *Quia prímas partes quī aget.* Et saepe alibi. Atque ita voculae *me*, *te*, *se*, *qui*, *quae*, *quoi*, *quo*; *qua*, *si*, *ne*, ubi non corripiuntur, sed longae manent. Cuius rationis tam crebra sunt exempla, ut adscribere non opus sit.

Admittitur porro hiatus in fine primae dipodiae iambicorum, ut Asin. III, 3, 41. *Quia ego hánc amó ‖ et haéc me amat.*

Deinde hiatus invenitur in penthemimere iambico, velut Asin. IV, 1, 14.

Forés occlúsae ‖ ómnibús sint, nisi tibi.

Nec minus locum habet hiatus in secunda dipodia iambicorum, ut Rud. prol. 7. *Intér mortáles ámbuló ‖ interdius.* Captiv. IV, 2, 44. *Aetoli ‖ agoranomum.* Deinde in hephthemimere iambico, ut Captiv. III, 5, 24.

Dum ne ób malefácta péream, párvi ‖ aestimo;

ubi tamen legendum suaserunt: *parvi id aéstimo*; certius exemplum est Captiv. III, 5, 6.

At út mihi cónfidénter cóntra ‖ ástitit.

Et Merc. IV, 4, 15, ubi duo hiatus consociati inveniuntur:

Vidére, amplécti ‖ ósculári ‖ álloqui.

Post tertiam dipodiam in trochaicis versibus, ut Curc. II, 3, 55.

Quód tibist, idém sibi ésse, magnam argenti ‖ inopiam.

Captiv. III, 4, 53. *'Atque, ut perspició, proféclo iam áliquid púgnae ‖ édidit.* Hiatus deprehenditur saepe in caesura, idque maxime in tetrametris iambicis catalecticis et acatalectis mediis, quos metrici propter hanc ipsam causam asynartetos esse voluerunt, veluti Asin. III, 3, 65.

Sed sí tibi vigintí minae ‖ argénti próferéntur,
Quo nós vocábis nomine? ‖ libértos, nón patrónos.
Id pótius; víginti minae ‖ hic insunt in crum'na.

Observatur hiatus etiam in caesura creticorum et bacchiacorum

tetrametrorum, qua re hos eosdem asynartetos dixerunt, metrici, ut Rud. IV, 3, 12.

Sed boni cónsili ‖ écquid in té mihist.

Menaechm. V, 2, 11.

Repénte expetit me ‖ ad sèse a me ut írem.

Saepe admittitur hiatus in thesi secunda dipodiae iambicae, ut Rud. prol. 11.

Qui fácta ‖ hóminum, móres píetatem ét fidem.

Ibid. prol. 72.

Nunc ámbo in sáxo, léno ‖ átque hospés simul.

Ibid. prol. 10.

Is nós per géntes álium ‖ aliu disparat.

Quanquam hoc exemplum propter *m* finalem alius est rationis, de qua infra a nobis disputabitur. Trochaei quosque in thesi secunda dipodiae hiatum aliquoties admittunt, ut Trin. III, 2, 26.

'Atque ego istúnc tibi agnúm relinqui ‖ ób eam rem énixe éxpeto.

Ubi Brixius pag. 42. ex codice Ambros. scribendum esse indicavit:

'Atque istum égo agrum tibi relínqui ‖ ób eum rem é. é.

Hiatus excusatur porro in fine sententiae, ubi maior ponitur distinctio, ut Cistell. II, 3, 12.

Age, pérge, quaéso. ‖ ánimus aúdire éxpetit.

Captiv. III, 3, fin.

Nugás ineptiásque incépso. ‖ haéreo.

Mil. II, 2, 30.

Dixi ego ístuc, nísi quid áliud vís. Voló. ‖ hoc dicito

Idem accidit in personarum mutatione, ut Mil. II, 2, 88.

Dicam hospitio ‖ Pe. Euge, lepide; laudo commentum tuum.

Captiv. I, 2, 36.

Ne flé., Er. Egone íllum nón fleam? égo non défleam.

Merc. I, 2, 71.

Quí potuit vidére? Ac. 'Oculis. Ch. Quó pactó. 'Ac. hiántibus.

Neque alia est ratio in exclamationibus et interiectionibus, velut Merc. II, 2, 13.

Salvé, ‖ o quid agis?

Trin. I, 2, 10.

O amice salve, ‖ átque aequális.

Qua de causa etiam post et ante interiectiones *quaeso*, *hercle*, *vah*, *ah*, *o*, *vae*, *heu*, *eheu*, *nae* et quae sunt similes, hiatus admittitur, ut Captiv. prol. 11. *Negat, hércle ‖ íllic últimus.* Nisi fortasse rectius: *Negát, hercle, illic ultimus.*

Nomina quoque propria et ante et post se admittunt saepe hiatum, veluti Aulul. III, 6, 33.

Potáre ege técum hodie, Euclio, volo.;

ubi tamen rectius sine dubio scribitur:

Potare ego hodie, Euclio, tecum volo,

ut unus saltem in v. *tecum* hiatus tollatur. Captiv. IV, 2, 52. qui versus ob alios quoque hiatus est memorabilis:

Mé iubés. Sed quí est? He. Réspice ád me. Hégió sum. Er. 'O mihí.

Hiatum inveniri in versuum, maxime trochaicorum, initiis auctor est Lingius, ubi verbum, in quo praecipua quaedam vis inest, praeponitur, ita quidem, ut tribracho pro trochaeo posito tanta arsi vis addatur, ut hiatus, qui est inter arsim et thesim, non exaudiatur. Veluti Plaut. Merc. V, 2, 4.

Dómĭ erút quod quaéritábum; séx sodáles répperi.

Quae observatio fortasse non ad sola trochaicorum initia est revocanda, sed in aliis quoque versuum trochaicorum sedibus invenitur, ut Trin. III, 2, 103.

Cássidem ín capút; dormíbo plácidĕ ín tabernáculo.

Animadvertisse sibi videtur Lingius, l. c. pag. 53. seq. hiatum quoque ante v. *homo*, quae fere ut hodiernorum Italorum *uomo* pronunciata esse videatur, hiatum esse admissum, veluti Aulul. I, 2, 33.

Nam nón est vérosimile hóminem paúperem;

qui tamen versus facili transpositione hiatum evitare possit, si scribas cum Bothio: *Nam verosimile non est* cet. Sed multa alia exempla Lingii sententiae adstipulantur, ut Asin. IV, 1, 11.

Aliénum hominem intromittat neminem

Aulul. II, 2, 49.

Vénit hoc mí, Megadóre, in méntem, té ĕssĕ hóminem dívitem.

Menaechm. III, 2, 24.

Aut té piari iúbĕ, homo insananissume.
Bacchid. IV, 8, 63.
Ne súpplicáre cénseás, nihili homo.
Rud. I, 1, 43.
Ecquém tu hóminem crispum incánum videris.
Ibid. IV, 5, 3.
Satin si quoi hómini di ĕsse bénefactúm volunt;
ubi tamen monosyllaba v. *quoi* sua quosque causa hiatum admittit.

De elisione.

Hiatui contraria est elisio. Ea duplex esse potest, aut συναλοιφή, aut ἔκθλιψις. Synaloepha, quae nonnunquam etiam synizesis (συνίζησις) dicitur, est vocalium positione verborum concurrentium ea pronunciatio, qua plures vocales, plerumque duae, in unam syllabam coalescunt, singulae tamen, quamquam paulo obscurius, audiuntur, vel novum quendam sonum efficiunt. Quae vocalium veluti collisio, quando in mediis vocabulis invenitur, rerum discernendarum causa a multis Grammaticorum *synizesis* vocari solet, ita ut synaloepha in vocabulorum fine, synizesis vero in mediis vocabulis dicatur. *Ecthlipsis* contra, quae proprie Latine dicitur *elisio*, erit vocalis sive syllabae finalis propter sequens verbum a vocali incipiens abiectio, qualis est in lingua Graeca et Germanica, ubi in signum littera abiectae apostrophus apponitur. Hanc rationem plane ignorasse videntur Romani, qui, sicut hodierni Itali, exceptis paucis formulis, et veram elisionem et apostrophum nesciebant. Nam etiam in his vocabulis, quorum littera finalis *m* propter sequentem vocalem elidenda est, ut vulgo dicunt, non vera *elisione*, h. e. *abiectione*, sed collisione et crasi quadam utebantur Latini, cuius rei testimonium exstat apud Quinctil. institt. oratt. X, 4, 39. *Atqui eadem illa littera m, quotiens ultima est et vocalem verbi sequentis ita contingit, ut in eum transire possit, etiam si scribitur, tamen parum exprimitur, ut: multum ille, et: quantum erat; adeo ut paene cuiusdam novae litterae sonum reddat. Neque enim expellitur, sed obscuratur, et tantum aliqua inter duas vocales velut nota est, ne ipsae coeant.* Hactenus Quinctilianus, quicum sentiunt alii recen-

tiores illo Grammatici, qui illud *m* finale plerumque *m* mutum appellant aut obscurum ei sonum tribuunt. Cf. Priscian. I, 7. tom. I, pag. 37. ed Krehl. Aliud huius rei argumentum est, quod apud Latinos poetas priscos multi inveniuntur loci, ubi syllaba finalis littera *m* terminata non coalescit cum sequente vocali ac nulla elisio admittitur, ex quo genere sunt hi versus. Ennius apud Priscian. I, 7, tom. I, p. 37. Kr. *Insignita fere tum millia militum octo.* Lucret. II, 465. *Nam quod fluvidum est e levibus atque rotundis.* Ad quam rationem innumerabilia apud Plautum et Terentium inveniuntur exempla, ubi nulla litterae finalis *m* elisio admittitur, ut paene toties non elisa, quoties esse elisa videatur. Atque hic primum commemorandae sunt voces monosyllabae in litteram *m* desinentes, ut *hem*, *nam*, *iam*, *clam*, *num*, *cum*, *quom*, *quem*, *quam*, *dum*, *tum*, *rem.* Veluti Terent. Andr. I, 1, 68.

Scias pósse iám habere ípsum suaé vitaé modum.

Ibid. IV, 2, 4.

Oráre iússit, sí se amés, era, iám ut ad sése vénias.

Eunuch. I, 2, 39.

Ego cum íllo, quícum tum úno rém habebam hóspite.

Ibid. III, 2, 42.

Vna íre cúm amica ímperátorem ín via.

Ibid. III, 5, 15.

Nostíne quám amat fráter?

Et saepius alibi. Plautus vero etiam saepius, velut Trin. II, 4, 11.

Hém ĭsta rátio máxumast.

Captiv. III, 1, 29.

'Omnes dé compacto rém agunt, quási in Velábro oleárii;

ita enim ibi legendum esse videtur. Trin. I, 1, 3.

Núm ego amícum hodíe meum.

Mil. V, 2, 7.

Dómo si illaéc clăm húc transíbit, quae húius cúpiens córporist;

nisi forte antiqua forma *calim* est restituenda, quae eadem videtur redonanda esse Terentio Eunuch. II, 3, 28. ubi legendum:

Flos ípse. Hanc tú mihí vel ví vel cálim vél precário.

Milit. IV, 2, 22.

Quĕm ĕgo hic audívi;

quod exemplum si forte videtur dubium, conferatur Trin. II, 2, 16.

Hóminum dúraví. Quin prius me ad plúris pénetraví? năm hí..

ad quem locum vide quae notavi in hac editione. Poen. V, 2, 94.

Năm haúd repúdio hospítium, néque Carthúginem;

ubi male et contra libros editur *namque haud.* Asin. IV, 1, 24.

Ad eórum né quĕm óculos ádiiciát suos.

Captiv. II, 3, 35. *míhi cŭm hóc convénerit.*

Ex quibus intelligitur, quum in arsi tum in thesi huiusmodi voces monosyllabas in *m* desinentes nullum interdum pati elisionem. Longe tamen frequentiora sunt exempla, quae in arsi positam habeat vocem monosyllabam. Nam Trin. II, 1, 20:

Quŏm éxtemplo sávi sagíttis percússust;

et ibid. v. 34:

Haec égo quóm ago cúm meo ánimo et rècolo, úbi qui egét quúm;

in his quidem et numeri nondum sunt satis ad liquidum perducti et lectio adhuc est non satis certa. Contra Captiv. prol. 24 non videtur dubium esse, recte legi, ut est editum:

Postquám bellígerant Aétoli cŭm Aliis.

Nihil vero dubii relinquitur in arsi, ubi talia sunt frequentissima: *nám is est* Captiv. III, 4, 48. *iám ĭllic* ibid. III, 4, 61. *nám is illius fílium* Mil. II, 1, 33. *iám ego ad té* Milit. II, 6, 56. *nám ego istám* Mil. II, 3, 9. *nám ego* ibid. v. 31. *dúm ego* ibid. v. 37. *núm illic* ibid. 79. *cúm amatóre* Mil. II, 2, 86. *túm in amici* Mil. III, 1, 145. *túm ĕast* Mil. II, 5, 47. *quóm apud hunc* Captiv. II, 3, 52. *quám illi* Mil. II, 3, 80.

In vocabulis longioribus *m* finalis non eliditur in arsi pariter atque in thesi; in arsi rarius, in thesi tum maxime, ubi hiatus alius generis admitti solent. Non elisae in arsi exempla haec sunt, veluti: *gratiúm habeó tibi*, quae formula apud Plautum aliquoties recurrit. Simile est Captiv. II, 3, 27. *'Id petám, id pérsequárque*, quemadmodum sine dubio ibi est legendum. Trin. II, 2, 99.

Dúcere úxorém. Sine dóte? Síne dote. 'Uxor'm. Ita.

Asinar. I, 1, 72.

Dotálem sérvom Saúreúm uxór tua.

Trin. V, 3, 10.

Miseria úna uni quidem hómini est áffatim. imo huíc parúmst.

Trin. III, 3, 90.

Mittúm. Eo ego ígitur íntro ad ófficiúm meum.

Atque ita quoque fortasse defendi poterit lectio vulgata Trin. II, 46. 47.

Bóni sibi haec éxpetunt, rém fidĕm honórem
Glóriam et grátiám: hoc probis prétiumst;

ubi cf. quae adnotav. — In thesi non elisae litterae *m* exempla attulerunt, quiqui de *hiatu* scripserunt, hiatum esse existimantes, ubi *m* non mutescit sequente vocali; veluti Mil. II, 2, 14.

Adgrédiar hóminem. 'Estne advórsum? 'Est quasi.

Mil. arg. acrost. 6.

Geminis commúnem clám paríetem aédibus.

Captiv. V, 4, 27.

Quási per nébulam, Hégiónem pátrem meúm vocárier.

Ibid. V, 2, 24.

Philocratés per tuúm te Génium óbsecro, éxi; té volo.

Captiv. I, 1, 6.

Estne ínvocátum, ánnon? 'Est planíssume.

Mil. II, 3, 68.

Scin tu, núllum cómmeátum hinc esse á nobis? Scio.

Trin. III, 2, 33.

'Et tibi núnc proinde ác merére, súmmam hábeo grátiam;

ubi male in hac editione legitur: *summas habeo gratias.* Cf. Asin. I, 2, 17. *'Atque ea sí erant, mágnam habébam ómnibús dis grátiam*, ubi metrum ostendit, singularem numerum legendum esse, pro quo male vulgo legitur pluralis. Atque ita recta etiam singulari numero in eadem formula utitur poeta Mostell. II, 2, 1. — Captiv. IV, 3, 7.

Núnc ibo in meam praéfectúram, út ius dícam lárido;

ubi tamen vide, ne legendum sit: *iús ut dícam lárido.* Captiv. IV, 1, 5.

Néc quoiquam hómini súpplicáre mé nunc cértum ést mihi;

ubi tamen legendum videtur: *mémet núnc certúmst mihi.* Mil. II, 1, 57.

Apud suúm patérnum hóspitém lepidúm senem.

Captiv. II, 3, 38.

Méminero. 'At quam primum; istuc in rem utrique est máxume.

Mil. III, 2, 19.

Neque équidem héminas ócto exprómsi in úrceum:

ubi tamen legendum videtur: *Neque héminás equidem ócto e. i. u.* Ibid. v. 20.

Neque íllic cálidum éxbibit in prándium.

Ibid. v. 43.

Eam plénam átque inánem vidi fieri.

Milit. IV, 9, 2.

Ego nám convéniam íllum. Vbiubi est gentium,

ubi quidem legi potest *illunc*, ne bis eadem licentia in uno versu locum habeat. Mil. IV, 9, 8.

Facétum púerum. 'Intro te út eas óbsecrat.

Ibid. V, 2.

Fácite, intér terram átque coélum út siét; discindite.

Ibid. v. 7.

Périi. Haud étiam número hoc dícis. Iámne in hóminem involo?

Ibid. v. 9.

Cúr es aúsus súbigitáre aliénam uxórem, ímpudens?

Trin. I, 2, 121.

Quae míhi mandátast, hábeo, dótem únde dem.

Trin. prol. 9.

Tum hanc mi aútem gnátam ésse vóluit ínopiam;

nisi forte hic legendum: *Tum hanc autem gnatam mi esse voluit in.* In aliis quoque versuum generibus *m* finale non eliditur, atque in ipso quidem medio bacchiaco, velut Captiv. IV, 2, 10.

Move ábs te moram ómnem, Ergásile, atque age hánc rem.

Vix tamen aliter, nisi ubi hiatus alius generis quoque admittitur. Minus frequentata haec ratio est in thesi iamborum et trochaeorum illa, ubi hiatus non admitti solet, ut Captiv. IV, 2, 85.

Proín tu deûm hunc sáturitáte fácias tránquillúm tibi;

quem versum non mutaverim. Mil. III, 3, 10.

Postquam ádbibére aurés meaé tuam mórām orátiónis; quem versum noli aliter pronunciare, quam significavi. Frequentissimam esse in versu asynarteto, non est mirum, veluti Mil. IV, 6, 13.

Veneri pol hábeo grátiám, eandémque et óro et quaéso. Ibid. V, 6, 1.

Hera, éccum praésto mílitém. Ubist? Ad laévam. Video. Ex quibus omnibus intelligetur, qui fiat, ut vocula *circum*, in compositis, ut *circumire*, *circumagere*, aliisque similibus, ultimam apud Plaut. et Ter. non soleat elidere. De quo genere cf. quae dixit Bentleius ad Terent. Andr. I, 2, 31.

Sed redeamus iam ad synaloepham, illam quidem, quam Grammatici Latini *elisionem* dixerunt. Ea in vetere illo sermone pariter atque apud seriores leni et lubrica quasi vocalium collisione constabat, ita quidem, ut singulae vocales collisae audirentur, quamquam obscurius, et unam tantum syllabam efficientes. Vbi quidem si eaedem coirent vocales, veluti *ne eas*, *si istic*, *faustu ave*, *malo omine*, minus elegans habebatur compositio, quamquam haud raro ea invenitur. Cuius rei causa est, quod syllabae istae non nisi uno sono pronunciari poterant, ita ut altera plane perire videretur, quod mutilam reddere orationem putabatur. Diversas vero vocales illo modo coeuntes non elidebant, uti diximus, sed collidebant, ut, licet in unam syllabam contraherentur, tamen aliquo modo discretae audirentur et mixtum quendam sonum proferrent. Non igitur pronunciabant Latini:

Hí summ' ín fluctú pendent,

sed potius:

Hí summo͡ in fluctú pendent.

Neque sic:

Quod eg' ín propínqua párt' amicitiaé puto,

sed potius hoc modo:

Quod égo͡ in propínqua párte͡ amicitiaé puto.

Plane fortasse, ut hodierni Itali:

Solo͡ e pensoso͡ i diu deserti campi;

non sic:

Sol'e pensos'i piu deserti campi.

Vel:

Ove chiusa in un sasso;

non sic:

Ove chius'in un sasso.

Vel:

Intorno intorno alle mie tempie avvolse;

non vero sic:

Intorn' intorn' alle mie tempj' avvolse.

Qua vero ratione et quo artificio has vocalium collisiones pronunciaverint veteres, fortasse id quoque ab hodiernis Italis optime discere poterimus.

Ipsius autem huius rei manifesta satis habemus testimonia, inter quae Ciceronis et Quinctiliani auctoritas supremum tenet locum. Ac Cicero quidem in Oratore c. 23. haec: *Habet ille tanquam hiatus et concursus vocalium molle quiddam et quod indicet non ingratam negligentiam de re hominis magis quam de verbis laborantis.* Vbi quanquam de compositione oratoria sermo est, idem tamen etiam in scenica poesi, ubi vulgaris et quotidiana loquendi consuetudo obtinuerit, factum esse, paulo post videbimus. Loquitur autem Cicero aperte de concursu vocalium, qui ex positione verborum oritur, quem *tanquam hiatum* appellat, non *verum*, eundemque dicit molle quiddam habere, hoc est mollem aliquam et lubricam pronunciationem. Et Quinctil. Instt. oratt. IX, 4, 36. *Nam et coeuntes litterae, quae συναλοιφαὶ dicuntur, etiam leniorem reddunt orationem, quam si omnia verba suo fine clauduntur; et nonnunquam hiulca etiam decent faciuntque ampliora quaedam, ut: p u l c h r a o r a t i o n e a c t a o m n i n o i a c t a r e.* Adde eundem XI, 3, 33. *Ut est necessaria verborum explanatio, ita omnes computare et velut annumerare litteras molestum et odiosum. Nam et vocales frequentissime coeunt et consonantium quaedam insequenti vocali dissimulantur.* Atque hanc vocalium in fine verborum cum vocalibus incipientibus sequentium concretionem sive coitionem non apud oratores tantum atque in vita communi, verum etiam in scena vitae imitatrice in usu fuisse, testatur alius Quinctiliani locus ibid. II, 10, 13. *Actores comici neque ita prorsus, ut nos vulgo loquimur, pronunciant, quod esset sine arte, nec procul tamen a natura recedunt, quo vitio periret imi-*

tatio, sed morem communis huius sermonis decore quodam scenico exornant. Neque ullum potest esse dubium, omnem carminum recitationem apud Romanos ita comparatam fuisse, ut et metri ratio audientibus appareret, et collisio vocalium mollis illa ac lubrica audiretur; qua de re consentiunt, quicumque poesim Latinam vel primoribus, ut aiunt, labris tetigerunt. Atque haec satis de clisione.

De Synizesi.

Synizesim dicimus et contractionem duarum vocalium iuxta positarum in mediis vocabulis, et consonantium vocalibus affinium lubricam et mollem pronunciationem, quae ita fit, ut duae syllabae in unam coeant. Quam rem apud Romanos inventam esse, rationem autem variam et multiplicem, multa exstant testimonia. Cicero de Div. II, 40. *Quum M. Crassus exercitum Brundisii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens C a u n e a s clamitabat. Dicamus, si placet, monitum ab eo Crassum, c a v e r e t n e i r e t; non fuisse periturum, si omini paruisset.* Haec manifeste ostendunt, verba haec: *cave ne eas* prolata esse paene ut *cauneas*, unde intelligitur, *cave* verbum per synizesim sonuisse tanquam esset monosyllabum. Ex quo loco primum synizesis genus discitur, quod in verbis, quorum media consona *v* est, reperitur. Igitur voces *avis*, *avus*, *Iovis*, *novus*, *navis*, *cave*, *Davus*, aliaeque eiusdem generis, pro monosyllabis apud Scenicos deprehenduntur. Neque minus in longioribus vocabulis, in quibus duae vocales interposita *v* inveniuntur, una efficitur syllaba, ut *vivit* monos., *vivendo* disyllabum, *divites* dis., *divitiae* tris., *inhiavit* tris., *succreverunt*, quod aut *succrerunt* scribendum aut tribus syllabis pronunciandum; *oblivisci* dis., *exturbavit* tris., *inspectavit* tris., aliaque id genus multa, quorum tamen omnium usitata quoque et legitima forma ac pronunciatio haud raro invenitur.

Alterum synizesis genus ea vocabula complectitur, quae mediam habent *i* vel vocalem vel consonam, quorum numerus maior est, quam cuique credibile videtur; quanquam in quibusdam formis horum vocabulorum haec synizesis nunquam usurpata esse videtur. Atque huius quidem generis sunt:

eius, *huius*, *cuius*, *quoius* monos.; omnes verbi *aio* formae praeter primam personam hanc ipsam *aio*, ut *ais*, *ait*, *aiunt*, quae monos., *aiebam*, *aiebas*, *aiebat*, *aiebant*, quae disyllabae, ac tum *aibam*, *aibas*, *aibat*, *aibat* scribuntur; *diu* monos., *prius* monos., *dies* cum formis suis ceteris, monos., cuius contrarium legitur tamen Trin. III, 3, 83. ubi *diei* trisyllabum est:

Diéi témpus nón vidés? Quid illúm putas;

scio et *sciunt* monosyllaba, *nescio* cum formis suis, dis., *diutius* tris., *dierectus*, *dierecte* trisyllaba, *consiliarium*, duabus postremis syllabis in unam contractis, nisi forte *consiliarem* legendum Mil. IV, 2, 23. quod est credibile. Nam vocabula quidem *otium*, *odium*, *noxius*, *filius*, *filia* et similia nunquam per synizesim prolata esse videntur, quanquam apud Virgilium loco notissimo Aen. I, 73. legitur:

Connubio iungam stabili propriamque dicabo.

Contra vocabulum *lien* eiusque derivata semper per synizesim pronunciata esse videntur apud Plautum, veluti Merc. I, 2, 14. Cas. II, 6, 62. Curcul. II, 1, 5. Verum *quiesco* et *quietus* nusquam disyllaba sunt apud Plautum, quanquam nuper fuerunt, qui ita pronuncianda esse existimarent. Nam Epid. III, 2, 2. versus ita est scribendus:

Per hánc quiéto tibi licét curam ésse; hoc quídem iam périit.

Atque ita quoque mendosus est versus Most. V, 2, 52. qui sic est legendus:

Pétere; ego illum, ut sít quiétus, vérberibús subégero.

Atque ita etiam *obnoxius* et *obnoxiosus* nusquam synizesim patiuntur, ut mihi olim est visum, quare locus Captiv. II, 1, 24. sic legendus esse videtur:

Abíte ab istis. Obnóxii
'Ambo vobís sumus, própter hanc rém, quom, quae
Vólumus nos, cópiae fácitis nos cómpotes; —

quorum versuum primus est iambicus dimeter, duo sequentes cretici. — Peculiare synizesium genus faciunt verba a v. *iacio* composita, quae saepe apud Plautum alteram *i* abiiciunt, cuius rei vel apud seriores vestigia supersunt, ut Virg. Eclog. III, 96.

Tityre, pascentes a flumine reice capellas;

Atque hoc ipsum *reice* disyllabum legitur apud Plautum Asin. II, 1, 6.

Quín tu abs té socórdiam ómnem reíce et ségnitiem ámove.

Reicere pro *reiicere* legitur ex praestantiorum codicum scriptura apud Terent. Phorm. prol. 18. *Eiciar* trisyllabum esse videtur Plaut. Mil. III, 2, 31. *Eiciat* bis legitur uno in versu trisyllabum Ter. Andr. II, 3, 8. *Adicitis* Captiv. II, 1, 8. Atque ita etiam verba *abicio*, *inicio*, *obicio*; unde *abicit*, *inicit*, *obicit* duas priores corripere solent. — Quaerendum hoc loco, utrum genitivos in *ium*, ut *omnium*, *litium* et neutra in eandem syllabam desinentia, ut *concilium*, *compendium* duas postremas pro una enunciari in usu fuerit. Et uno quidem loco *omnium* disyllabum esse videtur, Trin. II, 1, 14.

'Omnium prímum amóris ártis, quemádmodum expédiant, éloquar.

Contra in Mostellaria, ubi ter eadem formula recurrit, idem vocabulum trisyllabum est. Most. II, 1, 50.

'Omniúm primúm, Philématium, íntro abi, ét tu, Délphium.

Ibid. v. 53.

'Omniúm primúm dum aédes iám face ócclusaé sient.

Ibid. V, 2, 32.

'Omniúm primúm sodálem me ésse scís gnató tuo.

Litium, quod disyllabum vult esse Brixius in Quaestionibus de Plauti et Terenti prosodia pag. 15 seq., fortasse *litum* scribendum est scripsitque Brixius. *Concilium* trisyllabum esse videtur Captiv. III, 1, 33.

Quí concílium iniére, quó nos víctu et víta próhibeant.

Simili modo *compendium* Captiv. V, 2, 12.

Stáis facúndus. Séd iam fíeri díctis cómpendiúm volo;

nisi forte scribendum: *séd iam fíeri dícta compendí volo.*

Non videtur dubium esse, tertias verborum personas in *iunt* saepe per synizesim prolatas fuisse, velut *surriunt*, quod est disyllabum Captiv. III, 5, 5. et *ambiunt* disyllabum Mil. I, 1, 69.

Tertium genus synizesium est in his vocibus, in quibus *u* non consona sed vocalis eam admittit. Quemadmodum enim *i* ante vocalem per synizesim obscuratum esse deprehendimus, ita etiam *u* prolatum esse nonnunquam suspicio est. Ita sine

dubio factum est in vv. *duellum*, *duellator*, *perduellis*. Cf. Amphitr. I, 1, 99. ed. m.

Perduélles pénetrant se ín fugám; ibi nóstris ánimus ádditust.

Captiv. prol. extr.

Domí duellíque duéllatórês óptumi;

ita enim ibi scribendum est. Amphitr. II, 2, 10.

Sed hóc me beát saltem quóniam perduéllis;

qui versus est bacchiacus. Trucul. II, 6, 2.

Mánibus duélli praédicáre sóleo, haud ín sermónibus.

Epid. III, 4, 14.

Memoránt apud réges, ármis, árte duéllica.

Contra *duello* trisyllabum invenitur Amphitr. I, 1, 39. ed. m.

Duéllo exstíncto máximó atque ínternéctis hóstibus;

qui versus est iambicus. — Pertinent huc omnes formae nominis numeralis *duo;* cf. Trin. III, 3, 46.

Duas; eás nos cónsignémus, quási sint á patre.

Truc. II, 2, 52.

Quísquam homó mortális pósthuc duárum rérum créduit.

Poen. IV, 2, 73. qui totus locus sic videtur scribendus:

Eódem módo quo sóror illíus áltera Anterástilis.
Séd qui id crédam? quía illas émit ín Anactório párvolas
Dé praedóne Sículo. quánti? duódeviginti minis.
Duás illás duodévigínti? et nútricem eárum tértiam.

Numerale *quatuor* saepe est disyllabum, ut Most. III, 1, 123. Men. I, 3, 22. 23. De verbis *metuere*, *tueri* et similibus magna est dubitatio. Nam *metuebam*, quod huc refert Brixius in Quaestt. de Pl. et Ter. prosodia pag. 17. non est trisyllabum, quum praecedens v. *nimis* potius sit monosyllabum Pseud. IV, 1.

Hém, te hercle égo circúmspectábam; nimis metuebam
mále, ne abísses.

Et *tueri* ubi per synizesim proferri videtur, videndum est, ne ad tertiae coniugationis normam inflectendum sit, veluti Trin. III, 2, 85.

'Etiam ob stúltitiám tuám te túeris? múltam abómina.

Et Captiv. III, 4, 25.

Víden tu hunc, quám inimíco vúltu intúitur? cóncedi
óptumumst.

Saltem *contui* legitur Most. III, 2, 152. ibidemque v. 154. *obtuerier* sine synizesi et Rud. I, 4, 35. eodem modo:

Videór decórum dís locúm tuérier;

ita enim ibi legendum est, non *viderier*. *Contui* porro legitur Asin. I, 1, 111. et ibid. III, 1, 20. Quare *obtuere* brevi penultima legendum esse videtur Most. I, 2, 66.

Quid ést? quid tú me núnc obtúere, fúrcifer;

nec minus Bacchid. IV, 4, 17. (29. R.)

Núm qui nummi éxcidere, hére, tibí, quod sic
Térram obtúere? quid vos moéstos tám tristésque cónspicor.

obtuetur tetrasyllabum est Mil. IV, 6, 56.

Dum te óbtuétur, interím linguam óculi praécidérunt.

Similiter *obtuerier* sine synizesi obviam est Amphitr. III, 2, 19.

Inimicos sémper ósa sum óbtuerier.

Non vero dubia est synizesis in vv. *tuus* cum derivatis, *fui* cum reliquis formis, *suus* cum reliquis. *Imbuas* utrum possit esse disyllabum, magna orta est mihi dubitatio, postquam sententia mutanda fuit de v. *tueri*. Quare corrigenda videntur, quae dixi ad Trin. II, 2, 19. ubi nunc legendum censeo: *neú colus neu ímbuas íllis ingénium.* Ex quibus omnibus abunde opinor posse intelligi, hoc synizesium genus certis quibusdam arctisque finibus esse circumscriptum.

Quartum synizesium genus complectitur ea vocabula, in quibus *e* vocalis cum sequente quavis in unam syllabam coire solet, quod genus latissime patet. Atque huc pertinent omnes formae pronominis *is*, *ea*, *id* et quae sunt ab eo compositae, ut *ei*, *eum*, *eam*, *eo*, *ea*, *eis*, *eorum*, *earum*, *eidem*, *eundem*, *eandem*, *eodem*, *eadem*, *eisdem*, *eosdem*, *easdem*; porro pronomen *meus* et reliqui eius casus; verbum *eo* cum formis suis, quae ab *e* vocali incipiunt, cumque compositis; tum *queo* et *nequeo*; *deus*, *dea* cum reliquis casibus; nec minus nomina quaedam propria, ut *Cleostrata* Cas. II, 6, 41.; postremo etiam *neutiquam*, quod ubique pro tribracho ponitur, et *neuter*, quod pyrrhichius est; similiterque synizesim patiuntur omnia a v. *neuter* derivata.

Quintum genus est verborum, quae a praepositionibus in vocalem desinentibus componuntur, ut *de*, *pro*, *prae*, *se*, aliis, unde *deinde*, *dehinc*, *deest*, *deerit*, *deorsum*, *proin*,

proinde, *prout*, *praeut*, *seorsum* vix aliter nisi per synizesim proferuntur. De his nemo dubitat.

Sextum genus complectitur illa verba, in quibus *o* vocalis cum sequenti unam efficit syllabam, ut *coaddito* Cas. III, 1, 4. *Coemtionalem senem* Bacch. IV, 9, 52. *coegi* Ibid. IV, 9, 56. *coepulo* Pers. I, 3, 20. qui versus sic legendus:

Terréster, coépuló te cómpellát tuus.

cohortari, si vera est mea emendatio Amphitr. I, 1, 80.

Septimum genus synizesis conficiunt verba, in quibus litterae *l*, *m*, *n*, *r*, inter duas vocales positae ob liquidiorem ac velociorem vulgi pronunciationem duas syllabas in unam coire patiuntur; quo pertinent alia quoque, quae usu trita ex vulgi sermone in scenicam poesim recepta sunt; notandumque totum hoc genus nonnisi ea vocabula complecti, quae vulgi ore et communi consuetudine frequentissime usurparentur, ut *neminis*, *nemini*, *neminem*, *nemine*, de quo cf. Bentlei. ad Terent. Eunuch. III, 2, 7. et ad Hecyr. III, 1, 1. Adde Plaut. Mil. IV, 2, 71.

Minus áb nemine áccipiét. Heu, heú, ecastór, nimis vílest tándem.

Eodem referendae sunt voces *nimis*, *tamen*, *enim*; *boni*, *bonae*, *bonum*, *bonam*, *bonis*, *bonos*, *bonas*; ut Trin. I, 2, 41.

Quia ómnes bónos bonásque accúrare áddecet;

Trin. II, 1, 46.

Bóni sibi haec éxpetunt;

Ibid. II, 2, 22.

Quibús boni dédecoránt se.

Ibid. IV, 1, 3.

Quós penés mei fuít potéstas, bónis meis quíd foret ét meae vítae.

Terent. Eunuch. prol. 8.

Ex Graécis bónis Latínus fécit nón bonas.

De adverbio *bene* nulla fuit unquam dubitatio, quin sit plerumque monosyllabum. Porro huc trahendae sunt pleraeque formae disyllabae *volo*, ut Captiv. II, 1, 41.

Quando íd quod vóles habébis.

Bacchid. I, 1, 50.

'Vbi tu lépide vóles tibi ésse, méa rosá, mihi dicito.

Captiv. II, 2, 93.

Quí tua, quaé tu iússeris, mandáta ita út velis, pérferat.

Eodem loco censendae sunt formae adiectivi *malus* et adverbium *male*, quae omnes saepe sunt monosyllabae; *domus* cum derivatis suis, ut *domi* Mil. II, 2, 98.

Nón domist, ábiit ámbulatum, dormit, ornatur, lavat.

domo Mil. IV, 2, 7.

Dómo si illaéc clam húc transíbit, quae húius cúpiens córporist.

Adde Captiv. prol. 21. Porro vocabula *fores*, *foris*, *foras* haud raro sunt monosyllaba, ut Poen. V, 5, 4.

'Ipse abiít foras, mé relíquit pro átriénsi in aédibus.

Mil. IV, 1, 39.

Vénus me amát. St, áperiúntur fóres; concéde huc clánculum.

Trin. II, 2, 1.

Quo íllic homo fóras se penetrávit ex aédibus.

Stich. IV, 2, 17. 18.

Quíd forás? Foras hércle véro. Quí, malum tíbi lassó lubet
Fóris coenáre?

Praeterea aliae quaedam sunt voces disyllabae, quae saepe in unam syllabam coire inveniuntur, ut *dedi* cf. Captiv. II, 3, 4.

Nam ego te aéstumátum huic dedi vígintí minis;

Ibid. III, 2, 12.

Dedi Tyndaro; ílle abiít domúm; inde íllicó praevórtor;

nisi forte utrobique pro pyrrhichio accipiendum est *dedi*. Pertinet huc etiam vocabulum *miser* et quae inde derivantur formae, *miseria*, *miseritus*, aliaeque, quarum duae priores pro una syllaba saepe accipiuntur. *Heri*, adverbium, utrum sit monosyllabum nonnunquam, dubitari licet. Saltem Captiv. I, 2, 2. sic legendum videtur:

Herí quos émi dé praeda á quaestóribus;

si pro pyrrhichio est, plerumque scribitur *here*.

De diaeresi.

Synizesi opposita est *diaeresis*. Ea est duarum syllabarum pronunciatio talis, ut, quae in unam commode coeant, brevi priore, in duas longas distractae audiantur, ut *reii* pro

rei, *eii* pro *ei*, *fuvit* pro *fuit*, et aliae, quae voculae omnes per synizesim sunt monosyllabae, per diaeresim vero pro spondeis ponuntur. Mil. II, 1, 25.

Magnúi réii públicai grátia.

Mil. II, 3, 27.

'Iterum sí id vérum est, tu eíi cú.tos ádditus périeris.

Poen. prol. 110.

Quo génere gnáta, quí paréntes fúverint.

Rud. I, 3, 44.

Libera égo prognáta fúvi máxumé, nequídquam fúvi.

Simili modo *huic* et *quoi* in duas syllabas distractae si pronunciantur, pro spondeis veniunt, ut Rud. prol. 39.

Huíic filíola vírgo périit párvola.

Asin. prol. 10.

Dicám; huíic nómen Graéce Onágost fábulae.

Bacch. II, 2, 47.

Domist non métuo, néc quoiíquam súpplico;

nisi forte scribendum: *nec ego quoiquam súpplico.* Nam reliqua exempla quae adducuntur a Fleckeisenio in Exercitt. Plautt. pag. 36. satis incerta sunt. Magis certum est quod legitur Menaech. V, 5, 30.

Pérdormisco, sí resólvi argéntum, quóii débeo.

Larua nunquam aliter apud Plautum, nisi trisyllabum invenitur Cf. Merc. V, 4, 20. 22. Cf. quae dixi ad Captiv. III, 4, 66. *Relicuus* non aliter nisi tetrasyllabum obviam est apud Plautum atque Terentium, quanquam non dubium est, quin a verbo *linquo* sit derivandum. Contra *loquor*, *sequor* et alia huiusmodi verba cum derivatis nunquam per diaeresim proferuntur, ut nuper visum est Brixio in Quaestt. de Pl. et Ter. prosodia pag. 16.

Genitivum priscum primae declinationis *aquai*, *familiai*, *filiai*, *comoediai*, *terrai*, *silvai*, *publicai* non magis ad diaeresim referam, quam formas verbales *emsim* pro *emerim*, *faxim* pro *fecerim*, *faxem* pro *fecissem*, *obiexim* pro *obiecerim*, *iniexe* pro *iniecisse*, *dixe* pro *dixisse*, *dixti* pro *dixisti*, *promisti* pro *promisisti*, *immersti* pro *immersisti* Bacchid. IV, 4, 26. *discesti* pro *discessisti*, *recesset* pro *recessisset*, *advexe* pro *advexisse*, *conscripsti* pro *conscripsisti*,

devinxsti pro *devinxisti*, *emunxsti* pro *emunxisti* Mostell. V, 1, 60. *sensti* pro *sensisti* pro synizesibus habeam, quas syncopatas verborum formas partim accentui, partim priscae coniugationi tribuendas esse puto.

Diaeresi quoque adnumeranda est formula *nunc iam* quae apud Plautum et Terentium non aliter nisi tribus syllabis profertur. Cf. Brix. in libello de Pl. et Ter. prosodia pag. 45. seqq. ubi qui in dubium vocatur locus Plaut. Captiv. II, 2, 16. sic est legendus:

Núnc senéx est ín tonstrina; núnc ĭ ám cultrum áttinet.

Similique modo fortasse etiam nonnunquam *hunc ĭam hinc ĭam* et *dehinc ĭam*, et nisi fallor *hic ĭam* apud Plautum pronunciandum est. Cf. Brix. pag. 50. et quae ego notavi ad Captiv. III, 5, 91. — *Siem*, *sies*, *siet*, *sient* diaeresi debentur, nunquam tamen aliter ponuntur, nisi ut prior syllaba semper in thesi lateat. — *Dierecte* et *dierectus* utrum diaeresi debeantur, an ex *di-e-rectus* composita, dubitari licet; tribus syllabis nunquam videtur posse pronunciari, quod ubi fit, scribendum *directus*. Saltem Mostell. I, 1, 8. sic pronunciandum puto:

Abi rús, abi díerécte, abscéde ab iánua.

Coena, *coenare*, *coepit* aliquoties apud Plautum per diaeresim proferenda esse, Weisii est sententia, qua in re fallitur ille magnopere. Nunquam ita fieri et ratio ipsa evincit, et diligentior locorum consideratio docet.

Instituvi pro *institui*, *constituvi* pro *constitui*, per diaeresim aliquoties apud Plautum poni, disputavi ad Plauti Amphitr. IV, 3, fin. Adde Pseud. I, 5, 136. qui versus sic est legendus:

Quin rús ut írem, iám heri cónstitúveram.

Posivi vero non est diaeresis, sed prisca coniugationis forma, a verbo *posino*, *posivi*, *positum*, unde postea per syncopam factum *posno*, pro quo in usu remansit *pôno*. Ceterum apud Plautum nulla alia perfecti forma inveniri videtur, nisi *posivi*, de qua re cf. Kampmannus V. Cl. in Annott. ad Rud. pag. 23., quod h. l. obiter monemus.

Hic etiam occurrendum est quorundam virorum doctorum opinioni, qui pronomen relativum *qui quae quod* eiusque formas derivatas ita per diaeresim proferri posse existimant, ut

q et *u* separatim audiantur. Quod nunquam factum esse apud Plautum, quovis pignore posito contenderim. Quare Rud. I, 3, 33. legendum:

Quaé mihi spés est qua mé velim vívere;

qui versus est creticus. Bacch. II, 3, 65.

Quoniám vidémus aúro insídias fíeri;

ubi vulgo male *vidimus*, quare fuerunt, qui *quoniam* tetrasyllabum esse existimarent.

De enclisi.

Accentus quoque inclinatio quanquam magis ad pronunciandi consuetudinem et verborum struendorum rationem spectat, habet ea tamen nonnihil momenti in prosodia quoque scenica. Nam quum, ut supra ostensum est, scenici poetae atque actores vulgi plerumque pronunciationem sequerentur; non est mirandum, accentum quoque verborum ad vulgi consuetudinem esse accommodatum inque ea re inclinationem quandam non inauditam fuisse. Atque huius inclinationis exemplum non dubium obviam est in vocula *quidem*, quae et nunquam praeponitur enunciato, sed uni aut pluribus verbis postponitur, et apud Plautum atque Terentium saepe pro monosyllaba est et non raro sequente vocali tota eliditur, sive cum sequente voce coalescit. Rud. I, 1, 3.

Ne dórmiéntes quídem sinúnt quiéscere.

Trin. I, 2, 20.

Dum quidem hércle técum núpta sít, sané velim

Terent. Eunuch. I, 1, 5.

Si quidem hércle póssis, níl priús, neque fórtius.

Curcul. I, 3, 55.

Si quidem herclé mihi régnum détur, núnquam id pótius pérsequar.

Terent. Andr. I, 3, 20.

Mihi quidem hércle nón fit vérisímile, atque ipsis cóm-mentúm placet.

Trin. II, 4, 158.

Meus quidem hércle núnquam fíet. Sí sapiés quidem;

ubi tamen omittendum censui prius *quidem*, quod saepe additum a librariis suspicor. Trucul. II, 6, 54.

Quíne etiámnum insúper adducas, quae mihi comedint cibum?
Hóc quidem si hércle ingrátumst, cédo tu mi ístam, púere, pérulam.

Poen. V, 3, 46.

Ego quidem meós amóres mécum cónfidó fore;

nisi forte h. l. *quidem* omittendum. Poen. prol. 122. sic legendum est:

Et húnc sui frátris filium, út didici quidem.

Eiusmodi inclinationem passae interdum videntur voces monosyllabae tantum non omnes, maxime vero pronumina personalia, in quibus etiam quaedam disyllaba. Itaque legitur apud Terentium Andr. I, 5, 5.

Miserúm me, quód verbum aúdio!

Similiter apud Plautum Trin. II, 4, 50.

Mearúm me rérum nóvisse aequómst órdinem.

Atque ita *proptér me* Captiv. III, 5, 44.. *apúd me* Mil. II, 6, 112. *pratér me* Mil. IV, 8, 60. *ergú te* Trin. III, 1, 19. *praetér te* Captiv. III, 4, 58. *propter te* Captiv. III, 5, 88. *apúd te* Mil. V, 43. *ergá te* Ibid. III, 2, 42. *intér se* Captiv. II, 3, 60. *praetér se* Captiv. III, 4, 48. *intér se* Mil. II, 1, 61. ibid. V, 40. *intér eos* Trin. III, 1, 13. *intér eas* Terent. Hecyr. I, 2, 103. 105. *intér se* Terent. Hec. I, 2, 117 *apúd vos* Terent. Hec. II, 2, 12. 27. Poen. prol. 62. *intér ĭllud* Stich. V, 3, 6. *intér nos* Poen. I, 3, 31. Magis vero memorabile est, alias etiam voces monosyllabas ita saepe accentu inclinato reperiri, ut Terent. Hecyr. I, 2, 119.

Habés omném rĕm; pérgam quó coepi hóc iter.

Ibid. III, 2, 15.

Omném rĕm núrrabit, sció, continuo sóla sóli.

Ibid. V, 2, 21.

Ob eám rĕm vin ergo introeam?

Terent. Phorm. I, 2, 19.

Cui tánta erát rĕs ét supérerat? désinas.

Censeo vero, tum demum *res* et *rem* enclitica esse posse, quando non rem quandam distincte notatam, ut *rem militarem*, *rem familiarem*, *rem scenicam* et similia, significet, verum quando generalem habeat notionem, ut si *res omnis*

pro v. *omnia*, *haec res* pro *hoc*, *quare* pro *cur* ponatur. Quapropter in versu Terentiano statim citato Phorm. I, 2, 19 scripserim:

Cui tánta rés erat ét supérerat, désinas.

Sed haec satis disputata sunto. Ceterum quaestio de vetere prosodia, h. e. de prosodia Plauti et Terentii quanquam tempore proxime superiori non pauci scripserunt et multa satis recte animadversa prodiderunt; non pauca restant tamen, quae nondum ad liquidum sunt perducta et vix unquam perducentur. Sperandum tamen est fore, ut virorum doctorum diligentia ac sagacitas in hoc quoque genere studiorum antiquitatis operae pretium indies maius faciat et multa adhuc ignorata in lucem provocet.

ADDENDA ET EMENDANDA.

Pag. 8. lin. 14. ab imo pro vv. *esse inscriptionibus* lege: *ex inscr.*
— 14. — 9. a sup. pro *si intús* lege *si intús* sine ictu priore.
— 18. — 20. ab imo pro *particula* lege *particulam.*
— 20. — 15. — pro *carne subula* lege *carne suilla.*
— 21. — 5. a sup. De hoc versu vide quae disputavimus in libello de prosodia Pl. pag. XVIII.
— ead. — 21. pro v. *acatalectici.* lege *acatalecti*, quod mendum aliquoties repetitum est.
— 23. — 3. a sup. De hoc versu cf. quae dixit *Kampmannus*, V. Cl., in dissertatione de AB praep. usu pag. 22. et quae nos diximus in libro de prosod. Pl.
— ead. — 10. ab imo pro *scriptum* lege *scriptus.*
— 25. — 10. a sup. pro *Atque uti* lege *Atque ut.*
— 26. versu 16. De hoc versu vide quae dixit Brixius in libro: De prosodia Plauti et Terentii pag. 49. et quae nos diximus in libello de prosodia Plauti. Scribendum videtur: *nunc iam cultrum attinet.*
— ead. lin. 22. a sup. pro *responderat* lege *respondet.*
— 32. De versu 76. cf. Brixius in libello citato pag. 33. Scribe: *Scío ego, múltos iám lucrum hómines lúculéntos réddidit.*
— 33. lin. 7. — pro vv. *hominúm es homo* lege mutato ictu *hominum és homo.*
— 35. — 3. a sup. pro *locutionem* lege *locationem.*
— 37. — 13. a sup. pro *Atte atque ad illum scribe Ad te atque a. i.*
— 39. — 19. ab imo pro *rure* lege *ruri.*
— ead. — 10. — — pro numeris 51. lege 53.
— 46. — 1. in imo marg. pro *oculicrepidae* l. *collicrepidae.*
— 47. versum 29. sic scribendum puto:
'Omnes dé compácto rém agunt, quási in Velábro oleárii,
quanquam V. C. exhibet: *compacto*, sine praepositione.
Pag. 52. linn. 26. 32. 35. lege *acatalectus*, *acatalectus*, *acatalecti*, pro *acatalecticus*, *acatalectici.*
— 58. lin. 20. a sup. pro *larua* lege *laruatus.*
— 64. — 1. in imo m. Quae ibi dixi de ablativo *Acherunti* sic sunt corrigenda, ut *Acherunti* potius intelligatur *casus locativus.*
— 65. — 1. a supr. De hoc versu cf. Fleckeisen. in Exercitt. Plautin. pag. 40.
— ead. — 4. a sup. pro *Vel interisse* lege *Vel te int.*
— 68. — 10. ab imo pro *ultima* lege *ultimam.*
— 71. — 13. — — pro *Aeviternam* lege *Aeviternum.*
— 79. — 15. a sup. post v. *unum* tolle comma.
— 80. — 15. ab imo pro *trochaeo* lege *tribracho.*
— 81. ad v. 107. cf. Fleckeisen. l. c. pag. 10.
— 82. lin. 10. a supr. pro *intelliguntur* lege *intelligantur.*
— 87. — 20. ab imo pro *verveceam.* lege *vervecea.*
— 90. — 23. — — pro *lapidicinis* lege *lapicidinis.*
— 97. — 19. — — pro *nuntiáre* lege *nunciáre.*

Pag. 98. lin. 1. in summo m. versum 5. nunc ita legendum existimo: *Arcéssit sérvus súum herum Athénis; écforat.*
— 114. — 1. in summo post vv. *Vt eum* commate interpungendum est, non semicolo.
— 116. — 3. a sup. pro *ne sis* lege *né sis* mutato ictu.
— 119. — 11. De lectione *sermoni suo* ita nunc indicaverim, ut formam hanc *sermoni* pro ablativo prisco habeam, quemadmodum saepe *igni*, *carni*, *furfuri* et similia ablativi sunt apud Plautum.
— 129. — 1. 2. in summo. Ad hos versus cf. quae dixit Ritschelius in prooem. Ind. schol. Vratisll. anni 1839 et Fleckeisen. in Exercitt. Plaut. pag. 39. qui posterior legendum suasit:

Sed paúcis vérbis té voló; Palaéstrio, óbscró te,
Unde éxit haéc? Vnde nísi domó? Domo? Mé vidé, Te video.

Quae emendatio magnopere placet.

Pag. 130. De versu 41., quemadmodum de tota hac scena, cf. Ritschelius in praefat. ad Ind. scholar. Vratisl. anni 1839. Is hunc versum ita scriptum dedit:

Heus; hércle, praésens sómniúm; ubi íntro et cómprecáre.

— ead. v. 46. pro *ubi est*, Ritsch. *ubi ubist*, quod non probo, quum Codd. exhibeant *ubisset*, quod nihil est, nisi *ubist.*
— ead. v. 50. 51. sic scribuntur a Ritschelio:

Men eám non vidisse árbitrás? Ne tu hércle séro, opínor
Resipísces. Si ád herum dévenát haec rés, períbis púlcre.

Hermannus vero, solis Cod. Ambrosiani vestigiis inhaerens, apposito versu, cuius reliquias servavit idem Codex:

Sc. Hanc quam óculis vidi egomét meis, eam quód vidisse cérto
Scio, hóc non vidisse árbitráris? Pa. tu hércle séro, opínor,
Resipísces. ád erum si áliquid húius vénerít, períbis;

quae; ut recte monuit Ritschelius, non ab omni parte possunt probari.

Pag. 138. lin. 2. a sup. pro *núnc intust* lege *íntust nunc.*
— 139. — 7. — — pro *Nisi mihí* lege mutato ictu *Nisi míhi.*
— 142. — 15. a supr. pro vv. *At tibi di faciant bene* Fleckeisen. p. 19. legendum censet: '*At di tibi faxint bene.*
— 143. — 1. in summo. Ibi delenda est personae *Sc.* nota. Multo tamen rectius scribendum existimem versibus transpositis:

Neu víderis, quod víderis. Sc. Bene mé mones
Numquid nunc áliud mé vis? Pe. Ne me nóveris.
Sc. Ita fácere cértumst. Séd satin óratú's? Abit.
Dedit hic mihi vérba.

— ead. lin. 25. ab imo pro *ut aliae, et* lege *et aliae, ut.*
— 150. — 3. a supr. Cf. Brix. l. c. p. 31. qui scribendum censet: *méd uti volo libere*, quod non probo.
— 152. — 3. ab imo pro vv. *Tum, quam mittunt munera* cett. totus locus sic scribendus est: *Tum pro vv. qui mihi mittunt munera* Codd. Pall. *quam mittunt m. Vulgo quin mihi m. m.* — *Ad exta* cett.
— 155. De versu 141. cf. Brix. l. c. pag. 149. qui ita scribendum existimat:

Quique vitúperet. Núnc iam ístis rébus desisti decet.

— ead. lin. 16. ab imo pro *exspatiati* scribe *exspaciati.*
— 157. — 3. — — pro *complectionis* lege *completionis.*
— 168. ad v. 23. cf. quae dixi in prosodia Plauti pag. XVI. ubi legendum esse conieci: *lepide hercle ornata incedit.*

Potest tamen etiam scripsisse videri Plautus: *lepido hercle ornatu incedit.* Cf. Mil. IV, 7, 3. *Me amóris caússa hóc ornútu incédere.*

Pag. 179. lin. 8. 9. a supr. pro vv. *iam tandem ades illico* fortasse legendum: *tandem illico adesdum.*

— ead. — 13. — pro vv. *at te missa est* scribe *ád te missast.*

— ead. — 6. ab imo pro v. *Disyllabum* scribe *dis.*

— 180. — 2. a supr. in verbis Plauti post v. *quisquam* tolle comma.

— ead. versu 64. pro vv. *Age, mi Achille* lege mutato ictu *Age, mi Achille.*

— ead. lin. 26. ab imo pro numeris 52 lege 50.

— 181. — 16. — — pro *spectarat* lege *spectacit.*

— 183. — 7. a supr. lege hoc ordine: *Quam própter mi óperast.*

— 185. — 8. lege mutato ictu: *Tu modo istuc cura.*

— 192. — 12. a supr. pro vv. *quia te adiit.* Fleckeisen. pag. 40. legendum suadet: *quia adit ad te.*

— ead. — 15. ab imo pro *Similia* lege *simili.*

— 196. — 10 a supr. pro *Múlier* mutato ictu lege *Mulíer.*

— 197. — 14. — — pro *si a mare*, mutato ictu lege *si á m.*

— ead. — 22. — — pro *iubes* fortasse legendum *iube.*

— 199. — 13 ab imo, pro v. *labellis* lege *labris.*

— 204. — 2. a supr. Quae ad hunc versum a me notata sunt de significatione adverbii *numero*, nuper evertere conatus est Fleckeisen. in Exercitt. Plaut. pag. 17. secutus ex parte Müllerum ad Festum pag. 388. Comparatis locis omnibus apparere videtur, *numero* significare *nimis mature, prius quam opus est, citius quam res fert*, opponique hac significatione adv. *sero*, quod est *tardius quam est opus.* Nam falsissima est Fleckeiseni sententia, qua *numero* significare vult idem quod nimium, qua in re non est assecutus Mülleri sententiam. Idem quam de originatione adv. *oppido* tulit sententiam, aliquando, credo, mutabit, si diligentius rem consideraverit. Superiora si vera sunt, locus ille Plauti Mil. V, 7. sic scribendus erit:

Py. Périi. Ca. Haud etiam; númerо hoc dicis. — Iámne in hóminem involo?

ubi *haud etiam*, ut saepe ponitur eadem vi, atque *nondum.*

Pag. 206. lin. 4. a supr. pro *prosecta* lege *profecta.*

— 213. — 9. a supr. Pessime hunc versum scribi vult Fleckeisen pag. 36. in hunc modum:

Dedi ei gnatám meám, quicum aetatem éxigat;

qui numeri sunt perversissimi.

Pag. 216. lin. 9. a supr. Hic versus ex Cod. Ambrosiano ita scribendus est:

Tui béne voléntis, sí ita es, út ego té volo.

— 217. — 4. a supr. alterum *bene* ex Cod. Ambr. delendum est, versusque ita scribendus:

Bene hércle est, illam tibi valére et vídere.

— ead. — 14. pro vv. *haud scies* ex Cod. Ambr. legendum: *haud nescias*, hoc sensu, ut sit *certo comperias.*

— 223. — 5. ab imo, ante vv. *veluti apud Horatium* addenda verba: *Sed recentiores etiam de commoratione in loco.*

Pag. 230. lin. 17. ab imo pro *fecit* lege *ferit*.
— 231. — 10. a supr. ictuum notae sunt omissae, quae ita sunt ponendae:
Súnt tamen quós miserós male hábeas, quós tibi obnoxiós fecisti.
— ead. — 7. ab imo pro *devortium* lege *divortium*.
— 235. ad versum 42. cf. Brix. de prosodia Pl. et Terent. pag. 5. Adde quae diximus in libello de prosod. Plauti pag. XXVI.
— 236. lin. 9. pro *si tu non nevis* lege *nisi tu non vis*. Cf. Brix. l. c. pag. 20.
— 240. lin. extr. in imo margine. Ad ea, quae ibi disputata sunt de v. *Eccere*, cf. Fleckeisen. l. c. pag. 48. et Müller. ad Festum p. 78.
— 241. lin. 18. a supr. Ad ea, quae ibi dixi de correptione praepositionum *in*, *con*, *ad* ante consonas positarum, cf. quae dixi in prosodia Plauti pag. XXVI.
— 251. — 15. a supr. Versus 159. ex Brixii sententia pag. 42. sic est legendus:
Lepide hércle ego hóc agro húnc seném detérrui.
— 253. lin. 7. a supr. Versus 193. sic est legendus:
In ámbiguóst nunc étiam, quid de hac ré fuat.
— 255. lin. 12. ab imo pro *exposuit* lege *reposuit*.
— 258. — 6. a supr. Versus 26. ex libro Ambrosiano sic est legendus:
'Atque istum égo agrum tíbi relínqui cett.
cf. Brix. l. c. pag 42.
Pag. 258. lin. 14. versus 33. legendus est:
Et tibi nunc, proinde ac merere, summam habeo gratiam.
cf. Asin. I, 2, 17. ubi metrum ostendit, legendum esse:
'Atque ea si erant mágnam habébam ómnibús dis grátiam.
Pag. 258. lin. 4. ab imo pro *Sarciunt* lege *Sarriunt*.
— 259. lin. 5. a supr. Scribit Brix. l. c. pag. 12. in Cod. Ambr. versum 39. sic esse scriptum:
Pérnovi équidem, Lésbonice, ingénium tuum íngenium ádmodum:
ubi sine dubio pro priore v. *ingenium* scriptum voluit *ingenuum*.
Pag 259. lin. 6. a sup. pro *duo* lege *duae*.
— 260. — 3. a supr. post v. *genus* non puncto, sed commate interpungendum est.
— 261. — 11. ab im. pro *analogium* lege *analogiam*.
— 269. — 13. a supr. non *úsque*, sed *usqué* legendum.
— ead. — 25. ab imo pro *sententia* lege *sententiae*.

C A P T I V I.

FABVLAE INTERLOCVTORES.

Ergasilus, parasitus.
Hegio, senex.
Lorarius, servus.
Philocrates, }
Tyndarus, } Captivi.
Aristophontes, }
Puer Hegionis, cellarius.
Philopolemus, filius Hegionis.
Stalagmus, servus.
Grex.

ARGVMENTVM.

Hegio, Aetolus, homo praedives, duo habebat filios, quorum alter quadrimus a servo perfido ac fugitivo surreptus, in Elidem translatus ibique venundatus erat; neque per longam annorum seriem, quid eo factum, pater resciscere potuit. Multo post, quum forte bellum inter Aetolos et Elienses esset, alter Hegionis filius, Philopolemus, natu maior, ab Eliensibus capitur. Quum vero etiam Aetoli multos cepissent Eliensium, Hegio servorum mercatum salubri consilio exercere instituit, quo posset filium suum commutando fortasse redimere ab Eliensibus. Igitur multos commercatur captivos, sperans, fore, ut in numero eorum nobilem aliquem reperiat, pro quo filium suum recuperet.

Ab hoc inde loco in scena agi fabula incipit. Inter captivos istos, quos Hegio commercatus erat, forte fuit Philocrates, summo in Elide genere ortus, qui cum servo suo Tyndaro, item captivo et ab Hegione emto, in scenam procedit. Philocrates autem, quo citius ex servitute liberaretur et in patriam rediret, cum Tyndaro, servo suo fidelissimo, nomen et vestem mutaverat, seque servum, illum dominum suum Hegioni nominaverat. Ita factum, ut, quum Hegio consilium suum exsequi vellet et servum Tyndarum hac mente in Elidem ad commutandum filium mitteret, Philocrates mitteretur. Mox accidit, ut alius captivus, quem eundem emerat Hegio, rei ignarus, Tyndarum proderet et Hegioni fraudem factam ostenderet. Quo facto senex, quippe amisso Philocrate de spe filium recipiundi deiectus, ira effervescens Tyndarum in vincula coniectum in lapicidinas abduci iubet. Sed non diu res in suspenso est. Redit Philocrates et secum Hegionis filium Philopolemum, e servitute liberatum, adducit, simulque Stalagmum, servum illum fugitivum ac furem, qui Hegionis filium quadrimum surripuerat et in Elide patri Philocratis vendiderat. Inde arcessitur Tyndarus, sed ante, quam is advenit, fit palam, ipsum Tyndarum esse istum Hegionis filium, olim quadrimum surreptum. Itaque agnitus Tyndarus in familiam restituitur. Stalagmus autem pro Tyndaro vinculis constringitur, atque ita omnia laetum ex insperato inveniunt exitum.

CAPTIVI.

ARGVMENTVM ACROSTICHVM.

Captúst in pugna Hégionis filius.
Aliúm quadrimum fúgiens servus véndidit.
Patér captivos cómmercatur 'Alios,
Tantúm studens, ut gnátum recuperét suum,
Et ín ibus emit ólim amissum filium.
Is, suó cum domino véste vorsa ac nómine,
Ut ámittatur, fécit; ipsus pléctitur.
Et ís reduxit cáptum et fugitivúm simul,
Indício quoius álium agnóscit filium.

Captivi. Sic inscribendam esse hanc fabulam, non *Captivi duo*, ut olim fuere viri docti qui iuberent, nuper docuit Angelus Maius e Codice Plauti palimpsesto, in quo etiam *Captivi*, non *Capteivei* scriptum exstat. Antiquam scripturam *Capteivei* propterea a poeta argumenti acrostichi praeoptatam esse iudico, quia sic longius ad expositionem argumenti spacium fieret.

Argumentum acrostichum. Haec argumenta olim ferebantur a Prisciano composita. Ea antiquiora esse Prisciano atque fortasse ad ipsa aureae aetatis tempora pertinere, sermonis elegantia docet. Ab ipso Plauto profecta esse opinatus est Lingius in libello de hiatu in versu Plautino, de quo tamen vehementer dubitamus. Sane multae insunt Plautinae elegantiae, sed inde ortae, quod argumenta illa plerumque Plautinis verbis sunt composita atque ex meris constant Plauti centonibus, maximam partem e prologo cuiusque fabulae desumtis. Scite tamen et eleganter hi ipsi centones sunt consarcinati, quamquam propter necessitatem acrostichorum oratio interdum est manca et imperfecta. V. 1. *In pugna Hegionis.* Hiatus legitimus, quem evitare studentes quidam olim scripsere editores: *Captus fuit in pugna*, vitiosum inde oriri numerum non sentientes. V. 2. *Alium* pro *alterum.* Hanc huius vocis notionem, raram quidem, apud ipsum tamen Plautum inveniri, alii viderunt. Contra vicissim *alter* pro alio quovis saepe poni, maxime apud Plautum, multi notarunt, e quibus videndus est Wagner. ad El. ad Mess. p. 43. et 73. et Lingius de hiatu in vers. Plaut. p. 57. V. 3. *Alios* pro Eliis sive Eleis sive denique Eliensibus dorica forma. Elienses enim ipsi, quippe Peloponnesii, Dorice loquebantur. Cf. Welcker *Ueber das Satyrspiel* pag. 190. V. 5. *Ibus* prisca forma ad tertiam declinationem flexa, pro *eis.* Videntur enim pronomina *is* et *qui* antiquitus et ad secundam et ad quartam declinationem declinata esse. V. 7. *Ut amittatur.* Videlicet dominus. Oratio imperfecta est et obscura. Fortasse legendum: *Ut ille amittatur.* Ceterum *amittere* pro *dimittere*, ut *ablegare*, Plauto et Terentio frequens. Cf. Terent. Phorm. I, 2, 91. et saepe alibi. De tempore cf. Milit. Gl. II, 1, 53. et Trin. prol. 15. V. 9. *alium* pro altero, ut modo diximus.

PROLOGVS.

Hos quós videtis stáre hic captivós duos,
Illí quia astant híc, stant ambo, nón sedent.
Hoc vós mihi testes éstis me verúm loqui.
Senéx, qui hic habitat, Hégio est, huiús pater.
Sed ís quo pacto sérviat suo síbi patri,
Id ego híc apud vos próloquar, si operám datis.
Seni huíc fuerunt fílii natí duo,
Aliúm quadrimum púerum servus súrpuit,
Eumque hínc profugiens véndidit in 'Alide
Patrí huiusce; — iam hôc tenetis? óptimumst.

Prologus. V. 1. *Hos quos videtis.* Qui *Vos quos videtis* scripserunt, structuram non intellexerunt. Ea talis est, qualis illa apud Terentium Eunuch. IV, 3, 11. *Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit;* qualisque illa apud Virg. Aen. I, 574. *Urbem quam statuo, vestra est.* Est autem frequentissima et notissima Graecae attractionis forma, de qua nemini dubium, qui syntaxin Graecam vel primis labris tetigit. Propter hanc rationem in seqq. non potest legi: *hi stant,* quia accusativo indicatam personam nominativo repeti et supervacaneum et absonum erat. — Ceterum quaeri possit, cur hic iam Captivi introducantur, cum mox recedant et initio demum actus secundi in scenam redeant. Caussa haec videtur esse, quia poetae omnibus modis id agendum erat, ut spectatores discerent et probe tenerent, uter Philocrates, uter Tyndarus esset. Nomen enim et vestem mutarant.

V. 2. *Illi quia astant hic* — Sic legi tutissimum esse putavimus. *Illi* voluerunt pro *illic* positum esse, sed rectius struitur: *quia illi hic astant. Quia astant.* V. C. exhibet *qui astant.* Hermannus legendum censuit: *Illi quia astant, hi stant* cett. Non putavimus *astant* mutandum esse. Sic enim Milit. Glor. II, 4, 5. *ubi astas* pro *ubi stas.* Ceterum risum captavit Comicus ex absurdo et est figura, quae Graecis dicitur παρὰ προςδοκίαν, Latine *sustentatio.*

V. 3. *Hoc vos mihi testes.* Vulgo: *Vos, vos mihi testes.* Sed nulla est ratio, cur hic repetatur tanta cum emphasi pronomen. *Hoc* est accusativus, ad sequens *verum* referendus.

V. 8. *Alium.* Vulgo *alterum.* Sed certo certius est, Plautum posuisse *alium;* sic enim in argumento acrosticho non esset scriptum, nisi ita scripsisset poeta. Idem reponi voluit Acidalius. *Surpuit* per syncopam accentu verbi adiutam. Vide quae de vetere prosodia huic editioni praemisimus.

V. 9. *Vendidit in Alide.* Syllabae ultimae in *vendidit* productio excusationem habere possit a sequente nomine proprio. Sed non opus est hac excusatione. Eodem modo Terent. Adelph. Prol. fin. *augeat industriam;* ubi audacissima est Bentleii coniectura. Adde Trin. III, 3, 60. Cf. de hac re Lingius de hiatu in v. Pl. p. 49. Ceterum de syllabis brevibus in fine vocabulorum productis cf. quae diximus in Pros. vet. *Patri huiusce.* Hiatus, quamvis non frequens, et excusari potest, nec est sine exemplo.

V. 10. *Iam hoc tenetis?* Iocose spectatores in colloquium evocat et deinde, tanquam illi consensissent, pergit: *optimumst.*

Negat, hércle, illic últimus. — Accédito!
Si nón ubi sedeas lócus est, est ubi ámbules,
Quando hístrionem cógis mendicárier.
Ego mé tua causa, ne érres, non ruptúrus sum.
Vos quí potestis ópe vestra censérier,
Accípite relicuom; álieno uti níl moror.
Fugitívus ille, ut díxeram ante, huiús patri,

At statim post non omnes consentientes habuisse fingit; spectatorem enim aliquem de ultima cavea sibi acclamare, *non intellectum*. Inde eum accedere prologus, et, si non propius sedendi locum inveniat, tecte eum discedere iubet. Sic enim Lambinus exponit: *si non est locus in cavea, ubi sedeas, alius est extra caveam, ubi ambules.* Sed non sine caussa quaerit *Rostius*, in Plautinor. Cuped. Ferculo I. *quorsum* accedere voluerit spectatorem istum prologus. *In scena enim aut proscenio non nisi actoribus versari licebat; loca vero, unde spectarent, cum antea pro civium ordinibus discreta non essent, hoc ipso tempore, quo Plauti fabulae doceri coeptae sunt a. u. c. 559. ex Africani maioris sententia inter senatum et populum divisa fuisse Valerius Maximus II, 4. memoriae prodidit.* Igitur *abscedito* scribendum proponit Rostius. In voce *ultimus* ob maiorem interpunctionem et pausam interpositam ultima producitur, neque est praetereundus hiatus in *hercle*. Hermannus scribendum censet: *Patri huíusce. Iam hoc tenétis? Aiunt; óptumumst. Negás? Negat hercle ille últimus. Accédito.* Sed videantur, quae de hiatu diximus in Pros. Vet.

V. 13. Inhumanitatem istam prologus excusat additis: *quando histrionem cogis mendicarier.* Explicant hoc ita. Histrio, cui obstrepitur, vocem plerumque obtundit clamando. Ravi autem contracta exsibilatur, atque ita arte histrionica deserta cogitur mendicare. Simplicius tamen esse videtur hoc: quoniam histrionem mendici instar, qui ostiatim circumeundo vitam tolerat, singulorum cogis spectatorum assensum et favorem exorare, et quasi ostiatim circumeundo interrogare, an unusquisque recte intellexerit. *Mendicarier* insolens est forma, sed citatur a Nonio ex Plauti Vidularia p. 138. *Malim moriri meos quam mendicarier.* Est autem plane Graecorum πτωχεύεσθαι. Non enim *mendicare* simpliciter notat, sed *sibi mendicare.* Cf. Radlof. de verbis irreg. et depon. p. 64. *Tua caussa.* Male Lambinus: propter tuum strepitum. Potius hoc sibi vult prologus: ea de caussa, ut tu, qui in extrema cavea stas, fabulae argumentum intelligas.

V. 15. *Vos qui potestis.* Oratio ad Quirites, qui in censum venire possunt. *Ope vestra* i. e. opibus vestris. Vos igitur, qui tantum possidetis, ut censeri possitis. His tecte ostendit, eum, quem antea obiurgaverat, e proletariorum aut servorum numero fuisse. Nunc vero se ad cives convertit eorumque favorem ambit.

V. 16. *Accipite relicuom.* Reliquam argumenti partem cum aere alieno comparat. Ludit igitur in ambigua significatione vocabuli *relicuom*, quod coniunctum cum verbo *accipite* refertur ad id, quod est reliquum de argumento. Sed quae sequuntur, ita continuantur, ac si *reliquum* illud aes alienum vel debitum significaret. Sic recte Gronovius. Cf. Cistell. 1, 3, 40. *Nunc quod relicuom restat, volo persolvere, Ut expungatur nomen, ne quid debeam.*

Domo quém profugiens dóminum abstulerat, véndidit.
Hic póstquam hunc emit, dédit eum huic gnató suo
Pecúliarem, quía quasi una aetás erat.
Hic núnc domi servit suó patri, nec scít pater.
Enimvéro Di nos quási pilas hominés habent.
Ratiónem habetis, quómodo unum amíserit.
Postquám belligerant Aétoli cum 'Aliis,
Ut fít in bello, cápitur alter fílius.
Medicús Menarchus émit ibidem in 'Alide.
Coepít captivos cómmercari hic 'Alios,

V. 20. Fugitivus ille servus, Stalagmus, filium Hegionis quadrimum surreptum in Alide patri alterius ex illis captivis vendiderat; emtor filio eum suo peculiarem addidit, quia eadem fere aetate erant. *Peculiaris servus* est, qui ad proprium alicuius peculium pertinet, qui personae alicuius proprius et veluti addictus est. *Peculium* enim significat eam bonorum partem, quam pater filio, vel dominus servo separatam a suis rationibus utendam fruendamque permittit. Sic *ancilla peculiaris* legitur Mercat. III, 1, 26. *Quasi* idem quod *fere* apud Plautum saepissime. Aliquoties etiam apud Terentium, veluti Heaut. I, 1, 93. *Quasi talenta ad quindecim coegi.*

V. 21. Hic igitur filius olim quadrimus surreptus nunc domi servit patri suo, postquam cum domino, cui peculiaris erat, bello captus et a patre Hegione emtus est una cum hero. *Domi* monosyllabum. *Enimvero* gravem habet affirmationem cum significatione nexus caussalis: *denn wahrlich.* Sic apud Terent. Andr. I, 1, 64. *Enimvero spectatum satis putabam.* Fere idem est *at enim.* *Di nos quasi pilas habent.* Ita nobiscum agunt, uti homines cum pilis, quando ludunt; ita Dii ad arbitrium suum nos huc et illuc iactant. Appositum est illud Graecorum proverbium: θεῶν παίγνια ἄνθρωποι.

V. 23. Sic alterum e filiis perdidit Hegio. Nam etsi iam ad patrem redux factus erat, tamen eius rei ignarus pater perditum credebat. Cum vero bellum illo tempore inter Elios et Aetolos esset, alter filius, natu maior, in pugna capitur, atque in Elide venditur Menarcho medico, Eliensi. *Ibidem* ubi prior venditus. Hiatus in verbis *cum Aliis* non offendit; cui qui mederi vellent, scripsere initio versus *posteaquam.* Magis offendit accentus in *Aétoli*, qui si vitiosus, medicina facilis parata, transpositio: *Posteáquam Aetoli belligerant cum Aliis.* Sed Graecus accentus eam, quae huius est loci, pronunciationem vocabuli adiuvare videtur: Αἰτωλοί.

V. 27. Iam pater Hegio, amisso utroque filio, ut unum tamen recuperaret, servorum mercatum instituit, captivosque Elienses commercari coepit, si forte inveniret aliquem domi nobilem, quo posset filium suum mutare. *Qui mutet suum* h. e. pro quo suum accipiat. V. C. Cam. *cum quo;* sed vide infra I, 1, 33. et I, 2, 73. *Hunc suum* filium, quem quadrimulum olim surreptum, nunc inscius captivum emerat. Sed narrat post demum prologus, quomodo illum minorem filium insciens Hegio receperit: *et quoniam audivit — emit hosce* cet. Non igitur dubium mihi esse videtur, quin versus 29. *Illum captivum; hunc suum esse nescit,*

Si quém reperire pósset, qui mutét suum
[Illúm captivum; hunc súum esse nescit, quí domi est.]
Et quóniam heri indaudívit, de summó loco
Summóque genere cáptum esse equitem 'Alium;
Nihil prétio parsit, fílio dum párceret:
Recónciliare ut fácilius possét domum,
Emit hósce de praeda ámbos de Quaestóribus.
Hisce aútem inter sese húnc confinxerúnt dolum,
Quo pácto hinc servus súum herum amittát domum.
Itaque ínter se commútant vestem ac nómina;
Illíc vocatur Phílocrates, hic Tyndarus;
Huius illíc, hic illius hódie fert imáginem.
Et hic hódie expédiet hánc docte falláciam,
Et súum herum faciet líbertatis cómpotem,
Eodémque pacto frátrem servabít suum,

---

qui domi est, qui orationis tenorem importune turbat, qui narrationi repugnat et mox dicenda absurde occupat, spurius sit iudicandus. Igitur uncis eum inclusi. V. C. Cam. *inde audivit*, sed iam Pareus verum restituit, iubente idem Gulielm. Quaestt. in Captiv. I, p. 71. Forma haec *indaudire* frequens apud Plaut. velut Aul. II, 2, 88. Mostell. III, I, 11. Mil. II, 2, 56. ibid. II, 5, 32. Stich. I, 2, 19. Ceterum in verbis: *equitem Alium* hiatus est legitimus. Quomodo vero Bothius quod recepit *equitem et alterum* intelligat, equidem non assequor. *Filio dum parceret.* Paronomasiae caussa ita dixit, pro *filium dum servaret.* Verba *reconciliare — domum* sequenti versui coniungenda sunt, quare ita distinxi. *Quaestores* urbani aerarium curabant et manubias hostium praedasque vendebant. Mores et instituta Romanorum in Graeciam transfert, ut saepe, Plautus.

V. 35. Illi autem duo captivi, quos cum maxime emerat Hegio, hanc excogitarant fallaciam, fortasse iam ex eo tempore, quo capti sunt, ut alter alterius ferret nomen ac vestem atque ita servus heri, herus servi partes ageret, eo quidem consilio ut herus, si fieri posset, prius ex captivitate liberaretur. *Hisce* Sic V. C. Cam. a prima manu, inducta postea littera *s*. Similiter *Hisce* legitur in utroque Cod. Pall. Milit. II, 6, 6. De qua forma cf. Priscian. XII, 5. Adde Avellin. ad h. l., qui eandem formam esse inscriptionibus vetustis affert, ubi adeo *HEISCE MAGISTREIS* pro *hice magistri*. Paullo calidius Grammaticorum commentum pronunciat illud *hisce* nominativum Bentleius ad Terent. Eun. II, 2, 38. *Suum herum* C. V. Cam. Male Bothius scripsit *servum herum* corruptam quorundam Codd. scripturam secutus. *Amittat*, ut supra monuimus pro *a se dimittat. Huius illic.* Ita numeros constituimus, non ignari, duriusculos esse. Interim tamen monosyllabum *huius* ferri potest etiam in tali loco, et prima in *illic* fere semper brevis est. V. C. Cam. tuetur lectionem *hic illius;* sed Gu. membr. exhibet *hic huius*, quae lenissima est emendatio. *Docte;* astute dolosum illud consilium perficiet. *Expedire* enim est impedimenta removere, tum exsequi, perficere. Simili metaphora dicunt *dolos*, *consilium*, *negotium explicare.*

Reducémque faciet líberum in patriam ád patrem,
Imprúdens; itidem ut saépe iam in multís locis
Plus ínsciens quis fécit, quam prudéns boni.
Sed ínscientes suá sibi fallácia
Ita cómpararunt ét confinxerúnt dolum,
Itaque hí commenti dé sua sententia,
Ut in sérvitute hic ád suum maneát patrem.
Ita núnc ignorans suó sibi servít patri.
Homúnculi quantí sunt, quom recógito!
Haec rés agetur nóbis, vobis fábula.
Sed étiam est, paucis vós quod monitos vóluerim.
Profécto expediet, fábulae huic operám dare.
Non pértractate fácta est, neque item ut céterae,
Neque spúrcidici insunt vérsus immemorábiles;
Hic néque periurus léno est, nec meretríx mala,
Neque míles gloriósus. Ne vereámini,

V. 44. *Imprudens.* Is ergo Tyndarus et herum suum Philocratem libertatis compotem reddet et fratrem suum Philopolemum, captivum in Alide, hac ipsa re servabit domumque reducet. Hoc vero posterius nulla sua voluntate aut consilio. Sic saepe *imprudens*, Terent. Hecyr. extr. *Equidem plus hodie boni Feci imprudens, quam sciens ante hunc diem unquam.* Idem significat, quod sequitur *insciens*, cuius vis ex opposito *prudens* intelligitur, pro quo ante Gruterum *sciens* legebatur. *Sed inscientes.* Particula *sed* orationem supra post v. *imprudens* digressiuncula facta interruptam, nunc continuat, quamquam mutata structura. Cf. Goerenz. ad Cic. Acad. I, 7. p. 44. *De sua sententia;* nemine in consilium adhibito alio.

V. 51. *Homunculi.* Tyndarus, longe aliud spectans, sua fallacia efficit, ut ad patrem remaneat, quod ipsum voluisset, si patrem novisset. Cogitans igitur poeta, quam parum homines suis valeant consiliis, quam aliter saepe res cadat, quam homines consulant, exclamat: quantilli sunt homines, quam parvi mihi videntur, quoties in eam cogitationem relabor. *Haec res agetur.* Hoc igitur est illud, quod a nobis hodie agetur, ut vos delectet. Haec est ea res, quae vobis hodie fabula agetur.

V. 53. *Sed etiam est.* Addit prologus quaedam de argumenti genere. *Non pertractate facta est.* Sic scripsi cum V. C. et Pall. Codd., exponens: non pervulgate, sed novo et singulari modo. *Pertractatus* enim est saepe tractatus, quod vero saepe tractatur, fit vulgare et consuetum. Qui *Nam pertractate* legunt, explicant *diligenter, elaborate.* Quae ratio etsi per se non absurda, a mss. non firmatur, quorum peiores *Nam p.* exhibent. Scaliger explicat: *Non lascive, non scurriliter*, quia *pertractare* verbum in re venerea usitatum. — Versus *immemorabiles* sunt non digni, qui memoriae mandentur.

V. 58. *Ne vereamini.* Poeta hoc ait: Ne exspectetis proelia in scena futura. Paene enim absurdum est, postulari, ut apparatus scenae comicae rem tragicam repraesentet. — Populus Romanus iam illo tempore pugnarum inter gladiatores, quam vitae quotidianae in ludis spectandae cupidior, etiam in scena mono-

Quia béllum Aetolis ésse dixi cum Áliis.
Foris íllic extra scénam fient proélia.
Nam hoc paéne iniquum est Cómico chorágio,
Conári de subito ágere nos Tragoédiam.
Proin, sí quis pugnam exspéctat, lites cóntrahat;
Valéntiorem náctus adversárium
Si erít, ego faciam ut púgnam inspectet nón bonam,
Adeo út spectare póstea omnis óderit.
Abeó. Valete, iúdices iustíssimi,
Domí bellique duéllatores óptumi.

ACTVS I. SCENA I.

Ergasilus.

Iuvéntus nomen índidit scortó mihi,
Eo quia ínvocatus sóleo esse in convívio.

---

machias spectare cupiebat, cuius rei forsitan gratiam faciebant quidam poetae Plauti aequales. Hinc ironice pro eo, quod dicendum erat *ne exspectetis*, dixit *ne vereamini*. *Iniquum* igitur est *contrarium*, adversarium rei comicae. Sequentia hanc rationem firmant. Vulgo *nos agere*, quem ordinem servant V. C. et caeteri Pall. Sed pronomen non suo loco positum esse, metrum docet.

V. 65. *Ego faciam.* Hoc loquendi genus illustravit Scioppius Susp. Lectt. I, 11. *faciam ut inspectet* circumscriptionem futuri esse dicens; non satis diligenter. Nam *faciam ut inspectes*, sive, *faciam*, *inspectabis*, quod similiter dicitur, significat: *affirmo tibi, pro certo habeas*, te inspecturum esse. Iocosa autem est affirmandi ratio. Nam pro eo, quod dicendum erat *fiet ut* —, iculariter dicit *faciam, ut*; quasi tu dicas germanice: *lass mich nur machen;* aut: *ich stehe dir dafür.* Ita quod necessario aut fortuito eventui tribuendum, sibi arrogat confabulator, quasi ipse efficere possit. Ad eandem rationem explicandum est tritum illud: *Fac ita esse.* Superiorem formulam illustrant hi loci non absimiles: Cas. V, 2, 23. *Cavebunt, qui audierint, faciam.* Amphitr. I, 3, 13. *Edepol, nae illa si istis rebus te sciat operam dare, Ego faxim, te Amphitruonem esse malis, quam Iovem.* Adde Trin. I, 1, 22. *Faxo haud tantillum dederis verborum mihi.* Ovid. Met. XII, 594. *Det mihi se, faxo, triplici quid cuspide possim, Sentiat.*

V. 68. *Domi bellique.* Distinguit Acidalius: *iudices iustissimi domi, bellique — optimi;* falso, ut puto. Nam formula *domi bellique* rectius cohaeret. Appellat autem Quirites domi bellique fortissimos proeliatores, iocum captans nescio quem.

V. 1. Procedit parasitus sortem suam ridicule deplorans, cum omnino, tum vero hoc tempore, ex quo peregre absit Hegionis filius, miserabilem. *Scortum* se per iocum a iuvenibus appellari dicit, cuius nominis ipse statim rationem reddit. Ludit autem in ambigua significatione vocabuli *invocatus*, quod et *honorifice appellatum* et *non invitatum* notare potest. Inter vina enim, quum talis ludentes more Graeco fausti ominis caussa scorta sua invocare solerent iuvenes, eorumque nomina appellare, ut iactus

Scio absúrde dictum hoc dérisores dícere,
At ego áio recte. Nam ín convivió sibi
Amátor, talos quóm iacit, scortum ínvocat.
Estne ínvocatum, án non? Est planíssume.
Verum, hércle, vero nós parasiti plánius,
Quos núnquam quisquam néque vocat, neque ínvocat,
Quasi múres semper édimus aliénúm cibum.
Ubi rés prolatae súnt, quom rus hominés eunt;

---

redderent felices; hic dicit, se a iuvenibus per iocum, in ambigua notione voc. *invocatus* quaerendum, *scortum* appellatum, quod, sicut scortum, in convivio esse soleret *invocatus.* — Pergit parasitus: quamvis hoc multi sint, quibus absurdum videatur; ego recte dictum existimo. *Derisores* sunt scurrae, qui in conviviis risus faciendi caussa adhibentur; saepe etiam iidem, qui parasiti. Hoc igitur sibi vult parasitus: Alii parasiti (fortasse sibi metuentes) improbant hunc iocum, imo iocum esse negant. At mihi probabiliter dici videtur.

V. 5. *Estne invocatum, an non?* Estne haec invocatio iusta ac vera, cum amator scortum invocat? Pueriliter ludit. Nam plane nihili haec sunt, nisi propter sequentia posita putes. Non enim hoc vult, scortum interrogari, an vere invocatum sit in convivio, tanquam haec sint verba iuvenis inter vina quaerentis, an scortum iam a se invocatum sit; sed hoc dicit: *Quis negare potest, recte dici invocationem, si quis scortum invocet?* Verba *invocatum an non* legitimo utuntur hiatu, quem qui sanare satagerunt, in fine versus scripserunt: *plane, planissime*, versum iugulantes. Caeterum *Verum, hercle, verum* V. C. Cam. et vulgo, sed falso. Cf. Curcul. III, 5. *Verum, hercle, vero, quom vere recogito.* Cato apud A. Gellium XIII, 17. *Verum vero inter offam atque herbam, ibi vero longum intervallum est.*

V. 10. *Ubi res prolatae sunt.* Miseram queritur parasitorum condicionem. Ubi negotia civilia in urbe differuntur feriarum temporibus civesque ditiores rusticum petunt otium, nobis quidem esuriendum est. *Res prolatae, rerum prolatio*, ut apud ipsum etiam Ciceronem legitur, est *iustitium* et vacatio a rebus in foro agendis, quo tempore urbem relinquere et rus suum petere solebant opulentiores. *Quasi cum caletur* i. e. quum summa aestate adeo calida est tempestas, ut ne ros quidem cadat. Sed quid *caletur?* Dictum ut *statur, sedetur, itur;* sed paullo alia ratione. Docet Priscianus VIII, 5. p. 378. Tom. I. ed. Krehl., Caprum, Plinium et Probum testes citans, *caleor* pro *caleo* dixisse veteres. Sed passivi usus non ultra tertiam personam potuit progredi. *Caletur* et *frigetur*, pro eo quod est *calidum est, frigidum est: Es ist heiss, es ist kalt.* Eiusdem generis est *valetur*, man ist stark, Plaut. Persa II, 5, 8. *Suo sibi succo vivunt.* Supra Prol. 46. *sua sibi fallacia.* Ibidem 5. et 50. *suo sibi patri.* Et sic innumeris locis apud Plautum. Non aliter Terent. Adelph. V, 8. *Suo sibi gladio hunc iugulo.* Gellius V, 10. *Suo sibi argumento confutatus est.* Ex quibus exemplis abunde intelligitur, in hac locutione dativum nunquam a verbis pendere appositis, neque damnum aut commodum, quo quid fiat, indicare, sed ad pronomen possessivum *suus* referendum esse, quod proprietatis habeat

Simúl prolatae rés sunt nostris déntibus.
Quasi quóm caletur, cóchleae in occultó latent,
Suó sibi succo vívunt, ros si nón cadit;
Itém Parasiti rébus prolatís latent
In occúlto, miseri víctitant succó suo,
Dum rúri rurant hómines quos ligúriant.
Prolátis rebus Párasiti venátici
Sumús; quando res rédierunt, molóssici
Odiósicique et múltum incommodéstici.
Et híc quidem, hercle, nísi qui colaphos pérpeti
Potís Parasitus, frángique aulas ín caput,
Vel éxtra portam trígeminam ad saccúm licet!
Quod míhi ne eveniat, nónnullum perículumst.
Nam póstquam meus rex ést potitus hóstium; —

---

vim. Igitur *suus sibi* est *sibi proprius.* Inde *suo sibi succo* est *suo ipsorum succo; suo sibi patri*, suo ipsius patri.

V. 16. *Rurare*, ut *rusticari*, proprie *rusticum esse*, deinde *otio* rustico frui. Atque ita interpretatur Nonius p. 164. ubi hunc Plauti versum apponit. *Venatici* sunt graciles et macri, ut canes venatici esse solent. Iam quoniam canis similitudinem posuerat, ut in imagine perstet, alias canum appellationes ad significandam miseram suam condicionem profert parasitus. Igitur *molossici* edaces, quemadmodum Molossi canes. Videtur tamen hoc vocabulum elegisse poeta propter similitudinem cum voce *molestus*. Iocum amplius persequitur, nova, veluti canum sint genera, verba procudens ab adiectivis *odiosus* et *incommodus*. Quare non opus est, ut quidquam hic mutetur. *Res redierunt* V. C. Cam. et Pall. Peioris notae libri: *rure redierunt*. — *Res redierunt*, quando feriis finitis iustitium sublatum est et negotia forensia repetuntur.

V. 20. *Et hic quidem hercle.* Parasiti, servilis ingenii homines, qui libertatem offa venalem habebant, praeter irrisiones, dicteria, colaphos, etiam ollas sibi in caput infringi permittebant. Eiusmodi ollae cinere erant repletae, quo, cum frangerentur illae, per totum corpus effuso, maiorem risum exhiberent. *Hic* h. l. est temporis. *In caput frangere*, non in capite, significat: aulam in caput illisam frangere, unde accusativus. Vulgata cum Codd. Cam. et Pall.: *Vel ire extra portam trigeminam ad saccum licet.* Quae lectio cum in metrum peccet, alii aliter emendare locum studuerunt, non videntes, v. *ire*, quod ad sententiam supervacaneum, ne suo quidem loco positum esse. Quare tutissimum existimavi, v. *ire* eiicere atque ita et metro et ordini consulere. *Porta trigemina*, quae eadem et *Ostiensis*, dicta a tergeminis Horatiis et Curiatiis. Ibi mendicabula egenorum. *Ad saccum* ad stipem colligendam.

V. 24. *Regem* appellabant parasiti praebitorem suum, qui ob liberalitatem instar regis iis erat. Intelligit autem filium Hegionis illum, qui bello ab Eliensibus captus erat. *Potiri hostium*, in hostium potestatem venire, praedam fieri hostium. *Potire* activa forma apud antiquissimos cum genitivo et ablativo significat *aliquem rei compotem reddere, participem facere*, etiam in re mala. Itaque apud Plautum in Amphitr. 1, 1, 23. *Eum nunc potivit pa-*

(Ita núnc belligerant Aétoli cum 'Aliis;
Nam Aetólia haec est; íllic captust in 'Alide
Philopólemus huius Hégionis filius
Senís, qui hic habitat; quae aédes lamentáriae
Mihi súnt, quas quotiescúmque conspició, fleo.)
Nunc híc occepit quaéstum hunc fili grátia
Inhonéstum, maxume álienum ingenió suo.
Hominés captivos cómmercatur, sí queat
Aliquem ínvenire, suúm qui mutet filium.
Quod égo quidem nimís quam cupio ut ímpetret;
Nam ni íllum recipit, níhil est, quo me récipiam.
Nullá iuventutis spés est; sese omnés amant.
Ille démum antiquis ést adolescens móribus,
Quoius númquam voltum tránquillavi grátiis.
Condígne pater est eíus moratus móribus.

---

ter servitutis; h. e. in potestatem quasi servitutis dedit, participem fecit servitutis. Rudent. IV, 2, 6. *Piscatu novo me uberi compotivit.* h. e. compotem reddidit, piscatum uberem mihi in potestatem dedit. Sic igitur *hostium potitus* erit ab hostibus captus, quasi possessio facta hostium.

V. 25. *Ita nunc — fleo.* Haec in parenthesi collocanda fuerunt, ut reliqua sic cohaereret oratio: *Nam postquam meus rex est potitus hostium; nunc hic occepit quaestum.* *Ita* saepe ad confirmationem et explicationem eorum, quae ante dicta sunt, subiungitur. Cic. Epist. ad Att. VII, 2. *Brundusium venimus — usi tua felicitate navigandi; ita belle nobis flavit ab Epiro lenissimus Auster et mitis.* Cic. Deiot. 7. *Di te perdant, fugitive; ita non modo nequam et improbus, sed et fatuus et amens es. Illic captust in Alide.* Ita V. C. Cam. et Pall. *illic* duarum brevium, quare nulla emendatione est opus.

V. 29. *Quas, quotiescumque conspicio, fleo.* Caussa, cur aspectu aedium istarum fleat parasitus, est, quod non amplius coenatum introire potest. *Suum qui mutet filium.* V. C. Cam. et vulgo: *quicum m. f.* Iam a Giphanio praepositionem eiectam esse, monet Scioppius Suspect. Lectt. X, 11. Cf. quae supra ad prologi versum 28. Ceterum post hunc versum Acidalius Divv. Plautt. p. 90. interponi iussit sex versus, qui vulgo leguntur scena seq. v. 17—22. Eius rationes tam validae sunt, ut non obtemperare non potuerimus. Quod si Angelus Maius Codicem suum palimpsestum diligentius inspicere voluisset, hoc saltem vidisset in quantumvis contrita pagina, an verum Acidalius viderit. *Nulla est spes iuventutis* sic metro adversante V. C. et Pall. — Adolescens *antiquis moribus* est, qui parasitis est largitor liberalis, ut olim moris fuit iuvenibus. *Antiqua* omnia quibusdam hominibus sunt meliora, et plerumque verissime et iustissima de caussa. Sic *antiqua fides*, *virtus*, *antiqui* etiam *mores*, semper et ubique habita sunt meliora et votis expetenda. Cf. Plaut. Trin. II, 2, 18. Terent. Adelph. III, 4, 79. Ipsi *homines antiqui* dicti sunt, qui *antiquis moribus* se commendarent. Cf. Cic. pro Roscio Amer. 9. §. 26. Ernest. Clav. Cic. sub voce *antiquus.*

Nunc ád eum pergam, séd aperitur óstium,
Unde sáturitate saépe ego exii ébrius.

ACTVS I. SCENA II.

Hegio, Lorarius, Ergasilus.

Advórte animum sis, tu. 'Istos captivós duos,
Heri quós emi de praéda, de quaestóribus,
His índito caténas singulárias;
Istás maiores, quíbus sunt vincti, démito.
Sinito ámbulare, sí foris, sí intús volent,
Sed uti ásserventur mágna diligéntia.
Libér captivus ávis ferae consímilis est:
Semél fugiendi sí data est occásio,
Satis ést; nunquam postílla possis préndere.
Lo. Omnés profecto líberi lubéntius
Sumus, quám servimus. *He.* Nón videre ita tú quidem.

Hegio cum servo lorario scenam intrat, eique de asservandorum istorum duum captivorum ratione mandata exponit. V. 1. *Sis* vocabulum consuetudine tritum, ex *si vis* contractum, ut *sultis* ex *si vultis*, *sodes* ex *si audes*, quod pro *si audies*. Nam pro *audire* antiquitus in usu fuisse videtur *audere*, tertia coniugatione. Similiter *parere* et *parire* dixisse videntur veteres; ubi tertiae coniugationis forma obtinuit. Habent autem illae tres formulae humaniter iubendi vel excitandi notionem. De accusativo *istos capt. d.* vide quae notavimus ad init. prologi. *Catenae singulariae* ex Turnebi interpretatione sunt singularum librarum. Affert exempla haec: *ballistae centenariae*, quae saxa iaciunt centenarum librarum; *talentariae*, quae saxa talenti pondere. *Si foris, si intus.* Pro eo, quod vulgo dicitur: *sive — sive.* Illustrat hanc formulam Scioppius Suspect. Lectt. I, 21. ubi multa e Plauto exempla. Et variare licet: si — sive; si — seu; si — sive — seu, id quod idem Scioppius demonstrat. *Sed uti.* Hoc tantum vide, ut probe asserventur. Sic in enunciatis acriorem cohortationem continentibus vel cautionem diligentiorem praescribentibus vel mandata altius infigentibus particula *ut* ponitur omisso verbo, a quo pendeat. Atque ita Graecorum ὅπως particulae respondet. Sic Xenoph. Anabas. I, 7, 8. Ὦ ἄνδρες Ἕλληνες — Ὅπως οὖν ἔσεσθε ἄνδρες ἄξιοι τῆς ἐλευθερίας. Idem Cyrop. IV, 2, 39. Ὅπως μὴ αἰσχροὶ φανούμεθα. Lucian. dial. Deor. XX, 3. Ἄπιτε οὖν, καὶ ὅπως μὴ χαλεπήνητε.

V. 9. *Satis est.* Res acta est, conclamatum est. Proprie: nihil amplius opus, nihil ultro accedere debet. In proximis scripsi *postilla* pro vulgato *post illam*, quod in V. C. Cam. est: *postillā* sic lineola supra scripta.

V. 11. *Non videre ita tu quidem.* Dixerat Lorarius, omnes servos malle liberos esse. Dubitat herus, hoc ex animi sententia dicere Lorarium, quia, quod responsio docet Lorarii, cum posset, se non ab hero redimeret. Respondet Lorarius, nihil se dare posse pro redemtionis pretio; tantum in fugam se dare posse.

Lo. Si nón est qui dem, méne vis dem ipse ín pedes?
He. Si déderis, erit extémplo mihi, quod dém tibi.
Lo. Avis mé ferae consímilem faciam, ut praédicas.
He. Ita ut dícis; nam si fáxis, te in caveám dabo.
Sed sátis verborum est; cúra quae iussi, átque abi.
Ego íbo ad fratrem, ad álios captivós meos;
Visám, ne nocte hac quíppiam turbáverint.
Inde mé continuo récipiam rursúm domum.
Er. Aegre ést mi, hunc facere quaéstum carcerárium,
Propter sui gnati míseriam, miserúm senem.
Sed si úllo pacto ille húc conciliarí potest,
Vel cárnificinam hunc fácere possum perpeti.
He. Quis hic lóquitur? *Er.* Ego, qui tuó moerore mácero,
Macésco, consenésco, et tabescó miser.
Ossa átque pellis súm, miser, macritúdine.
Neque únquam quicquam mé iuvat quod edó domi;
Forís aliquantillum étiam quod gusto, íd beat.

Scripsimus *qui dem* ex varia lectione Dominici Baudii, sive ea coniectura est, quam Gronovius in nota ad h. l. prodidit, opinantes, Lorarium ultimam vocem ex heri oratione *quidem* arreptam ridicule interpretari: *qui dem*. *Qui dem* autem apud Lorarium est *unde dem*. Reponit herus: Si aufugere conatus fueris, extemplo a me dabitur tibi aliquid, hoc est, *magnum malum*, ut Comici loquuntur; gravissima poena tibi infligetur. *Avis me ferae*. Citat hunc locum Servius Aeneid. X, 558. sed corrupte: *Avi me ferae similem faciam, ut praedicas.* Verba *ita ut dicis* continent domini lepidum assensum. Fiet, quod voluisti, faciam te avi ferae consimilem. Namque in caveam h. e. in custodiam te dabo. Sed lepido sermoni terminos ponit herus, servumque abire iubet, qui decedit.

V. 20. *Quaestus carcerarius* est, qui carcere claudendo et aperiendo, hoc est, captivis in carcerem dandis et mittendis exercetur. *Conciliare aliquo*, facere ut quis quo veniat. Sic supra prolog. v. 33. *reconciliare domum*, domum reducere. *Carnificinam facere* est carnificem esse. Sic *argentariam facere*, *haruspicinam facere*, *topiariam facere*, *mercaturam f.*, *praeconium facere*. Haec contra Lambinum monenda erant, qui *carnificinam facere* explicat quaestum ex carnificina quaerere, homines excarnificare.

V. 30. *Quis hic loquitur*. Nunc demum conspicit Ergasilum Hegio, apud quem ille de sorte sua conqueritur, filiique absentiam deplorat: nimirum id alia de caussa, quam senex. *Ossa atque pellis sum*. Sic citatur hic versus a Nonio Marcello. Vulgo: *misera macritudine*. Scaliger et Gulielm. *miser a macritudine* quod a prima manu fuit in V. C. Cam. Neutrum verum. Nam prima in *macritudine* producitur. *Miser* monosyllabum, ut saepe. *Flere* parasitum vetat Hegio, eius miseritus, unde vehementius etiam eius dolor pectore prorumpit. *Ne fle* hiatum habet legitimum. De formula *potitus est hostium* exposui ad versum 24. superioris scenae.

He. Ergásile, salve! *Er.* Dí te bene ament, Hégio!
He. Ne flé. *Er.* Egone illum nón fleam? ego non défleam
Talem ádolescentem? *He.* Sémper sensi fílio
Meo te ésse amicum, et íllum intellexí tibi.
Er. Tum dénique homines nóstra intelligimús bona,
Quom, quae ín potestate hábuimus, ea amísimus.
Ego, póstquam gnatus túus potitust hóstium,
Expértus quanti fúerit, nunc desídero.
He. Aliénus quom eius incómmodum tam aegré feras,
Quid mé patrem par fácere est, quoi ille est únicus?
Er. Aliénus ego? aliénus ille? ah, Hégio!
Nunquam ístuc dixis, néque animum induxís tuum.
Tibi ille únicust, mi etiam único magis únicus.
He. Laudó, malum quom amíci tuum ducís malum.
Nunc hábe bonum animum. *Er.* 'Eheu! *He.* Huic illud dolet,

V. 43. Alienus si filii mei casum tam aegre tu fers, qualem meum dolorem esse par est, qui eius sim pater? *Alienum* se dici indignissime fert parasitus, quippe cui, quam arcte coniunctus, quam propinquus fuerit Philopolemo, venter clamet. Indignabundus igitur subiungit: *Nunquam istuc dixis, Hegio.* Coniugationis priscae, in qua coniunctivus maxime a recentiori deflectit, nondum omnes formae collectae et recte consideratae sunt. Frequentissimae sunt: *faxis*, *adaxint*, *exstinxit*, *respexis*, *amassis*, *curassis*, *negassim*, quae formae omnes apud Plautum leguntur. Accedunt *amissim*, *ausim*, *capsis*, *excussim*, *surrepsim*, quae sunt perfecta. Praesentia sunt *carint*, *comedint*, *duint*, *edim*, *potessit* pro possit, *licessit* pro liceat, *temperint* pro temperant. Plusquamperfecta sunt *faxem* pro fecissem, *taxem* pro tetigissem, *recesset* pro recessisset. Infinitivi perfecti sunt *dixe*, *duxe*, *intellexe*, quae formae non tam priscae, quam consuetudine quotidiana syncopatae sunt. Alius generis sunt futura *amasso*, *capso*, *liberasso*; unde addita terminatione *ere* deductus infinitivus est futuri, velut *impetrassere*, *reconciliassere* pro impetraturum esse, reconciliaturum esse. Demta syllaba *re* formatur imperativus futuri, qui quicquid dicant, priscae linguae vindicandus est. *Incipessim*, pro *incepsim*, inceperim. *Incipessere* futuri infinitivus, *incipesse* futuri imperativus. Sed haec nondum satis pertractata sunt.

V. 49. *Nunc habe bonum animum.* Iam sentire se ostendit Hegio, quasi ille sit dolor, quem de Philopolemi absentia ceperit parasitus; inde bono animo esse eum iubet, neque enim sic etiam omnem alienae coenae spem evanuisse. Interpellat loquentem senem parasitus alto suspirio, qua occasione Hegio ad spectatores conversus veram suam de nimio illo Ergasili dolore sententiam aperit. *Edendi exercitus* id quod e seqq. patet, ioculariter dictum pro *edendi copia.* Ea *remissa est* h. e. amissa, non praesens, non parata, veluti exercitus remissus, non paratus, quum cessarent Romae comitia. — Iam Hegio ad parasitum conversus, metaphora continuata, nullumne, inquit, regem sive malis consulem, ne imagine excidamus, nactus es, qui possit tibi cogendas imperare edendi copias, quas amissas conquestus es? Nam quamquam nusquam hoc dixit diserte parasitus, tamen quae

Quia núnc remissus ést edendi exércitus.
Nullúmne interea náctu's, qui possét tibi,
Remíssum quem dixti, ímperare exércitum?
Er. Quid crédis? fugitant ómnes hanc províneiam,
Quoi obtígerat, postquam cáptu'st Philopolemús tuus.
He. Non pól mirandum est, fúgitare hanc províneiam.
Multís et multigéneribus opus ést tibi
Milítibus; primum dum ópus est Pistoriénsibus.
Eorúm sunt aliquot génera Pistoriénsium.
Opús Paniceis, ópus Placentinís quoque,
Opus Túrdetanis, ópus est Ficedulénsibus;
Iam máritumi omnes mílites opus súnt tibi.
Er. Ut saépe summa ingénia in occultó latent!
Hic quális imperátor nunc privátus est!
He. Habe módo bonum animum; nam íllum confidó domum
In hís diebus mé reconciliássere.

---

in superioribus queritur, ad eandem sententiam redeunt. Nihil deflet parasitus nisi ereptam edendi copiam. Imperabatur Romae exercitus, quum agerentur comitia centuriata. Parasito autem edundi copiae imperantur, quum is aut obsonatum mittitur aut cellarius esse iubetur. Tenendum autem, in eiusmodi metaphoris, comicis maxime, non omnia ac singula premenda, nec omnia ad assem expendenda esse. De verbis singulis pauca notanda. *Habe* duarum brevium, ut saepe *cave*, *iube*, *tene*. In verbis *animum* et *eheu* non coalescunt ultimae syllabae. *Dolet huic illud* structura Plauto et Terentio familiaris. Terent. Eunuch. I, 2, 13. *aut hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet.* Plaut. Cistell. II, 1, 20. *Tu iam si quid tibi dolebit, scies qua doleat gratia.*

V. 53. Hanc talem exercitum imperandi provinciam omnes evitare ait parasitus, postquam liberalissimi animi iuvenis Philopolemus sit captus. *Quoi obtigerat*, relatum ad *omnes*, recte explicat Lambinus: *omnes, quisque suo loco, cui provincia obtigisset.* Graeci ita frequentius, veluti Euripid. Androm. 180. *στέργουσιν, ὅστις μὴ κακῶς οἰκεῖν θέλει.* Ceterum Codd. Pall. omnes exhibent *Quod obtigerat*, in quo errore etiam reliqui Mss. consentiunt. Eam rem non esse mirandam, subiicit Hegio. *Fugitare*, non *fugitari;* ex superioribus enim repetendum *omnes*. *Primum dum.* Zuerst nun. De hac particula cf. quae paullo inferius monuimus ad versum 71. huius scenae. In proximis eandem ab exercitu ad parandam coenam translationem denuo persequitur. Vocabula *Pistorienses*; *Panicei*, *Placentini*, *Turdetani*, *Ficedulenses* miro lepore a pistoribus, pane, placentis, turdis, ficedulis detorta, tanquam totidem sint civitatum nomina vel gentium, in quibus quaedam cum veris conspirare videntur, ut *Turdetania* Hispaniae regio; *Panam* urbem Samnitium memorat Strabo libro V. *Maritumi milites* proprie copiae navales; sed hic *piscatores* vel ipsi pisces intelliguntur. Ceterum citat versum 61. Nonius Marcell. p. 482. plane ut apud Plautum nunc legitur.

V. 64. Sequitur causa, ob quam bono animo parasitus esse debeat. Spem enim esse, fore, ut mox redeat Philopolemus.

Nam éccum hic captivum ádolescentem 'Alium,
Prognátum genere súmmo, et summis dívitiis:
Hoc íllum me mutáre, confidó fore.
Er. Ita dí deaeque fáxint. *He.* Sed num quó foras
Vocátus es ad coénam? *Er.* Nusquam, quód sciam.
Sed quí dum id quaeris? *He.* Quía mi est natalís dies;

Reconciliassere prisca infinitivi futuri forma. Inde ductae verborum desiderativorum formae: *facessere*, *capessere*, *lacessere*, *arcessere*, reliqua, quae primum quidem videntur futura infinitivi fuisse, deinde, usu iubente, verba primitiva facta sunt. Pro *levavero* enim, solenni permutatione litterarum *r* et *s* antiquitus dici solitum *levaveso*, unde *levàso levasso*; pro *petivero*, *petiveso*, *petìso*, *petisso*. Quod amplius deinde productum etiam flexionem modorum subiit, quare *turbassitur* Cic. de Legg. III, 4, 11. *iussitur* Cato de R. R. 14. Infinitivi *expugnassere*, *reconciliassere* alii saepe apud Plautum. *Licessit* pro *liceat* Asin. III, 3, 13. *prohibessit*, *potessit*, *incipessim*, alia huiusmodi sunt praesentia coniunctivi et licenter procusa esse videntur ad formam futuri exacti illius, quod in coniunctivi notionem transiit. Cf. quae supra diximus ad v. huius scenae 46. *Hoc illum me mutare.* Vide supra ad v. 28. et ad I, 1, 33. — Spei illi parasito ostensae aliud superaddit, omni spe maius; nam ad coenam eum vocat. Inde primum interrogat, num iam aliquo invitatus sit, num iam promiserit. Negat ridicule parasitus: *nusquam*, *quod sciam*, quasi hoc tale ac tantum suo ventri beneficium non meminerit, si oblatum fuisset. *Nusquam* est nullum in locum, ut aliquoties apud Plautum et Terentium. Legitur hac notione apud ipsum Ciceronem Epist. ad Fam. X, 32. *Finibus meae provinciae nusquam excessi.*

V. 71. Pro vulgatis: *Sed quid tu id quaeris*, reposui *sed qui dum id quaeris* ducentibus eo MSS., qui fluctuant inter *quiddum*, *quicdum*, *quiddam*. Vulgata est ex V. C. Camerar. pro qua antea *quid tam* legebatur. *Quidum* iam a Giphanio probatum habet suum in Comicis locum et significat *qui tandem*, *quorsum tandem*, vel qua tandem ratione. Etenim particula *dum* in eiusmodi formulis, ubi enclitica est, perperam vulgo explicant *igitur*, quod nunquam significare potest. Est autem *dum* particula temporis demonstrativa, et ita quidem, ut temporis continuationem ad certum usque terminum denotet. Ut enim *tum* particula demonstrativa praeteriti, *num* et *nunc* demonstrativae praesentis sunt temporis; sic *dum* demonstrativa est futuri temporis *bis dass.* Et hoc quidem proprie. Quia vero futurum tempus nihil est nisi continuatio praesentis, efficitur, ut particula *dum* saepe nihil nisi coniunctionem indicet praesentis et praeteriti. Ceterum usus formulae *qui dum* frequentissimus apud Plautum, veluti Trin. I, 2, 129. IV, 2, 19. Pseud. I, 3, 101. 103. IV, 3, 22. Amphitr. IV, 2, 12. Et sic alibi. Ubique autem fere idem est, quod *qui tandem*, non *qui igitur*. Qui particulam *dum* interpretati sunt *igitur*, eiusmodi formulas in mente habuerunt, quales sunt: *primum dum*, *ades dum*, *agedum*, ubi satis probabiliter substitui posse videtur: *igitur*. Verum hoc non est explicare, aliquid pro alio ponere, quod sine magno sententiae universae detrimento fieri possit. Nam ex nativa vocabuli significatione repeti debet, si quid explicandi caussa proponis, quòd explicandi vim habeat. *Dum* au-

Proptérea te vocári ad me ad coenám volo.
Er. Facéte dictum. *He.* Séd si pauxillúm potes
Conténtus esse. *Er.* Nae perpauxillúm modo;
Nam istóc me assiduo víctu delectó domi.
He. Age sís, roga. *Er.* Emtum, nísi qui meliorem ádferet,
Quae mi átque amicis pláceat condició magis,
Quasi fúndum vendam, meís me addicam légibus.
He. Profúndum vendis tú quidem, haud fundúm mihi.
Sed sí venturus, témperi. *Er.* Hem vel iam ótiumst.

---

tem, ut vidimus, particula temporis est, quae, ut subinde nostrum *dann*, futurum tempus eiusque terminum indicat. *Agedum* igitur est *wohlan dann; adesdum, komm dann; primum dum, zuerst dann* vel *zuerst nun; quidum, wie dann nur, warum dann. Te vocari ad me ad coenam.* Sic scripsimus e V. C. Cam. pro vulgato: *te vocari ad coenam*, ubi hiatus inest illo loco non tolerabilis. V. C. Cam. exhibet: *te vocari ad te ad nam*, a pr. manu. Sed alterum *ad* punctis notatum et *t* in *o* mutatum, teste Pareo.

V. 73. *Facete dictum* invitanti Hegioni respondet parasitus, tanquam voluptas, quam ex Hegionis verbis capit, non in re ipsa, h. e. invitatione illa, sed in formula verborum insit. Nos: schön gesagt. *Sed si pauxillum — contentus esse.* Errant, qui *pauxillo* scribendum esse putant. Nam *pauxillum* est adverbium, quo vis adiectivi *contentus* circumscribitur, sive, ut loqui solent, restringitur; non *parvo contentus*, sed *paullum contentus*, ein bischen zufrieden. Respondet parasitus, id pauxillum perparvum esse, nam istum victum, id est, illud *paullum esse contentum*, domi habeo, nec foris quaerere oportet. Ita haec explicanda sunt.

V. 76. *Age sis, roga.* Haec et proxime seqq. multas virorum doctorum moverunt disceptationes, quas recensere ab hoc nostro consilio alienum est. *Age sis roga. Er. Emtum* Codd. Pall. omnes, nisi quod V. C. Cam. *Aje* pro *Age*, teste Pareo. Dicit Hegio: *Age sis roga, quanti*, h. e. *quam laute mecum coenare velis.* Cui respondet parasitus, nihil curans pretium: *Emta res est;* caute tamen addit: *nisi qui meliorem condicionem afferet.* Formulae sunt in venditionibus solemnes. Rogabantur venditores, ut pretium indicarent; indicato pretio addicebat emtor *emtum est*, sive *emta res est.* Cf. Brissonius de form. et sol. P. R. verbis pag. 491. Appositus est Persae locus IV, 4, 36. *Indica, fac, pretium. Tua merx est, tua indicatio est* cett. Hoc igitur sibi vult parasitus: ego tibi conviva sum addictus, nisi quis amicorum ad lautius convivium me vocaverit. Hoc sensu in seqq. subiicit: sic ego rem transigo, quasi fundum vendam; sic ego me meis addicam legibus, meo modo, mea condicione utar. *Profundum.* locus quaesitus in paronomasia verborum *fundum* et *profundum.* Tu, inquit Hegio, non fundum mihi, non agrum, vendis, sed voraginem quandam inexplebilem, ventrem tuum.

V. 80. *Hem vel iam otiumst.* Ita V. Cod. Cam. atque ex eo vulgata. Correxi olim, prava ceterorum Codd. scriptione, varia illa, adductus: *Hem vis iam? otiumst.* Qua correctione non est opus, quum optimam sententiam praestet, quod habet V. C. Cam. teste Pareo. Dicit parasitus, *sibi vel nunc iam otium esse ad coenandum*, quippe quod semper esuriat.

He. I módo, venare léporem; nunc ictím tenes.
Nam meñs scruposam víctus conmetát viam.
Er. Nunquam ístoc vinces me, Hégio, ne póstules;
Cum cálceatis déntibus veniám tamen.
He. Aspér meus victus sáne est. *Er.* Sentisne ésitas?
He. Terréstris coena est. *Er.* Sús terrestris béstia est.
He. Multís oleribus. *Er.* Cúrato aegrotós domi.
Numquíd vis? *He.* Venias témperi. *Er.* Memorém mones.
He. Ibo íntro, atque intus súbducam ratiúnculam,
Quantíllum argenti mi ápud trapezitám siet.
Ad frátrem, quo ire díxeram, mox ívero.

V. 81. Hegio exspectare iubet parasitum, donec forsitan lautiorem coenam inveniat. Hoc ita profert: *venare leporem, nunc ictim tenes.* Lepus melior praeda, quam ictis. *Ictim* scripsi MSS. vestigia et Laelii Brisciolae coniecturam secutus. V. C. Cam. *nuncirimt;* ceteri Pall. *yrim, ithim, itim, retim, ytim.* Brisciola ait, *ictim* esse mustelae speciem, quae Latino nomine viverra dicatur, infestam lepusculis. Addit, venatores hoc animal habuisse in hunc usum, ut lepores facilius caperent. Et si nihil cepissent, viverram ipsam comedere. Haec etsi minus apta nostro loco videantur, fortasse nec omnino vera, hoc tamen ex iis constare videtur, silvestre animal esse *ictim*, quod, si melior praeda defuerit, a venatore capi soleat. De *ictide* conferendus etiam est Plin. N. H. XXIX, 4. *Conmetat* V. C. frequentativa forma a *commeare.* Firmant lectionem alii Pall., qui *commutat.*

V. 83. Dixerat Hegio, victum suum in locis scruposis quaerendum esse, h. e. asperum esse; respondet Ergasilus: ne forte postules, ne aequum censeas, ut hac tua oratione me absterreri patiar. Veniam nihilominus, et veniam quidem cum dentibus calceatis, utpote ad asperam istam victus tui viam. Ducta est metaphora a viatoribus, qui per saxa et loca scruposa ituri calceis se diligentius muniunt. Sic recte explicavit Pistor.

V. 86. *Terrestris coena est.* Obscurius hoc et quasi per aenigma prolatum de industria. Quod quum significet coenam nihil, quod non terra natum sit, habentem, *coenam sine sanguine*, ut ait Horatius; illud ad suam rationem interpretatur parasitus de coena e carne subula. Suem enim terrestrem esse bestiam. *Curato aegrotos domi.* Oleribus si tua constat coena, eam aegrotis, quos domi habes, apponito.

V. 88. *Numquid vis.* Officiosa haec et honorifica abeuntium interrogatio, quae simul valedicendi sive abeundi erat signum. Cf. Donatus ad Terent. Eunuch. II, 3, 49. *Abituri, ne id dure facerent, numquid vis dicebant his, quibuscum constitissent.* Sic Terent. Adelph. II, 2, 39. *Numquid vis, quin abeam?* Et saepenumero apud Plautum. Variatur formula: *numquid me vis, numquid vis aliud, numquid aliud* et similia V. 89. Discedit parasitus. Hegio vero recipit se in aedes, ubi ratiunculam subducere sese oblitum ait. *Subducere rationem* est subductis calculis de summa totius computare. Deinde in universum calculos computare, saepe etiam acceptorum et expensorum rationes comparare.

ACTVS II. SCENA I.

Canticum.

Lorarii, Philocrates, Tyndarus.

Lor. Si di ímmortales íd voluere, vós hanc aerumnam éxsequi,
Decet íd pati animo aequó; si id facietís, levior labós erit.
Domi fuístis, credo, líberi;
Nunc sérvitus si evénit, ei vos mórigerari mós bonust,
Eamque herili império ingeniis vóstris lenem réddere.
Indígna digna habénda sunt, herus quaé facit.
Capt. Oh oh oh!
Lor. 'Eiulatióne haud opus est; múltam oculis miseriam

Lorarius ille, cui initio scenae antecedentis mandata de captivis dederat Hegio, cum captivis istis scenam intrat. Una procedunt alii quidam de familia, curiosi fortasse, qui quid agerent et quo ducerentur recens emti, cognoscere cupiebant. Scena haec cantico constat. Multa inest affectuum et actionis alacritas. Ex altera parte adstant servi captivos observantes et consolantes, ex altera adstant Tyndarus et Philocrates, primum plorantes; deinde tranquilliores facti seorsim concedunt et inter se soli colloquuntur. Rhythmi huius scenae varii. Primo loco leguntur duo iambici tetrametri acatalectici, quos excipit iambicus dimeter. Hunc sequuntur iterum duo tetrametri, quibus subiicitur trimeter. Haec est ratio sex priorum versuum.

V. 1. *Aerumnam exsequi.* Exsequi proprie est ad finem sequi, i. e. ad finem ferre, perferre. *Domī* monosyllabum; *fuistis* disyllabum. *Evenit.* Bona *contingere*, mala *accidere*, *evenire* et bona et mala dicuntur. Haec discrimina tamen non ita observantur, ut semper et ubique consentiant scriptores, nisi quod *contingere* de rebus adversis non dici videtur. *Servituti morigerari* se ei accommodare, se ad eam componere nec inconsiderate repugnare; sic dicitur *temporibus servire.* — *Mos bonust*, recta vivendi ratio est. *Morem* h. l. poeta paronomasiae causa ad v. *morigerari* posuisse videtur. In seqq. secuti sumus lectionem V. C. Cam. et Pall., qui *Eamque et erili* exhibent, h. e. *Eamque herili.* Sententia est: Eamque ingeniis vestris, h. e. mansuetudine et obsequio, facere lenem, h. e. facilem, non renitentem heri imperio.

V. 7. Epiphonemata *Oh oh oh* extra metrum sunt. Non enim poterant hae eiulationes metro includi. Sequuntur duo tetrametri trochaici catalectici, quos excipit unus iambicus tetrameter acatalecticus. Vulgo legitur: *oculis multam miseriam additis.* At in V. C. Cam. est: *multa oculis multamiraclitis* (sic). In his *multa mira* recte reddiderunt *multam miseriam*, ex notissimo scripturae compendio *mīrā* pro eo quod est *miseriam.* Similiter extrema ex non intellecto scribendi compendio corrupta esse videntur: *aditis*, *actitis*, quod sine dubio non *additis*, sed *adicitis* h. e. *adiicitis* explicandum est. In quo si de prosodia dubites, cf. Mercat. II, 4, 23. *auctarium 'Adicito vel mille nummum plús quam poscet* cett. De scriptura verbi cf. Laurembergii Antiquar. pag. 7. et me ad Pompeii comm. Artis Don. pag. 74. et Parei lexic.

'Adicitis. In ré mala animo sí bono utare, ádiuvat.
Capt. At nós pudet, quia cúm catenis súmus. *Lor.* At
pigeat póstea
Nóstrum herum, si éximat vínculis,
'Aut solutós sinat, quós argento émerit.
Capt. Quid á nobis métuit scimús nos
Nóstrum officiúm quod est, sí solutós sinat.
Lor. 'At fugam fíngitis. Séntio quam rém agitis.
Capt. Nós fugiamus? Quó fugiamus? *Lor.* 'In patriam.
Capt. Apage, haud nós id deceat,
Fúgitivos imitári. *Lor.* Imo edepol si érit occasio, haúd
dehortor.
Capt. 'Vnum exoráre vos sínite nos. *Lor.* Quídnam id est?
Capt. 'Vt sine hisce árbitris átque vobis, nóbis
Détis locum loquéndi.
Lor. Fíat; abscédite hinc. Nós concedámus huc.

---

erit. s. v. Sententia est: Quid lamentamini? Nulla opus est eiulatione vestra; vultus iam tacitus vestram satis miseriam oculis spectantium prodit. *Miseriam adiicere* eadem ratione dici videtur atque *animum addere*, et similia.

V. 10. *At nos pudet.* Versum iambicum excipiunt cretici duo, quorum prior trimeter est alter tetrameter. Amat Plautus in prosodicis ternum pedum numerum; sic statim post recurrunt tres bacchii et in hac eadem fabula III, 2, 2. ubi tres cretici. Legitur in Codd. *si vos eximat*, quod et in metrum et in sententiam peccat; oratio enim sic procedit: *si eximat vinculis, quos argento emerit.*

V. 13. 14. 15. Tres bacchios sequuntur duo cretici tetrametri. *Fugam fingere* est meditari, moliri fugam, struere f. de qua verbi significatione agit Nonius Marc. pag. 308. M., qui hoc Lucilii subiungit exemplum: *Sed fuga fingitur, timido vadit pede percitus.* — *Séntio quam rém agitis;* sic libri. Voluit olim Hermannus: *Séntio, quám rem agis*, scilicet metro flagitante, quod vulgata non turbatur. De structura, quae indicativum pro coniunctivo admittit, cf. Epid. III, 4, 20. *Vt, quod ego ad te venio, intellegas.* Aeque ita frequentissime apud Plautum. Adde Plin. Epp. VII, 20. *Nescio quo loco iungimur.*

V. 16. 17. Sunt duo trochaici tetrametri acatalectici, quos excipiunt cretici cum clausula, quae bacchio praeparatur. Etenim si dubitari possit, utrum v. 19. sit tetrameter creticus, an creticus trimeter cum bacchio, facile praeparatio clausulae evincat, bacchium esse — *bis nóbis* —, propterea quod eiusmodi clausularum praeparationes apud Plautum non rarae sunt. Memorabilior etiam est locus Rud. I, 5, 5. ubi bacchiaci et cretici numeri ante clausulam sic mixti inveniuntur, transitum faciente diiambo:

Iubémus te sálvere, máter. Salvéte
Puéllae — sed únde vos — íre cum úvida
Véste dicam, óbsecro,
Tam moéstiter vestítas.

V. 21. Sequuntur duo cretici tetrametri, quos excipit dimeter; tum rursus duo tetrametri cum dimetro. Verba *abscedite*

Sed brevem orátionem íncipesse. *Ph.* Hém mi istuc
Cértum erat. Cóncede huc.
Lor. 'Abite ab istís. *Tynd.* Obnoxii ámbo vobís sumus
Própter hanc rém, quom, quae vólumus nos, cópiae
Fácitis nos cómpotes.
Ph. Sécede huc núnc ïam, sí videtúr, procul;
Ne árbitri dícta nostra árbitrarí queant,
Neú permanét palam haec nóstra fallácia.
Nám doli nón doli súnt, nisi astú colas,
Séd malum máxumum, si íd palam próvenit.

---

hinc ad ceterorum servorum turbam; verba autem *nos concedamus huc* ad lorarios spectant. *Incipesse* est imperativus verbi ad formam futuri producti *incipesso, incipessere.* Ceterum *incipesse* ad unum Philocratem dicitur. Verba *Abite ab istis* dicuntur ad servos curiosos, qui nondum de scena decesserant. Syllabae: *Abite ab is* — creticum faciunt; quamvis enim penultima in *abite* proprie producatur, corripitur tamen saepe apud Plautum propter vim ictus in syllaba verbi prima. V. 24. *Obnoxii* aut scribendum aut pronunciandum tanquam trisyllabum. Obnoxius est, qui alicui aliquid debet, tanquam ei devinctus. Sic recte Acidalius Divv. Plautt. pag. 481. Proprie enim *obnoxius* dicitur, qui ob noxiam aliquam suam alteri concedit, suo iure non utens, animi conscientia fractus. Hac nativa significatione saepe apud Plautum, veluti Bacch. V, 2, 80. *Ne obnoxius filio sim et servo.* Poen. V, 4, 18. *Omnia faciet Iupiter, faxo; nam mihi est obnoxius et me metuit.* Inde obnoxii dicuntur a similitudine quadam affectus et condicionis etiam ii, qui alicui aliquid debent, ut hoc loco. Similiter apud Gellium loco nobilissimo lib. VII, 17., qui locus conferendus est totus, in versu Caeciliano:

— Quanquam ego mercéde conductús tua
Adcénio, ne tibi me ésse ob eam rem obnóxium
Reáre; audibis mále, si maledixís mihi.

Haec amplius dicuntur exponunturque ab Acidalio et in Parei lexico Plautino sub v. *obnoxius*, quod cf.

V. 25. *Quom, quae volumus nos, copiae facitis nos compotes.* Sic Hermannus scribi iussit, quo etiam Codicum ducit lectio: *cum quae volumus nos copia ea facitis n. c.* Ordo autem est: *quom eorum, quae volumus, copiae nos compotes facitis*, hoc est: *eorum copiam nobis praebetis. Rei copiam habere* quum dicatur pro *veniam rei utendae impetrare*, amplius hoc produxit Plautus, dicens, *compotem copiae rei facere.* Locutionis asperitas emollitur, quod alter genitivus omittitur.

V. 27. *Secede huc.* Iam sequitur sermo duum captivorum illorum, Tyndari et Philocratis, versibus creticis scriptum quos sequuntur pro affectuum mutatione alia metrorum genera. *Arbitrari* est speculari, ut saepe apud Plautum. Veluti Aulul. IV, 1, 21. *Hinc ego et huc et illuc potero, quid agant, arbitrarier.* Et *arbiter* interdum speculatorem, *arbitrium* prospectum, atque inde *arbitrari* prospicere, speculari notat. Horat. epist. I, 11, 26. *Non locus, effusi late maris arbiter, aufert.* Verba: *ut hoc sobrie sineque arbitris* constituunt versum iambicum dimetrum, qui transitum facit a creticis ad bacchiacos, qui sequuntur. *Sobrie* est considerate, deliberato consilio.

Nám si herus tú mihi es, átque ego mé tuum
Sérvum assimuló, tamen víso opu'st, caúto opust,
Ut hoc sóbrie, sineque árbitris
Accúrate agátur, docte ét diligénter.
Tanta íncepta rés est: haud sómniculóse hoc
Agéndum est. *Ty.* Ero, út me volés esse. *Ph.* Spéro.
Ty. Nam tú nunc vidés pro tuó caro cápite
Carum ófferre mé meum capút vilitáti.
Ph. Scio. *Ty.* 'At scire meménto
Quando íd quod vóles habébis.
Nám fere máxima pars mórem hunc hominés habent:
Quod síbi volunt, dum id ímpetrant,
Súnt boni; séd id ubi iám penes sése habent,
'Ex bonis péssumi et fraúdulentíssumi
Fíunt; nunc út mihi té volo, esse aútumo.
Quód tibi suádeam, suádeam meó patri.
Ph. Pól ego te, si aúdeam, meúm patrem nóminem;
Nám secundúm patrem tu és pater próxumus.
Ty. Aúdio. *Ph.* Et propterea moneo saépius te, ut mémineris,

---

V. 39. *Caput vilitati offerre* est vitam et salutem vilem quasi ac venalem habere. *Vilitas* enim proprie est rei venalitas, *die Feilheit*, quia *vilis* proprie *venalem* notat. Sic Plaut. Trin. I, 1, 10. *Neque quicquam hic vile nunc est, nisi mores mali.* Igitur *offerre caput vilitati*, caput venale habere, sein Haupt zu Markte tragen. *Carum meum caput*, ut Graecorum φίλη κεφαλή, φίλον ἦτορ. *Nam* continuationem notat orationis a Philocratis verbis interpellatae. *At scire memento.* Dixerat ante Tyndarus, se paratum esse ad sacrificandam pro Philocratis salute vitam suam. Quanti hoc faciendum sit, scire se respondet Philocrates. Cui Tyndarus reponit: memento huius mei beneficii, cum impetraveris, id quod hac nostra fallacia impetratum cupis. Versus sunt huiusmodi: V. 40. est bacchiacus dimeter transitum faciens ad clausulam iambicam: *quando íd quod vóles habébis*, quae similis est illi in Rud. I, 5, 7. *Tam moéstiter vestitas;* Cistell. IV, 2, 11. *An illác institerit íre*, nam sic ibi legendum. Rud. IV, 3, 23. *Attinet ad té. Quid fáctumst* (cf. Kampmann. Annotatt. ad Plauti Rud. pag. 46), quales sunt innumerae apud Plautum. *Voles* est monosyllabum, ut saepe *velis*. V. 42. Vv. *maxima pars* choriambum pro cretico praestant, cuius rei exemplis non est opus. Ceterum v. 42. est creticus tetrameter, quem sequitur dimeter iambicus, qualis ille in supp.: *Ut hoc sobrie sineque arbitris;* tum oratio redit ad creticos tetrametros. *Morem* ἦθος non ἔθος. *Penes sese habere* in sua potestate habere, impetrasse. Atque haec est nativa illius praepositionis significatio. *Fraudulentissumi fiunt.* Sic Hermannus et metro et vero etiam sententia et grammatica ratione flagitante. Vulgo *fraudulentissumi sunt.* — *Volo, esse autumo.* Lambinus nolentibus MSS. *esse* bis posuerat, quod deinde amplius propagatum est. Nunc metri ratio docuit, frustra fuisse. *Si audeam.* Si propter pietatem in patrem id fas esse putem.

V. 50. *Audio.* Versus duo seqq. vulgo turbato metro leguntur:

Nón ego herus tibí, sed servus súm; nunc te hoc unum óbsecro:
Quóniam nobis Di ímmortales ánimum ostenderúnt suum,
'Ut qui herum me tíbi fuisse, atque esse nunc conservúm velint;
Quód antehac pro iure ímperitabam meó, nunc te oro pér precem,
Pér fortunam incértam, et per mei te érga bonitatém patris,
Pér conservitiúm commune, quod hóstica evenít manu,
Né me secus honóre honestes, quam, quom servibás mihi,
'Atque utí qui fuerís, et qui nunc sís, meminisse ut mémineris.
Ty. Scío quidem me te ésse nunc, et te ésse me. *Ph.* Hem istuc sí potes
Mémoriter meminísse, inest spes nóbis in hac astútia.

ACTVS II. SCENA II.

Hegio, Philocrates, Tyndarus.

Iam égo revertar íntro, si ex his quaé volo exquisívero. —
'Ubi sunt isti, quós ante aedis iússi huc producí foras?
Ph. 'Edepol tibi ne quaéstioni essémus, cautum intéllego;

Ty. Audio. Ph. Et propterea saepius te, ut memineris, moneo
Non ego herus tibi, sed servus sum; nunc obsecro te hoc unum.
Lenissima transpositione verborum *moneo* et *obsecro* trochaicos tetrametros feci catalecticos, cum reliquis congruentes. V. 53. *Esse* pyrrhichius est.

V. 54. *Quod antehac.* Anapaestus initio trochaici versus pro trochaeo. *Per precem* opponitur verbis *pro iure.* Igitur *per precem* est precando, sive potius *eundo per preces,* auf dem Wege der Bitte. Ita enim differunt *prece* et *per precem.* *Te erga* pro *erga te*, ut *haec inter.* *Memoriter meminisse.* Iniuria vituperat Taubmannus in notis ad hunc locum et ad Asin. III, 2, 38. Lambinum, ipse vehementer vituperandus. *Memoriam* enim esse vult dexteritatem agendi. Quid hoc sit, non assequor. Sed *memoriter* est promta et expedita recordandi facultate. Sic Cic. Acad. II, 19. *Si te, inquit, Luculli oratio flexit, quae est habita memoriter, accurate, copiose.* Illa autem dictionis abundantia *memoriter memini,* si qua est, Plauto tam est familiaris, ut nihil habere possit offensionis. Sic Amphtr. I, 1, 261. *memoriter memorat.* Similiter etiam Afranius in Vopisco, loco a Charisio citato pag. 65. ed. m. *memini memoriter.* Ad eandem rationem alia Plautus *propere properans, sapienter sapit, madide madeam, valide valet.* Quae exempla iam a Lambino collecta sunt. Syllabae *in hacast* — pro trochaeo sunt; *hac* enim corripitur.

Revertitur in scenam Hegio, ut ex captivis suis exploret, quo genere nati sint, et uter eorum nobilis ille sit, propter quem utrumque emerat. *Revertar intro.* Haec loquitur retro ad servorum aliquem, qui eum retinens de negotiis quibusdam aut mandatis rogaverat. *Ne quaestioni essemus.* Sic V. C. Cam. a pr. manu et Codd. Langg. Vulgo: *ne in quaestione.* Sensus est:

'Ita vinclis custódiisque circummoenití sumus.
He. Quí cavet, ne décipiátur, vix cavet, quum etiám cavet.
'Etiam quum cavisse ratus est, saépe is cautor cáptus est.
'An vero non iústa causa est, út vos servem sédulo,
Quós tam grandi sím mercatus praésenti pecúnia?
Ph. Néque pol tibi nos, quía nos servas, aéquomst vitio vórtere:
Néque te nobis, sí abeamus hínc, si fuat occásio.
He. 'Ut vos hic, itidem íllic apud vos meús servatur fílius.
Ph. Cáptus est? *He.* Ita. *Ph.* Nón igitur nos sóli ignavi fúvimus.
He. Sécede huc, nam súnt ex te quae sólo scitarí volo,
Quárum rerum té falsiloquum mi ésse nolo. *Ph.* Nón ero,
Quód sciam; si quíd nescibo, id néscium tradám tibi.
Ty. Núnc senex est ín tonstrina; núnc iam cultros áttinet.

Cautum esse putem a te, ne quaerere nos opus habeas, cum tam arcte nos custodiri iusseris. *Saepe is cautor captus est.* *Capi* saepe dicuntur, qui dolo et fraude alterius magnam faciunt iacturam aut aliquantum detrimenti patiuntur. Cf. Epid. III, 3, 23. *Iam ipse cautor captus est.*

V. 10. Monenti Philocrati, se non quaerendos fuisse quia satis sint custoditi, responderat Hegio, tanti eos emtos esse, ut iusta sit caussa, cur eos tam sedulo servet et custodiat. Cui iterum Philocrates, non est, inquit, aequum, hoc tibi nos vitio vertere, quod tanta nos diligentia custodis; nec tamen etiam tu nobis id vitio vertere debes, si, ubi fuerit occasio, effugere conemur. V. C. Cam. *aequom stulcio vortere*, h. e. *aequomst vitio v.* In verbis *si abeamus* hiatus deprehenditur, cuius simile exemplum exstat in Trin. I, 2, 8. ut alia multa taceam.

V. 13. *Secede huc.* Primum Philocratem seorsim ducit Hegio, ut de eo exquirat, quod scitu necessarium putat. *Quarum rerum.* Cf. Amphitr. prol. 107. *Quam liber harum rerum multarum siet.* Cistell. I, 1, 33. *Suique omnium rerum nos indigere,* ubi vide Gronov., qui alia affert huius genitivi exempla. *Si quid nescibo.* Vulgo *nescivi.* Illud recepimus de Acidalii sententia, qui existimat scriptum fuisse *nescivo*, id quod revera in V. C. scriptum fuit a pr. m., quod corruptioni ansam praebuerit. Ceterum similis formula Asin. I, 1, 13. *Vt ipse scibo, te faciam ut scias.* In verbis: *id nescium tradam tibi* inest iocus. Cum enim dicendum esset: *id dicam tibi me ignorare*, dicit nescium tibi tradam, paronomasiae causa, tanquam *nescium* h. e. id quod nescitur, cum alio communicari possit.

V. 16. *Tonstrina.* Proverbialis locutio etiam nostratibus familiaris, ducta imagine a tonsoribus. Hinc *tondere* saepe idem quod decipere. Sed etiam est, ubi *tondere* idem quod depeculari significet. Vt Bacch. II, 3, 8. Nam duplici ratione dici potest *tondere;* de capillis et barba in hominibus, et de pelle pecudum, in qua quum tondentur, lana privantur. *Nunc iam cultros attinet.* De Philocrate dictum volunt, ita ut sit sensus: *Nunc ille iam cultros seni admotos tenet.* Falsum hoc, puto. Structura est: *Senex nunc iam ad cultros attinet;* sensus: Hegioni res iam

Ne íd quidem involúcrum inicere vóluit, vestem ut ne ínquinet.
Séd utrum strictimne áttonsurum dícam esse, an per péctinem,
Néscio: verúm si frugi est, úsque admutilabít probe.
He. Quíd tu? servusne ésse, an liber mávelis, me memorá mihi.
Ph. Próximum quod sít bono, quodque á malo longíssime
Id volo: quamquám non multum fuít molesta sérvitus;
Néc mihi secus erát, quam si essem fámiliaris fílius.
Ty. Eúgepae! Thalém talento nón emam Milésium.
Nam ád sapientiam húius ille nímius nugatór fuit.

---

ad cultros devenit. Nam *attinere* aliquid etiam sine praepositione *ad* dici de re, quae ad aliam usque pertinet, eamque veluti contingit, in vulgus notum. *Involucrum*, ὠμόλινον, linteum illud, quo tonsores humeros tondendorum solent involvere, ne vestis inquinetur. *Vtrum strictimne — an*. *Strictim tondere* est ἐν χρῷ κείρειν, proxime ad cutem; *per pectinem* vero, longius a cute, pectine interposito. Formula *utrum — ne — an* habet nativam disiunctivae interrogationis formam. *Utrum* enim est πότερον, welches von beiden. Iam si *utrum* posuisti, notiones, de quibus interrogatur, nondum interrogandi notula insignitae sunt. Ea notula continetur particulis *ne — an*, *an — an*. Igitur sic proprie est illa formula composita: *utrum est*, *an hoc*, *an illud*; *utrum est*, *hocne*, *an illud?* Πότερόν ἐστιν, ἢ τοῦτο, ἢ ἐκεῖνο; Quae ratio ita deinde emollita et temperata est, ut *ne* vel *an* prius omitteretur, quod etiam omitti solet, cum, quod saepe fit, *utrum* in disiunctivis interrogandi formulis omittitur, velut: *hoc*, *an illud?* pro *hocne an illud*. *Usque* continentiam actionis ac perpetuitatem notat. Itaque *usque ammutilabit* wird immer hinanstümmeln, h. e. wird ihn recht verstümmeln. Unde fit, ut vocula *usque* etiam rei intensionem significet. — Hactenus Tyndarus, a secedentibus Hegione et Philocrate relictus, secum sive ad spectatores locutus est. Nunc sequitur confabulatio Hegionis et Philocratis.

V. 20. Vt sibi conciliet Pseudotyndari animum eumque ad verum confitendum promtum paratumque reddat, quaerit Hegio, an liber potius, quam servus esse velit, sic nimirum spem manumissionis procul ostentat. Respondet Philocrates, servitutem sibi quidem olim non multum molestam fuisse, sed tamen se malle, quod bono sit proximum, quodque a malo longissime absit. *Filius familiaris* Sohn vom Hause; cf. Asin. II, 2, 43. Contra non dicitur *pater familiaris*, *mater familiaris*, sed *p. familias*, *m. familias*. Dicitur tamen *filius familias* Cic. pro Coelio, 15. fin.

V. 24. Philocrates, Tyndari servi sui personam ementitus simulac cum Hegione colloqui coepit, orationem astute et tanquam aliud agens ad servitutem contulerat, quo magis Hegionem circumveniret et facilius. Tyndarus vero, ad spectatores conversus Philocratis astutiam festive miratur, eamque ioculariter cum sapientia confundit. Thales, inquit, Milesius, quantumvis sapientissimus, ad huius sapientiam plane nugator fuit; illius sapientia prae ea, quam nunc Philocrates prodit, nulla fuit. Et si Thales, qui neque reviviscere neque alio pacto restitui potest, sed si ille talento erui possit, ego non emam, nam hic maius quiddam est, quam Thales fuit. *Ad* comparationibus inservire, in vulgus no-

'Ut facete orátionem ad sérvitutem cóntulit;
He. Quó de genere nátu'st illic Phílocrates? *Ph.* Polyplúsio,
Quód genus illi est úuúm pollens átque honoratíssimum.
He. Quíd ipsus hic? Quo honóre est illic? *Ph.* Súmmo, atque ab summís viris.
He. Tum ígitur ei quum in 'Aliis tanta grátia est, ut praédicas,
Quíd divitiae, súntne opimae? *Ph.* Unde éxcoquat sevúm senex.
He. Quíd pater? vivítne? *Ph.* Vivum, quum índe abiimus, líquimus.
Núnc vivatne, néc ne, id Orcum scíre oportet scílicet.
Ty. Sálva res est; phílosophatur quóque iam, non mendáx modo est.
He. Quód erat ei nomén? *Ph.* Thesaurochrysonicocroesides.

---

tum. Cf. Parei Lexicon Plautinum in voce *Ad.* Ceterum v. 26. vulgo omittitur v. *ille*, quod primus Bosscha apposuit metri fulciendi caussa. Bothius: *nam pol ad* omisso *ille.* Sed videtur sententia flagitare pronomen.

V. 27. Hegioni de condicione et natalibus captivi illius, quem nobilem putat, interroganti, iocose et fictis nominibus respondet Philocrates. *Polyplusio, quod genus* cet. At nimirum genus πολυπλούσιον nusquam, nisi in Alide, praepollens atque honoratum est! *Atque ab summis viris.* Summo est honore, quique ei contingit a summis viris, non a plebe. Summa enim laus est, laudari a summis viris. Sic ille demum honor est, qui a bonis et magnis viris habetur et defertur. — Tum an *opimae* sint eius divitiae quaerit Hegio. Falsus Tyndarus, propria notione v. *opimae* per iocum accipiens, respondet, tam opimas esse, ut inde sevum excoquere possit etiam senex. Sermo de filio est, non de patre. Sententia igitur: ut Philocrates in senectutem usque satis superque possideat. Errant, qui *senex* h. l. de patre accipiendum putant. *Vivatne, nec ne.* Sic metri causa reposuimus, pro vulgato: *vivat, nec ne.* Ex usitata quidem ratione omittitur interrogandi particula in priore membro, ubi sequitur in altero *nec ne.* Nec tamen desunt exempla, ubi sequente *necne* particula prius membrum habeat *utrum* vel *an* vel *ne.* Caesar de B. Gallico I, 50. *Vtrum proelium committi ex usu esset, necne.* Cic. pro Roscio Com. c. 17. *Quaero enim, poteritne Roscius ex societate partem suam petere, necne.* Cic. Catilin. II, 6. *Quaesivi a Catilina, an nocturno conventu apud M. Leccam fuisset, nec ne.* Tyndarus ad spectatores loqui et sua de illorum confabulatione interponere iudicia pergit. *Salva res est*, non est, quod metuamus periculum, recte procedunt doli, nam non mendax modo est Philocrates, sed philosophatur etiam; tanta arte fraudem dissimulat. In seqq. Bothius nostrum tulit assensum, pro vulgato *Thesaurochrysonicochrysides* scribens: — *croesides.* Nos enim nihili esse existimamus repetitionem τοῦ χρυσοῦ in hoc nomine ficto, confirmare autem emendationem videtur, quod terminatione — *croesides* magis patronymicum apparet nomen. Quaerenti Hegioni, an mirificum illud nomen propter divitias inditum, respondet Pseu-

He. Vídelicet proptér divitias índitum id nomén quasí est.
Ph. 'Immo edepol proptér avaritiam ípsius ac tenáciam
[Nam ille quidem Theodoromedes fuit germano nomine.]
He. Quíd tu ais? tenáxne pater est eíus? *Ph.* Immo edepol pértinax.
Quín etiam ut magis nóscas, Genio súo ubi quando sácrificat,
'Ad rem divinám quibus est opus Sámiis vasis útitur,
Ne ípse Genius súrripiat; proinde áliis ut credát vide.

---

dotyndarus, propter avaritiam factum id esse. Vulgo: *propter avaritiam ipsius atque audaciam.* Sed *tenaciam*, quod rei magis convenit, et firmatur sequentibus, iam Acidalius legendum viderat; in V. C. Cam. est *avariciam atque audet*, mutilato fine versus, ut saepe in Cod. illo. Ceteri libri: *avaritiam atque audaciam.* Origo vitii in mutilato fine versus, quae saepe fuit causa corruptionis apud Plautum. Versus 38. *nam ille — nomine* insiticius est et furca eiiciendus. Infra enim III, 4, 100 seqq. nescit Hegio verum Theodoromedis nomen, quo tunc demum audito ex Aristophonte, fraudem sibi factam colligit.

V. 39. Tenaciam et avaritiam patris commemoraverat Pseudotyndarus, quod Hegio non e re sua esse intelligens, quaerit: *tenaxne pater eius est?* Cui respondet ille: *imo edepol pertinax;* ludens in nativa significatione huius vocabuli, quod hoc loco est *valde tenax.* Inde scribi nonnulli iusserunt: *pertenax*, qua ratione perit lusus. Eius avaritiam ut amplius describat, subiungit: si quando Genio suo sacrificat, vilibus utitur vasis, ne, si aurea aut argentea sint, ab ipso Genio surripiantur. *Vasa Samia* sunt testacea, fictilia. Celebrata est terra Samia apud Veteres et vasa ex ea confecta per omnem antiquitatem memorantur. Cf. Cic. pro Murena 36. Plaut. Menaechm. I, 2, 65. ubi cuidam monenti, ut ne graviter pulset fores, alter respondet: *metuis, credo, ne fores Samiae sint.* Adde Auson. Epigr. VIII, 1. *Fama est, fictilibus coenasse Agathoclea regem, Et mensam Samio saepe onerasse luto. Genio sacrificare* dicuntur, qui ut Genio indulgeant, epulantur et convivia instituunt. Nam *Genius* est Deus congenitus, dictus a prisco *genendi* vocabulo; v. Scaliger ad Festum v. *geniales Dii*, p. 438. ed. m. Erat igitur proprie Genius non tam tutelaris uniuscuiusque hominis deus, quam potius melior et divina eius natura quaedam. Inde factum, ut quicquid mansuetius, hilarius, et beatae deorum vitae propius humana ferret natura, Genio tribueretur, atque eius auctor Genius haberetur. Quapropter *Genio indulgere* proprie est gratificari cupiditati, quae nos beare iubet ipsos. *Genium bonum, meliorem facere*, i. e. propitiare Genium, quod ipsum nihil aliud, nisi se exhilarare. *Vbi quando* dictum ut si quando; indicat autem appositum *quando* raro ab eo fieri propter avaritiam.

Itaque, inquit Philocrates, quum ipsi adeo Genio suo ille diffidat, vide ut aliis credat. *Vide, ut* — proprie *cura, quo pacto* —; sieh zu, wie. Hoc est *vix.* Sic enim haec formula explicanda est, nec aliter eius generis aliae. Igitur *vide, ut hoc fiat* est pr. *cura, qua ratione hoc fieri possit;* non enim credibile est fieri, *vix* igitur *fiet. Vide, ne hoc fiat* pr. cura, quomodo hoc non fiat; fieri autem probabile est, *fiet* igitur, *ut opinor.* Similis est ratio formularum: *metuo, ut hoc fiat, metuo ne fiat.*

He. Séquere hac me igitur. 'Eadem ego ex hoc, quaé volo, exquaesívero.
Phílocrates, hic fécit, hominem frúgi ut facere opórtuit.
Nám ego ex hoc, quo génere gnatus sís, scio; hic fassúst mihi.
Haéc tu eadem si cónfiteri vís, tua e re féceris,
Quaé tamen scito scíre me ex hoc. *Ty.* Fécit officium híc suum,
Quám tibi est conféssus verum, quámquam volui sédulo
Meám nobilitatem óccultare et génus et divitiás meas,
Hégio; nunc quándo patriam et líbertatem pérdidi,
Nón ego istunc me pótius, quam te, métuere aequom cénseo.
Vís hostilis cum ístoc fecit meás opes aequábiles.
Mémini, quom dicto haúd audebat; fácto nunc laedát licet.
Séd viden'? Fortúna humana fíngit artatque út lubet.
Mé, qui liber fúeram, servom fécit, e summo ínfimum.
Qui ímperare insuéram, nunc altérius imperio óbsequor.

Nam in his *metuere*, *timere*, *vereri* et alia huiusmodi curam cum metu coniunctam significant. Igitur *metuo ut fiat* est *anxie curo*, quo pacto fieri possit: ich habe bange Besorgniss, wie dies zu Stande gebracht werden möge. Hoc est, *vix fiet*, inde metus. *Metuo, ne fiat* significat: *anxia* mihi est *cura*, quomodo non fiat; ich sorge ängstlich dafür, wie es nicht geschehen möge. *Fiet enim*, ut puto, inde metus. Paullo aliter se res habet in verbo *cavere*, de quo infra, ad Captiv. II, 3, 79.

V. 43. Philocrate dimisso, quem falso servum putat, Tyndarum iam seorsim abducit Hegio, ex eoque idem quaerit, quod ex Philocrate quaesierat, rem de compacto geri nihil opinatus. Ait igitur, sibi omnia iam explorata esse de heri genere et condicione; quae si eadem confiteatur ipse, e re sua facturum. In verbis: *tua e re feceris* in V. C. Cam. et Pall. omittitur praepositio, quae salva sententia omitti nequit. Priscae edd. aliquot *tua ex re.* — Tyndarus respondet, voluisse quidem suam se nobilitatem occultare, sed quoniam in hanc, quae nunc sit, condicionem delapsus sit, non sperare se potuisse, fore, ut ille, qui, hucusque servus suus, se iam prodiderit, magis suam, quam novi heri auctoritatem revereretur. *Cum istoc fecit meas opes aequabiles.* Pro eo, quod dicendum erat: *cum istius opibus meas aequavit.* Comparatio non relata ad id, quocum comparanda res erat, sed ad remotius aliquid, h. l. ad personam, ad quam illud pertinet. Ita Graeci, maxime in structura comparativi, veluti tritum illud Herodoti ostendit: πυραμίδα ἀπελίπετο πολλοῦ ἐλάσσω τοῦ πατρός. Add. Anthol. Graec. Archiae epig. 15. τίς ἐμεῦ γλῶσσα δικαιοτέρη. *Aequabile* quod aequat, aequum est, ut *conducibile*, quod conducit, et sic alia multa. — Satis probabiliter se herum et liberum natum assimulat Tyndarus. Viden', inquit, me, qui liber fueram, servum nunc esse? E summo infimus factus sum. Ita fingit arctatque pro arbitrio fortuna res humanas. *Fingit* in genere Fortunae in mutandis rebus humanis et efformandis negotium notat, πλάττει; *arctat* singularem illius negotii speciem, in arctius contrahit, συστέλλει; quae amplae res fuerant et opimae, eas in angustiam redigit, atterit. Falsa est igitur Meursii coniectura, saltem non necessaria: *fingit aptatque.*

'Et quidem si proínde, ut ipse fui ímperator fámiliae,
Hábeam dominum, nón verear ne iniúste aut graviter mi imperet.
Hégio, hoc te mónitum, nisi forte ípse non vis, vólueram.
He. Lóquere audacter. *Ty.* Tam égo fui ante líber, quam gnatús tuus.
Tám mihi, quam illi, líbertatem hostílis eripuít manus.
Tam ílle apud nos sérvit, quam ego nunc híc apud te sérvio.
'Est profecto Deus, qui, quae nos gérimus, auditque ét videt.
'Is, uti tu me hic hábueris, proinde íllum illic curáverit.
Béne merenti béne profuerit, mále merenti pár erit.

V. 60. Pergit Tyndarus Philocratis partes belle et composite agere. Hegionem monet, ut ne severam et gravem suam esse velit servitutem. Cogitet, ait, esse Deum, qui malefacta ulciscatur, benefacta remuneret. Vt se hic tractaret, ita illius filium in Alide habitum iri. *Curaverit*, videlicet Deus. Ceterum utrumque verbum: *habuerit*, *curaverit*, temporis est futuri exacti, cuius ratio in priore satis est manifesta, non item in posteriore. Res paullo altius est repetenda, nec possumus tam leviter ea defungi, ut fecit Goerenzius ad Cic. de Fin. I, 20. p. 99. Futurum exactum, quod dicitur, apud Romanos quadruplicis est usus. Primum ad relativorum temporum seriem pertinet, atque praeteriti temporis relationem ad futurum, sive praeteritum tempus ut futurum cogitatum indicat, quae significatio est nativa et formationi ipsi respondet Cic. Ep. ad Q. Fr. III, 7. *Romam cum venero, scribam ad te.* Deinde actionem futuram momentaneam, sive momentum futuri temporis notat. Cic. de Finib. III, 6. pag. 437. ed. Goer. *Tamen ego quoque exponam, ut perspiciamus, si potuerimus, quidnam a Zenone novi sit allatum.* Cic. Brut. 5. *Ego vero, inquam, si potuero, faciam vobis satis.* Vtrobique falsi quid et a re alieni diceret futurum primum *poterimus* et *potero*, quod utrobique Ernestius reposuit. Nam *potero* statum perennem, durantemque possibilitatis, ut ita dicam, condicionem, permanentem facultatem notaret; contra *potuero* momentum sive punctum temporis, quo quis potest, significat. Sic saepe *dixero*, *videro* apud Ciceronem. Tum singularem habet celeritatis agendi futuro tempore cogitatae notionem, quae cum ea, quam secundo loco posuimus, momentanei futuri notione coniunctissima est, vel potius illam demum parit. Exempla omni expositione clarius rem demonstrabunt. Terent. Adelph. I, 2, 48. *Si pergis, abiero.* Idem Heautont. I, 1, 55. *Si id non facis, ego — invenero* Et saepe alibi apud Terentium. Plaut. Epid. III, 4, 78. *Propera fugere hinc — abiero.* Idem Trin. III, 1, 24. Pers. II, 2, 68. Et alibi permultis locis. Denique habet futurum exactum aliquam communis opinionis vel exspectationis significationem, cum, dum aliquid fit sive geritur, aliud diu ante fieri debuisse de communi sententia exspectatum esse significare volumus, unde postea universam traxit opinionis et cogitationis notionem quae alias soli coniunctivo inhaeret. Veluti illud est Cic. de Finib. I, 20. loco supra iam indicato. *Etenim si loca, si fana, si urbes, si gymnasia, si campum, si canes, si equos, si ludicras exercendi aut venandi consuetudines adamare solemus, quanto id in hominum consuetudine*

Quám tu filiúm tuum, tam patér me meus desíderat.
He. Mémini ego istoc. Séd faterin' éadem quae hic fassu'st mihi?
Ty. 'Ego patri meo ésse fateor súmmas divitiás domi,
Méque summo génere gnatum, séd te obtestor, Hégio,
Né tuum animum aváriorem fáxint divitiaé meae,
Né patri, tametsi únicus sum, decére videatúr magis,
Mé saturum servíre apud te súmptu et vestitú tuo,
Pótius quam illi, ubi mínime honestum est, méndicantem vívere.
He. 'Ego virtute Deum ét maiorum nóstrum dives súm satis.
Nón ego omninó lucrum omne esse útile homini exístimo.
Scío ego, multos iám lucrum luculéntos homines réddidit;
'Est etiam, ubi profécto damnum praéstet facere, quám lucrum.

---

facilius potuerit et iustius? Proprie: *wie viel leichter wird das haben statt finden können*, vel, ut recte Goerenzius vertit, *wie viel leichter wird das, sollte man meinen, statt finden können.* Quid vero Goerenzius sibi velit, qui ad h. Cic. l. de futuri exacti vi optativa loquitur, ego non assequor. — Quam ultimo loco posuimus notionem futuri exacti, ea hoc nostro Plauti loco obtinet. Deus, inquit Tyndarus, uti tu me hic habueris, ut credibile est, curatum habebit in Alide. Wie du mich hier wirst behandelt haben, so wird, das steht zu erwarten, ein Gott für jenen dort sorgen. Adde Virg. Aen. VI, 88. *Non Simois tibi nec Xanthus nec Dorica castra Defuerint.*

V. 67. *Memini ego istaec.* Dicit Hegio, sibi ista omnia in memoria haerere. Tum pergit: sed aliud erat, quod te volueram, ut fatearis idem, quod ille mihi de genere tuo prodidit. Respondet Tyndarus: cave, ne pretium pro me commutando nimium postules; metuendum enim est, ne pater meus magis decorum putet, me hic apud te saturum vivere, quam domi mendicantem, postquam redemtionis pretium patrias opes exhausit. Eam, quam Tyndarus habet, avaritiae suspicionem non in se convenire, reponit Hegio. Se enim et divitem satis esse et probe scire, praestare interdum damnum facere, quam lucrum. Hoc unum se velle, ut filius suus redux ad se fiat. *Virtute deum et maiorum nostrum.* Vocabulum *virtutis* latissime patet apud veteres Latinos scriptores, Plautum maxime. Significat enim omnem hominis praestantiam, tum potestatem et inde profecta merita, auxilia, beneficia. Igitur *virtus formae* est pulcritudo. Mostell. I, 3, 17. *Merci pretium statuitur, pro virtute ut veneat.* Milit. III, 1, 133. *Virtus* deorum est *beneficium;* hominum, *meritum.* Sic Trin. II, 2, 74. *Deum virtute habemus, et qui nosmet utamur, pater, et aliis qui comitati simus benevolentibus.* Ibidem v. 65. *Edepol Deum virtute dicam, pater, et maiorum, et tua, multa bona bene parta habemus.* Persa III, 1, 62. *Pol deum virtute dicam et maiorum meum* cet. Add. Aulul. II, 1, 44. ubi idem versus, qui h. l. recurrit: *Ego virtute deum et maiorum nostrum dives sum satis.* — *Luculenti* dicuntur homines saepe a Comico qui a divitiis clari habentur et illustres; non raro etiam *res* ipsae, divitiae, *luculentae* dicuntur. *Est etiam, ubi.* Graecorum ἔστιν ὅπου, i. e. interdum. —

'Odi ego aurum; múlta multis saépe suasit pérperam.
Núne hoc animum advórte, ut ea, quae séntio, paritér scias.
Fílius meus íllic apud vos sérvit captus Alide;
'Eum si reddis míhi, praeterea únum numum né duis;
'Et te et hunc amíttam hinc; alio pácto abire nón potes.
Ty. 'Optumum atque aequíssumum oras, óptumusque hominúm es homo.
Séd is privatam sérvitutem sérvit illi, an públicam?
He. Prívatam medicí Menarchi. *Ph.* Pól hic quidem huius ést cliens.
Tam hóc quidem tibi ín proclivi, quam ímber est, quandó pluit.
He. Fác is homo ut redimátur. *Ty.* Faciam; séd te id oro, Hégio. —
He. Quídvis, dum ab re né quid ores, fáciam. *Ty.* Ausculta dúm, scies.
'Ego me amitti, dónicum ille huc rédierit, non póstulo.
Vérum te quaeso, aéstimatum hunc míhi des, quem mittam ád patrem,

---

Ceterum huc pertinet illud Terentii Adelph. II, 2, 8. *Pecuniam in loco negligere, maximum interdum est lucrum.* Verba *captus Alide* omissa *in* praep. leguntur in Cod. V. Cam. et Pall. Reliqui libri: *captus in Alide.* Aliter supra I, 1, 26. *illic captust in Alide.* In verbis *praeterea unum* hiatus deprehenditur legitimus, ex legibus versuum asynartetorum repetendus. Cf. Hermann. Elem. doctr. metr. p. 88.

V. 83. Pseudophilocrates Hegionis consilium de commutando filio approbat. Sed ut inveniat, quo pacto illud effectum reddi possit, multa ex Hegione quaerit, et primum utrum *privatam* servitutem in Alide serviat filius, an *publicam.* De servitute *publica et privata* pauca exposita leguntur in Meyeri libello antiqq. Rom. p. 312. Verus Philocrates laetissime audit nomen Menaechmi, quippe clientis sui. Unde facillime effici posse putat, quod optat Hegio et quod utrique captivo acceptum est. *In proclivi est.* Facile est. Proprie *proclive* est inclinatum. Tum in rebus gerendis ea dicuntur *proclivia*, quae iam eo inclinata sunt, ut fiant. Propterea *proclivi* etiam opponitur *planum*, quod iam factum constat, quod iam certum et exploratum est. Inde *ex proclivi planum facere* Rud. IV, 4, 88. hoc est, e re dubia, sed iam cum maxime decernenda et patranda certam reddere vel effectam. Quia vero *proclive* propriam inclinationis notionem habet, ioculariter pergit Philocrates: *tam hoc in proclivi est quam imber.* Quid enim proclivius, quam imber in terram decidens? *Ausculta dum, scies.* Priscae editiones: *Auscultatum scies* vel *ausculta, tum scies.* Nostram lectionem, dudum e libris erutam, etiam Prisciani Codd. confirmant, XV, 3. tom. I, p. 623. ed. Krehl. De particula *dum* post imperativos, Graecorum δή, v. quae supra diximus ad I, 2, 71. Ceterum in Cod. V. Cam. *ausculta tum scias. Vt aestimatum.* Rei aut personae aestimatio hoc affert, ut res aut persona aestimata periculo eius, cui data est, damnoque amittatur. Verbi gratia fundus dotalis aestimatus ab uxore

'Ut is homo redimátur illi. *He.* Immo álium potius mísero
Hínc, ubi erunt indúciae, illuc tuúm qui 'conveniát patrem,
Quí tua, quae tu iússeris mandáta, ita, ut velis, pérferat.
Ty. 'At nihil est, ignótum ad illum míttere; operam lúseris.
Húnc mitte, hic transáctum reddet ómne, si illuc vénerit.
Néc quemquam fidéliorem, néque cui plus credát, potes
Míttere ad eum, néc qui magis sit sérvus ex senténtia;
Néque adeo quoi tuúm concredat fílium hodie audácius.
Né vereare, meó periculo húius ego experiár fidem,
Frétus ingenio éius; quod me scit ésse erga se bénevolum.
He. Míttam equidem istunc aéstimatum tua fide, si vís.
Ty. Volo.
Quám citissumé potest, tam hoc cédere ad factúm volo.
He. Núm quae causa est, quín, si ille huc non rédeat, vigintí minas
Míhi des pro illo? *Ty.* 'Optuma immo. *He.* Sólvite istum núnc ïam,

---

marito datus eius periculo, mariti scilicet, perit. Postulat hic igitur Pseudophilocrates, dari sibi Pseudotyndarum aestimatum, ut si in Elidem missus Philopolemi redimendi gratia non redierit, solvat ipse Hegioni, quanti ille fuerit aestimatus. Sic recte Lambinus. *Misero* actionis futurae celeritatem, cito fieri illud, quod futurum praedicatur, indicat. Cf. quae paullo ante de futuro exacto diximus. Vbi induciae erunt, statim mittam, alium quidem. *Illuc tuum qui conveniat patrem* Scioppius susp. lectt. V, 11. omittit *illuc* et pro *conveniat* reponi iubet ex V. Camerar. Cod. *convenit*, coniunctivi formam priscam pro *convenat*, ut *edim* pro *edam.* Hoc nec opus est neque verum. Omissio particulae *illuc* mihi quoque probabilis est.

V. 93. Vulgo *miseris mand.* at V. C. Cam. *iusseris*, cui consentiunt Pall. omnes. Constructio non est *mandata iubere*, sed *mandata perferre iubere.*

V. 94. Hegio Pseudotyndarum in Elidem mitti noluerat, quae res contra sententiam Tyndari accidit, neque ex re est utriusque captivi. Persuadere igitur consilium suum Hegioni vehementer studet Tyndarus. Nihil est, inquit, ignotum ad illum mittere. Infinitivus *mittere* est loco subiecti. Ignotum ad illum mittere, frustra est, nihil expedit. *Operam luseris.* Quum qui ludunt, inania peragant, *operam ludere* est inanem consumere, quod alias dicitur, operam perdere. *Servus ex sententia* iucundus, acceptus. Nam quae iucunda, accepta sunt, ex sententia fieri dicuntur. *Audacius.* Audax pericula contemnit. Audacter credere dicitur, qui sine periculi metu, tute ac secure, credit. — Vulgo legitur v. 100: *me esse scit*, atque ita exhibent V. C. et Pall. Vnde fuerunt, qui scriberent: *med esse scit.* Sed ne hac quidem ratione numeris consulitur. Lenissima medicina est transpositio.

Cedit in Tyndari sententiam Hegio, quo facto ita convenit inter utrumque, ut Pseudotyndarus in Elidem mittatur. *Tua fide* est sub tua sponsione, te sponsore. *Ad factum cedit* res, quum deliberata ac decreta tandem peragitur. *Optuma imo.* Ad Hegionis quaestionem, num quae sit caussa, quin viginti minas

'Atque utrumque. *Ty.* Dí tibi omnes ómnia optata áfferant,
Quóm me tanto honóre honestas, quómquo ex vinclis éximis.

---

solvat, si ille in Elidem missus non redierit, respondendum erat: *nulla.* Sed magis urbanum est *optuma.* Additum *imo* ostendit plenam quidem locutionem hanc futuram fuisse: *Nulla est caussa quin fiat, sed optuma potius, ut fiat.* Orta autem illa elliptica dicendi ratio videtur ex frequentissima illa annuendi formula *optume, optumum est.* Cf. quae larga manu et accurata doctrina ad hunc locum notavit Gronovius.

V. 105. Hegio lorariis domo evocatis utrumque captivum solvi iubet et vinculis eximi. Vnde, quod par est, fausta omnia Hegioni apprecatur Tyndarus. *Atque utrumque.* Secesserat enim alter, Philocrates; propterea primum *istum* seorsim nominat, deinde mandatum ad utrumque pertinere addit. Igitur *atque* est *et vero, aber auch beide,* vielmehr wol beide. Cf. ea, quae Müllerus, Rector et professor Gymnasii Torgani, de usu particulae *atque* diligentissime et perdocte exposuit in praeclara scriptiuncula scholastica, quae inscribitur: *Paucula annotata ad editionem Cornelii Nepotis Bremianam* pag. 9 seqq. Quem libellum quum in paucissimorum manibus versari sit credibile, illam quidem de particula *atque* disputationem, quae huc pertinet, excerptam h. l. apponamus. Sic igitur ille: Composita est coniunctio *atque* ex particula *at* et *que* neque aliud significat proprie, ac nostrum *aber wol.* Quae propria significatio multo usu obscurata est, ita quidem, ut particula *atque* in universum aliquid oppositi, quod non suae naturae necessitudine cum praecedenti coniunctum est, externo tamen vinculo, cogitationum decursu facto, prius dicto annectat; praevaletque in plerisque locis annectendi haec potestas. Nostrates particula *und* quum et in similibus et dissimilibus nectendis utantur, potest ea etiam plerumque ad coniunctionis *atque* significationem germanice exprimendam adhiberi, si modo inhibeas paullum in pronunciando vocem post expressam particulam *und.* Apte vero etiam, ut oppositi significatio distinctius declaretur, addetur particulae nostrae alia: *doch.* — Sed nos, quum aliquid oppositi vel diversi annectimus praegresso, frequenter etiam dicimus *und dann, und noch,* hisque particulis exprimi potestas coniunctionis *atque* saepe potest. Propterea saepe similis esse videtur particulis *tum* et *tunc.* — Inde transitionibus inservit, quum is, qui dicat, vel a propositione ad singulas partes vel ab alia orationis parte ad aliam accedat; inde etiam antiquitus habuit similem particulae *statim* significationem. — Restat usus, quo, uti particula *ac,* (quam ex v. *atque* factam ducimus, quemadmodum *nec* ex *neque*) in comparatione usurpatur. Habet vero, si ad originem huius usus redimus, in comparatione nullam aliam significationem, quam supradictam hanc, qua aliquid oppositi aliquo modo addit. Omnia vero, quae cum aliis prius paullo cogitatis mente coniunguntur, opponuntur iis, oppositaque simul cum iisdem coniunguntur. Clare nostro sermone possumus id explicare. Sic si Latine dicitur: *hic aliter vivit atque ille,* id proprie est: *Dieser lebt anders und jener,* scil. *lebt anders;* hoc est, *dieser lebt anders als jener.* Eademque est ratio horum cum particula *atque* iunctorum vocabulorum: *contrarius, idem, similis, dissimilis, par, talis; contra, aliter, secus, aeque, iuxta, similiter, pariter, totidem, non magis, non minus.* — Huc etiam pertinet particula *simul*

Hóc quidem haud moléstum est iam, quod cóllus collarí caret.
He. Quód bonis benefít beneficium, grátia ea gravida ést bonis.
Núnc tu illum si illo és missurus, díce, monstra, praécipe,
Quae ád patrem vis núnciari; vín vocem huc ad té? *Ty.* Voca.

ACTVS II. SCENA III.

Hegio, Philocrates, Tyndarus.

Quae rés bene vortat míhi meoque fílio
Vobísque; vult te nóvus herus operám dare
Tuo véteri domino, quód is velit, fidéliter.
Nam ego te aéstumatum huíc dedi vigintí minis;
Hic aútem te, ait, míttere hinc velle ád patrem,
Meum ut íllic redimat fílium, mutátio
Intér me atque illum ut nóstris fiat fíliis.

---

atque. Veluti: *accessit simul atque audivit, er kam zugleich hin und hörte es*, scil. *zugleich.* Hoc est, *er kam hin, so bald er es hörte.* Multo usu istae particulae ita coaluerunt, ut utrumque verbum postponeretur sic: *simulatque audivit, accessit.* Hactenus Müllerus.

V. 107. *Quod collus collari caret.* De masculina forma *collus* conferendus est Nonius p. 200. ubi plura huius formae, atque ex ipso Plauto, exempla afferuntur. Ceterum scripsi *collari*, persuasum habens, vulgatum *collaria* et codicum Langg. *collario* mera librariorum inventa esse. Non est enim verisimile, poetam tam invenustum composuisse versum, ut penultimam in *collaría* acueret. Nam quod vulgo aiunt, *collaria* esse ablativum, id quidem nimis ioculare est, ut refutatione non indigeat. Si locum haberet, esset accusativus pl. a *collare.* Sed vox *collaria* lexicis exterminanda est. De forma *collare* constat ex Nonio pag. 36., qui hunc Lucilii versum affert: *Cum manicis, catulo, collarique ut fugitivum Deportem. Collarium*, quamquam sine auctoritate, affert Priscianus II, 9, 50. tom. I, pag. 92. ed. Krehl. *Gratia gravida bonis* est bonis repleta, referta, multorum fons bonorum. *Beneficium benefit.* Male scripserunt et interpretati sunt cum Gronovio alii: *beneficium bene fit*, divisim, h. e. recte fit; iusta ratione datur. Recte comparat Lambinus Graecam dicendi consuetudinem in his et similibus formulis: πλοῦτον πλουτεῖν, νείκεα νεικεῖν, τάττειν τάξιν, μάχην μάχεσθαι, quibus addit Latina plane paria: *machinam machinari, nomen nominare, pugnam pugnare*, alia, Comicis maxime usitata. Sed res notas loquimur.

Philocrates, qui inter Tyndari cum Hegione sermonem vel potius, ut videtur, sub finem eius secesserat longius, revocatus, rem uti peracta est, et mandata illuc spectantia accipit. Narrationem bene ominatis verbis incipit Hegio. V. 4. *Aestumatum huic dedi.* Sic V. C. et Pall. et vulg. Fortasse scribendum: *Nam te aéstumatum huic dédi ego vigintí minis.* Ceterum in vulgata si acquiescas, ultima in v. *aestumatum* non coalescit, et *dedi* monosyllabum est, ut saepe.

Ph. Utróque vorsum réctum est ingeniúm meum,
Ad te átque ad illum; pró rota me utí licet.
Vel ego húc vel illuc vórtar, quo imperábitis.
He. Tuté tibi a tuopte ingénio prodes plúrimum,
Quom sérvitutem íta fers, ut ferrí decet.
Sequere, én tibi hominem. *Ty.* Grátiam habeó tibi,
Quom cópiam istam mi ét potestatém facis,
Ut ego ád parentes húnc remittam núncium,
Qui mé quid rerum hic ágitem, et quid fieri velím,

V. 8. *Vtroque vorsum.* In utramque partem aptum atque idoneum ingenium est meum, quoquo illud vertas, tibi atque illi habile. Citat hunc versum Priscianus XV, 4. tom. I, p. 614. ed. Krehl. *At te atque ad illum.* Cf. Scioppius susp. lectt. V, 11. qui Rittershusium emendasse ait: *ad te adque illum*, ut hiatus in vv. *te adque* remaneat, atque ita vulgo. Necessaria est praepositionis repetitio, quia *ad te atque illum* unam eandemque, non diversam, regionem significat. *Pro rota me uti licet.* Tam mobili sum ingenio, quam rota; huc atque illuc vertere me possum, ut poeta ipse explicat. Cf. Epid. Act. III, 2, 35. *Vorsutior es, quam rota figularis;* ubi cf. Taubmanni notas.

V. 11. Pseudotyndarus paratum suum ad omnia Hegionis mandata peragenda ostenderat animum. Quod ipsi utilissimum fore, reponit Hegio. *Tute tibi a tuopte ingenio prodes plurimum.* Vulgo *T. t. ea tuopte* cet. quod nihili. Praepositionem *a*, *ab*, saepe caussam remotiorem significare, saepe etiam partem rei et loci, unde quid ingruat, notum est. Sic Curcul. I, 1, 51. *Tam a me pudica est, quasi soror sit mea.* Epidic. I, 2, 26. *Ab animo aeger fui.* Aul. II, 2, 9. *male valere a pecunia.* Truc. IV, 3, 59. *ab ingenio improbus.* Et sic saepe apud Plautum.

V. 13. Hegio arcessitum Philocratem ad Tyndarum propius adducit. Nam Philocrates haud dubie non de scena decesserat, sed longius a colloquentibus secesserat. *En tibi hominem.* Sic rescripsi pro vulgato: *hem tibi hominem.* Hoc saepe corrigendum est in his fabulis. Cf. Trin. Prol. 2. *Adest hem illae sunt aedes.* Vbi diu est, quum emendavit Hermannus: *Adest. en i. s. a.* Item permultis in locis, ubi *hem* pro *en* male legitur. Vitium ortum inde, quod in libris antiquissimis *em* scribitur pro *en*. — Gratiam se habere Hegioni testatur Pseudophilocrates, quod sibi potestatem faciat nuncium in patriam ad parentes mittendi. *Gratiam habeo tibi.* Soloece Bothius: *gratias habeo tibi.* De formulis *gratias agere*, *gratiam referre*, *gratiam habere* deque vera earum structura cf. Ruhnk. praefatio ad Schelleri lexicon in Batavia editum v. *Gratia;* et Bentl. ad Terent. Andr. IV, 4, 31. ubi unicum in toto Latino sermone exemplum, quod *gratias habere* structum ostendit, e Codd. emendatum est. Noli dubitare, recte se habere: *grátiam habeó tibi.* Cf. Mil. gl. V, 32. et alibi. V. 16. *Qui me, quid rerum hic agitem*, Graeca dicendi forma pro eo, quod dicendum: *qui, quid ego rerum hic agitem.* Cf. Buttm. Gr. gr. §. 138. pag. 576. Eius structurae exempla apud Plautum et Terentium permulta exstant. Plautus hoc amplius accusativum duplicem posuit, et *omnem rem* intulit post superiora: *me quid agitem, me quid fieri velim.*

Patrí meo ordine ómnem rem illuc pérferat.
Nunc íta convenit ínter me atque hunc, Týndare,
Ut te aéstimatum in 'Alidem mittam ád patrem.
Si nón rebitas húc, ut vigintí minas
Dem pró te. *Ph.* Recte cónvenisse séntio.
Nam páter exspéctat aút me, aut aliquem núncium,
Qui hinc ád se veniat. *Ty.* 'Ergo animum advortás volo,
Quae núnciare hinc té volo in patriam ád patrem.
Ph. Phílocrates, ut adhúc locorum féci, faciam sédulo,
'Ut, potissimúm quod in rem récte conducát tuam,
'Id petam, id pérsequarque córde et animo atque aúribus.
Ty. Fácis ita, ut te fácere oportet; núnc animum advortás volo.
'Omnium primúm salutem dícito matri ét patri,
'Et cognatis, ét si quem alium béne volentem víderis;
Me híc valere et sérvitutem sérvire huic homini óptumo,

V. 18. Ad Pseudotyndarum iam se convertit personatus Philocrates et rem ita convenisse, ut iam Hegio dixisset, testatur. *Perbitere* priscum vocabulum, aliquoties apud Plautum obvium, aliquoties etiam obliteratum. De simplici *betere* exponit Nonius pag. 17. *Betere est ire* cet. Composita alia sunt *adbitere, interbitere, praeterbitere;* quae omnia apud Plautum inveniuntur. De composito *perbitere* cf. idem Nonius, pag. 153. — *Ergo animum advortas volo, quae — volo.* Omissum est, ut saepe, demonstrativum *ea.* Ergo ad ea animum advertas, quae nunciari volo. Unde simul intelligitur, cur coniunctivus non legatur; non enim pendet oratio.

V. 25. Media in scena mutatur numerus et ab iambicis senariis transit ad trochaicos tetrametros, quos Latini trochaicos quadratos appellant. Metri mutatio locum habere solet, ubi orationis mutatur color et affectus. Cf. Hermannus Elem. doctr. metr. p. 164. *Quoniam metrum affectionibus animi significandis inservit, quemadmodum ubique consentaneum est, aptum in quaque re metrum eligi, ita, ubicumque mutatur sermonis color, mutari etiam numeros convenit.* Totum locum tirones legere iubeo. Hoc autem Plauti loco quum a vulgari dialogo ad commotiorem et πάθος habentem valedictionis sermonem pergat poeta, numeri mutatio metrique iambici ad trochaeos traductio aptissima iudicari debet. *Adhuc locorum.* Loci notatio pro temporis significatione. Sic *post id locorum,* Cas. I, 32. V. 27. *'Id petám id pérsequárque córde et ánimo atque aúribus.* Sic V. C. Cam. neque aliter codd. optimi quique hunc secuti. Vulgo: *Id petam id persequarque corde et animo atque viribus,* qui versus est nullus. Bothius olim dederat: *Id petessam id persequarque — viribus.* Nemo editorum hucusque vidit, *auribus* verum atque accommodatum huic loco verbum esse. Nam tametsi *animo atque viribus* saepe coniuncta leguntur, teste Burmanno ad Virg. Aen. X, 357; tamen *auribus* h. l. probabilius est scripsisse Plautum, propterea quod *auribus* vel maxime opus erat in hac praeceptione, quam iam daturus erat Pseudophilocrates. Ceterum ultima in *petam* non coalescit et sub ictu collocata producitur. *Servitutem servire;* sic saepe apud Plau-

Quí me honore honéstiorem sémper fecit ét facit.
Ph. 'Istuc ne praecípias, facile mémoria meminí tamen.
Ty. Nám quidem, nisi quod cústodem habeo, líberum me esse árbitror.
Dícito patrí, quo pacto míhi cum hoc convénerit
De húius filió. *Ph.* Quae memini, móra mera est monérier.
Ty. 'Ut eum redimat, ét remittat nóstrum huc amborúm vicem.
Ph. Méminero. *He.* At quam prímum, istuc ín rem utrique est máxume.

---

tum, ad Graecorum loquendi normam, de qua paullo ante. *Honore honestiorem — facit.* Ut supra Act. II, scen. 2, v. 106. *quum me tanto honore honestas.* Honestus qui honore fruitur. Descendit enim ab *honore honestus*, ut *a mole molestus*, a *scelere scelestus*, a *funere funestus*, a *tempore intempestus* et multa eius generis alia.

V. 33. In mandatis ad patrem perferendis Pseudophilocrates personato servo suo etiam hoc dederat, ut se hic apud herum satis liberalem ac benevolum servire, patri nunciaret. Respondet ille, non opus esse isto praecepto, se satis meminisse. *Facile memoria memini tamen.* Hac sermonis abundantia saepe utitur Plautus, ex quodam perspicuitatis studio, quod sermoni communi proprium est. Similia multa inveniuntur, ut, quod paullo ante legimus, *honore honestare;* nec aliter *laudibus laudare*, *iracundia irasci.* *Tamen* saepe ultimum sententiae locum occupat, ubi vehementiorem reddit vim oppositionis. Sic paullo post v. 46. *Beneque hero gessisse morem in tantis aerumnis tamen.* Exemplis ipse Plautus abundat. Cf. Parei lexicon s. h. v. Notandum vero est, quoties hunc locum obtineat *tamen*, plerumque ita verba ordinata esse, ut verbum illud, ad quod particula *tamen* vi sua proxime spectat, statim ante hanc ipsam particulam legatur. Igitur Amphitr. I, 3, 44. *Ut quum absim, me ames, me tuam absentem tamen;* part. *tamen* non ad *ames* sed ad *absentem* referenda est, ut sit: *tamen absentem etiam*, h. e. quamvis ego absim. Et sic plane Casinae prol. 63. *Sciens ei mater dat operam absenti tamen.* Ita enim legendum. Cas. I, 17. *Praefeci rure recte qui curet tamen;* quae non sic iungenda sunt: *praefeci tamen*, quod sensus respuit, sed: *qui tamen curet*, h. e. praefeci rure aliquem, qui quamquam ego absim, tamen recte curet negotia mea. Adde supra Capt. II, 1, 84. Terent. Adelph. II, 1, 20. In aliis locis, ubi ultimum locum sententiae occupat ista particula, hoc propterea factum videtur, quod non ad unum sententiae vocabulum, sed totum enunciatum eius vis referenda est. Interdum etiam bis ponitur, in principio et in fine sententiae. Plaut. Mil. Glor. III, 2, 51. *Quaeso tamen tu meam partem infortunii, Si dividetur, me absente accipito tamen.* Ubi prius *tamen* ad *quaeso*, alterum ad *accipito* pertinet. V. 35. *Mihi cum hoc.* Hiatus saepe obvius. V. 36. *Mora mera est monerier;* paronomasia Plauto familiaris, de qua vide quae diximus paullo infra adv. 49. — *Et remittat nostrum huc amborum vicem.* H. e. ut filium Hegionis in Elide redimat redemtumque huc mittat in vicem nostrum amborum. Accusativus *vicem* adverbialiter pro usitatiori abl. *vice.* Cf. quae infra monuimus ad Capt. III, 3, 11. *At quam primum, istuc in rem.* Vulgo legitur: *At quam primum poteris, istuc in rem*, atque ita

Ph. Nón tuum tu mágis videre, quam ílle suum gnatúm cupit.
He. Méus mihi, suus cuíque est carus. *Ph.* Númquid aliud vís patri
Núnciari? *Ty.* Me híc valere, et túte audacter dícito,
Týndare, inter nós fuisse ingénio haud discordábili,
Néque te commeruísse culpam, néque me advorsatúm tibi,
Béneque hero gessísse morem in tántis aerumnís tamen,
Néque me unquam déseruisse té, neque factis, néque fide,
Rébus in dubiís, egenis. Haéc pater quandó sciet,
Ty'ndare, ut fuerís animatus érga suum gnatum átque se,
Núnquam erit tam avárus, quin te grátiis mittát manu.
'Et mea opera, si hínc rebito, fáciam ut faciat fácilius.
Nám tua opera et cómitate et vírtute et sapiéntia
Fécisti, ut redíre liceat ád parentes dénuo,

V. C. Cam. et Pall. *Poteris* insulsum, *poterit* a Boxhornio emendatum metrum non emendat. Ergo *poterís* omisi, quod interpretamentum esse, tria argumenta evincunt: primum quod oratio brevior invitabat interpolationem, tum quod hiatus in v. *primum* videbatur additamentum postulare, denique quod neque *poteris* neque *potuero* quae sunt codd. lectiones, satis sententiae est accommodatum.

V. 40. Quaerit Pseudotyndarus, numquid etiam aliud sit, quod patri nuncietur. Respondet verus Tyndarus longiore sermone et ad movendum Hegionis animum satis probabiliter conficto, ut hic tandem lacrimas oboriri sibi sentiat. *Inter nos fuisse ingenio haud discordabili.* Omissum *nos.* Plena enim oratio est: *nos inter nos fuisse.* Similiter infra v. 60. *amare inter se.* *Haud discordabile*, quod non facile discordat. In seqq. legam: *neque te adversatum mihi.* Hoc etiam sequens versus confirmare videtur, sive potius postulare. *Tamen* vide quae supra monuimus ad v. 33. In verbis *neque me unquam* syllaba *me* non liquescit; in V. C. Cam. h. l. legitur *med.*

V. 46. Tyndarus dum sub persona Philocratis mandata tradit Philocrati, patri perferenda, ipse se supra modum laudat, quod vehementer ioculare est. Addit haec. Quando pater rescíscet, quemadmodum tu erga filium suum animatus fueris, non dubium est, quin te gratis manumittat. Vulgo: *quin te gratus emittat manu.* V. C. Cam. *gratIs.* Quod quando semel in *gratus* mutatum erat, consequens fuit, ut *emittat* scriberetur, metri restituendi gratia. *Gratis* apud Comicos nusquam locum habere, sed semper *gratiis*, tribus syllabis, et legendum et scribendum esse, contendit Bentleius ad Terent. Adelph. IV, 1, 26. quae ratio ab hoc nostro loco confirmatur. In verbis: *faciam ut faciat facilius* παρηγμένον est, Plauto maxime familiare. Semel tantum monemus, nullum facile esse artificium sermonis, quo non usus sit Plautus ad ornandam orationem suam comicam, in quibus παρονομασία et παρηγμένον, quae a rhetoribus dicuntur, frequentissima sunt. Ceterum tirones de paronomasia et paregmeno adeant Iulii Rufiniani libellum de schematis lexeos c. 13 et 14. Adde dissertationem *Naekii: de allitteratione sermonis Latini*, insertam Museo Rhenano III, 3, pag. 324 seqq. *Denuo* saepe ex

Quóm apud hunc conféssus es et génus et divitiás meas;
Quó pacto emisísti e vinclis túum herum tua sapiéntia.
Ph. Féci ego ista ut commémoras; et te méminisse id gratum ést mihi.
Mérito tibi ea évenerunt á me; nam nunc, Philocrates,
Si égo item memorem quaé me erga múlta fecistí bene,
Nóx diem adimat. Nám si servus mi ésses, nihilo sécius
'Obsequiosus míhi fuisti sémper. *He.* Di vostrám fidem,
Hóminum ingenium líberale! Ut lácrumas excutiúnt mihi!
Vídeas corde amáre inter se, quántis istic laúdibus

---

quadam sermonis abundantia, quae tamen ad familiaris sermonis colorem adumbrandum permultum valet, additur. Terent. Hecyr. prol. II, 30. *refero denuo.* Idem ibid. IV, 4, 69. *Nam in eandem vitam te revolutum denuo Video esse.* Similiter Graeci αὖ πάλιν, poetae ἄψοῤῥον πάλιν. Non igitur *denuo redire* est *iterum redire*, sed quia verbum *redire* non satis graviter videbatur exprimere redeundi notionem, additum est adverbium, notionem aggravans. Sic Germanorum *kehren* est *redire*. Sed vulgo dicimus *zurückkehren.* Hoc tamen non satis habentes, dicimus etiam *wieder zurückkehren.* Nec vitiose loquuntur, qui dicunt: *wiederum zurückkehren.* *Quum apud hunc.* Hiatus, de quo exposuimus in Pros. v.

V. 54. Servi laudes et merita extulerat Tyndarus, ut sua. Vere illa esse commemorata, seque ita fecisse, respondet ex servi persona Philocrates. Tum idem heri de se merita praedicat. Quae omnia fortasse amicabili et blanda voce pronunciata, movent Hegionis animum et rari inter servum et herum amoris testificatione lacrimas ei excutiunt. *Tibi ea evenerunt.* Ultima in v. *tibi* non eliditur, hiatu lege admisso. *A me tibi evenit* est accepisti a me. Cf. Menaechm. prol. 67. *Me erga* non concrescunt, ut fieri solet in monosyllabis *me*, *te*, aliis. Ceterum de ordine praepositionis vide quae monuimus ad Captiv. II, 1, 55. *Nam si servus mi esses.* Vulgo: *meus esses*, metro claudicante. Nos Boscham secuti sumus. Bothius: *servus meus sis*, quod temporum ratio refutat. Vide quae monuimus infra ad Captiv. III, 6, 5. *Di vostram fidem.* In his et talibus invocationibus et exclamationibus (veluti *pro deum atque hominum fidem*) *fides* singularem habet notionem, a propria non multum remotam. *Fides* propr. studium servandi promissa. Quum igitur invocant *deorum fidem*, aut promissis non stetisse deos, h. e. exspectationi non satis fecisse criminantur, aut, ut fidem servent, hoc est, opem ferant exspectatam, implorant. Priore ratione cum usu venisset locutio, in exclamandi formulam paullatim cessit, sive interiectionem, qua utebantur, qui vehementer aliquid aut mirarentur aut indignarentur. Miramur enim, quae praeter exspectationem sunt, indignamur, quae infra exspectationem nobis accidunt. Inde fit, ut formula illa et mirantium sit et indignantium. Modo igitur est deorum invocatio in rebus miraculosis, modo obsecratio in rebus angustis. Ceterum notum illud Quinctiliani praeceptum, numquam dicendum *pro deorum fidem*, nullam habet rationem nisi antiquam consuetudinem.

V. 60. Mirabatur Hegio tantis laudibus praedicatum a servo herum. Ad hoc Philocrates, ille ipse, inquit, herus meus multo

Súum herum servus cóllaudavit. *Ph.* Pól istic me haud centésimam
Pártem laudat, quam ípse meritust, út laudetur laúdibus.
He. 'Ergo quom optumé fecisti, núnc adest occásio
Bénefacta cumuláre, ut erga hunc rém geras fidéliter.
Ph. Mágis non factum póssum velle, quam ópera experiar pérsequi;
'Id ut scias, Iovém supremum téstem laudo, Hégio,
Me ínfidelem nón futurum Phílocrati. *He.* Probus és homo.
Ph. Néc me secus unquam eí facturum quicquam, quam memét mihi.
Ty. 'Istaec dicta te éxperiri et óperis et factís volo,
'Et quo minus dixí, quam volui dé te, animum advortás volo,

---

maiorem laudem meritus est, quam ego ab eo retuli. Centum partibus magis a me laudari meretur, quam ego ab eo laudatus sum. Pergit Hegio: quamquam optime de hero meritus es, tamen nunc demum est occasio cumulandi tua erga herum beneficia. *Quantis* h. e. nam tantis. *Laudibus collaudare, laudibus laudare.* Vide supra ad V. 33. Vulgo: *Quantis laudibus suum herum Servus collaudavit. Ph. Istic pol haud me* cet. Sed versiculi exitus inficetissimus, et in v. seq. V. C. Cam. exhibet: *Pol istic me haut.* Qua re in sup. versu scribendum existimavi: *quantis istic laudibus.* Excidisse *istic* h. l. probabile est ob idem vocabulum seq. v. eodem loco positum. *Occasio benefacta cumulare.* Infinitivus pro Gerundio, sive, ut diligentius dicamus, infinitivus sine certa ac peculiari casus nota. Cf. Goerenz. ad Cic. Acad. II, 6. pag. 37. *Ratio disputare* pro *disputandi; materia dicere*, pro *dicendi.* Cum his tamen exemplis confundi non debet ea ratio, ubi infinitivus pro subiecto est; v. c. quem Goerenzius l. c. male attulit locum Offic. I, 12, 3. *quid ad hanc mansuetudinem addi potest, eum, quicum bella geras, tam molli nomine appellari.* Ordo hic est: Eum, quicum bella geras, tam molli nomine appellari, quid ad hanc mansuetudinem addi potest? H. e. nonne ea est summa mansuetudo? Igitur infinitivus *appellari* est subiectum, *mansuetudo* praedicatum, tanquam si dixisset Cicero: hostem molli nomine appellare summa est mansuetudo.

V. 65. Spondet Pseudotyndarus fidelem se futurum hero suo, neque se id magis cupere ut effectum reddat, quod dicat, quam re enisurum, ut fiat. *Testem laudare* dicitur non simpliciter *nominare, appellare*, ut interpretes voluerunt, sed est *cum laude afferre*, h. e. tanquam probum testem et satis fide dignum citare. Cf. Nonium p. 335. v. *laudare*, qui hunc etiam Plauti versum citat. *Id ut scias.* Fortasse legendum: *id uti scias*, ut *scias* sit monosyllabum.

V. 68. Discessuro Philocrati commendat iterum iterumque res suas Tyndarus. *Experiri dicta operis et factis*, opera et facto tentare et eniti, ut effecta reddas quae verbis promisisti. Non igitur opus est, quod coniecerunt, *expedire.* Nam *experiri* est experimentum facere, tentare. *Et quo minus dixi* cet. Hoc est, quia hactenus minus protuli, quam illud est, quod te poscere

Atque horunc verbórum causa cáve tu mi iratús fuas.
Séd te quaeso, cógitato, hinc meá fide mittí domum
Te aéstumatum, et meam ésse vitam hic pró te positam pígnori,
Né tu me ignorés, quom extemplo meo é conspectu abscésseris;
Quóm me servum in sérvitute pró te hic derelíqueris;
Túque te pro líbero esse dúcas, pignus déseras:
Néque des operam, pró me ut huius réducem facias fílium.
Scíto te hinc minís viginti aéstumatum míttier.
Fác fidele sís fidelis, cáve fidem fluxám geras.

---

volui, eo magis mihi iam animum adverte. Verba enim *minus quam volui* arctissime iungenda sunt. *Cave tu.* Vulgo *caveto*, contra metrum. Iam Bosscha emendavit. *Cave* duarum brevium est. cf. quae supra monuimus ad I, 2, 49. *Ne tu me ignores.* Ne obliviscaris, ne me quasi tibi ignotum deseras. Sequentia ita cum superioribus nectenda sunt: *cogitato quaeso, te aestimatum mea fide hinc mitti domum, ne me ignores — neve tu te pro libero esse ducas et non des operam, ut* cet. In verbis *viginti aestimatum* hiatus deprehenditur legitimus, de quo cf. Hermannus Elem. doctr. metr. pag. 88. — *Fac fidele sis fidelis.* Vulgo: *fac fidelis sis fideli.* Non recte se fidelem herum nominat Tyndarus. Auxilium huic loco petendum erat a Nonio, qui pag. 512. hunc Plauti locum citat his verbis: *Fidele pro fideliter. Plautus Captivis: Fac fidele, cave fidem fluxam geras.* Taubmannus haec fragmentis annumeranda censuit. Sed nimirum facile in hodiernis Nonii libris vitio librarii omitti potuerunt, quae desiderantur. Ceterum hoc tamen constat, Nonium putasse, *fidele* adverbialiter pro *fideliter* positum esse a Plauto. Et vere hoc, neque caussa est, cur hic errasse putemus Nonium aut vitioso codice usum esse. Nam etsi nunc quidem non alia exempla in mentem veniunt, quae demonstrent *fidele* pro *fideliter* dictum esse a Romanis, tamen aliorum verborum usum similem habemus, quo nos tueamur. Simili ratione *proclive* positum apud Cic. Tusc. dispp. IV, 18. *incitataque semel proclive labuntur*, ubi male editur *proclivi*. Plaut. Stich. II, 2, 73. *provenisti futile.* Persius 4, 34. *acre disputat in mores.* Virg. Aen. X, 664. *sublime volans.* Iam rem acu tetigisse mihi videor, Plautum scripsisse putans: *Fac fidele sis fidelis*, h. e., cura, ut fideliter sis fidelis, quod locutionis genus Plauto satis familiare est. *Impudenter impudens* Plaut. Rud. IV, 3, 38. *Inique iniurius* Epid. IV, 1, 24. *Misere miser* Cistell. IV, 2, 21. Pseudol. I, 1, 11. *Scite scitus* Cas. III, 1, 8. et eiusdem generis alia. *Cave fidem fluxam geras. Cavere* vario modo strui solet. Rem quam fieri potuit brevissime complexi sumus. *Cavere* proprie est Graecorum κήδεσθαι, a quo descendit, notatque *curam habere, sollicitum esse*, in Sorge sein, in Kummer sein um eine Sache, cum notione metuendi damni. Igitur *cave facere* est: sollicitudo tibi sit facere; damnum enim metuendum est; cave tibi a faciendo. *Cave, facias* est: cave tibi, facias enim. Hüte dich, du könntest es sonst leicht thun; nisi caveas, facias. *Cave, ne facias* est cave tibi, non facias; thu es nicht, davor hüte dich. *Cave ut facias* contrarium est, da ope-

Nám pater, scio, fáciet, quae illum fácere oportet, ómnia.
Sérva in perpetuúm tibi amicum me, átque hunc inventum ínveni.
Haéc per dexterám tuam, te déxtera retinéns manu,
'Obsecro, infidélior mihi né fuas, quam ego súm tibi.
Tú hoc age; tu míhi nunc herus es, tú patronus, tú pater;
Tíbi commendo spés opesque meás. *Ph.* Mandavistí satis.
Sátin' habes, mandáta quae sunt, fácta si referó? *Ty.* Satis.
Ph. 'Et tua, et tua húc ornatus réveniam ex senténtia.
Númquid aliud? *Ty.* 'Ut quam primum póssis, redeas. *Ph.* Rés monet.
He. Séquere me, viáticum ut dem á trapezitá tibi;
Eádem opera a Praetóre sumam sýngraphum. *Ty.* Quem sýngraphum?
He. Quem híc ferat secum ád legionem, hinc íre huic ut liceát domum.

---

ram, prospice, quomodo facias, habeas sollicitudinem, qua ratione illud effectum reddas. Triff Anstalt, suche es zu thun. Cum his conferri debent, quae supra de structura et notione formularum *videre*, *metuere* seqq. *ut*, *ne* exposuimus ad Captiv. II, 2, 43. — *Atque hunc inventum inveni.* Recte Lambinus; para tibi Hegionem, iam paratum et quaesitum, si fidem servaveris. Cf. quae ad h. l. dixit Bosscha in edit. Captiv. *Hunc* de Hegione, quem monstrat.

V. 84. *Tu hoc age.* Qui hoc agere iubetur, *aliud agere* prohibetur. *Aliud agere*, vel *alias res agere*, ut constat, significat, aliquid, quod a re proposita sit alienum, agere, non attendere ad rem, saepe etiam *errare*. Ergo *tu hoc age* est, hoc unice age, intento in rem animo, ne perfunctorie neve oscitanter age, quod agis. Cf. Terent. Eunuch. II, 3, 56. Adde quae infra diximus ad Captiv. V, 1, 10. — Ceterum initio versus *tu* non liquescit. — *Facta si refero.* Si redeo, facta ista et transacta nuncians. *Et tua* ad Hegionem, *et tua* ad Tyndarum. *Ex sententia ornatus*, iis rebus instructus, quibus uterque vestrum me instructum redire vultis. *Numquid aliud.* Vide quae notavimus supra I, 2, 88. *Vt dem a.* Vulgo: *ut dem hinc a.* Sed *hinc* non est in Codd. *Dem* non liquescit. Cf. Herm. Elem. doctr. metr. p. 88.

V. 89. Sequi se Pseudotyndarum iubet Hegio ad trapezitam, ut viaticum, et ad Praetorem, ut syngraphum accipiat. Tyndarum verum intro dimittit. A *trapezita* pecuniam sumebant mutuam, si forte numerata non praesto esset. Saepe etiam depositam apud trapezitam numeratam pecuniam habebant, ut inde sumerent, si quando egerent. *Syngraphus* qui sit ipse poeta satis explicat. Sed non intelligitur, cur Tyndarus tam anxie et curiose quaerat: *quem syngraphum?* Fortasse igitur ab isto syngrapho sibi metuebat Tyndarus. *Syngraphus* enim sive *syngrapha* notat etiam chirographum, in quo, de quibus inter duo vel plures convenisset, perscriptum. Metuebat ergo fortasse Tyndarus, ne in isto syngrapho aliquid perscriptum inesset, quod Philocrati sibique damno esset. Fraudis enim conscientia efficit, ut fraudem ubicunque latere suspicemur. *Legio*

Tu íntro abi. *Ty.* Bene ámbulato. *Ph.* Béne vale. *He.*
Edepol rém meam
Cónstabilivi, quum íllos emi dé praeda a quaestóribus.
'Expedivi ex sérvitute fílium, si dís placet,
'At etiam dubitávi hos homines émerem, an non emerém, diu.
Sérvate istum, súltis, intus, sérvi, ne quoquám pedem
'Efferat sine cústodela. Iám ego adparebó domi,
'Ad fratrem modó captivos álios invisó meos.
Eádem percontábor, ecquis ádolescentem nóverit.
Séquere tu, te ut ámittam, ei rei prímum praevortí volo.

ACTVS III. SCENA I.

Ergasilus.

Míser homo est, qui ipsé sibi quod edit quaérit, et id aegre ínvenit;

---

pro exercitu. Caussa in promtu est. *Ambulare* apud priscos simpliciter *ire, proficisci.* Igitur *bene ambulato* formula bene precandi profecturo. Cf. Mostell. III, 2, 166. *Bene ambulavisti?* quaerentis de incolumitate eius, qui peregre advenit. Trucul. II, 4, 18. ad quem locum cf. Acidalius.

V. 92. Hegio dimisso in aedes Tyndaro paullisper in scena restat et acta secum reputat. Deinde mandat servis intro clamans, ut bene servent captivum intro missum, quem Philocratem putat. Deinde cum Philocrate abiens ad fratrem se pergere ait, ut reliquos captivos suos de Philocrate interroget. Quae res ita intelligenda est, quod ex Act. III, 2. apparet, ut primum ad trapezitam et praetorem cum Philocrate, deinde dimisso iam illo in Elidem, tum demum ad fratrem eat. *Constabilivi.* Cf. Terent. Adelph. V, 1, 8. *Si dis placet.* Hoc loco non, ut saepe, ironice dictum, sed εὐσεβῶς rem adhuc θεῶν ἐν γούνασι κεῖσθαι indicat. *Sultis* cf. dicta ad Capt. I, 2, 1. Tum vulgo: *Efferat sine custode.* Versus ἄμετρος. Camerarii et Sambuci editiones *iam* addunt, unde Bothius non improbabiliter restituit: *Efferat sine custodela; iam ego apparebo domi.* *Custodelam dicebant antiqui, quam nunc dicimus custodiam.* Haec Festus p. 39 edit. meae. Neque alibi hoc vocabulo abstinuit Plautus. Merc. II, 1, 9. Rud. III, 3, 34. Utrobique nunc scriptum exstat *custodia.* Sed priore loco versus requirit *custodelam*, altero loco non respuit. Etiam apud Apuleium, Plauti imitatorem, saepius legitur. Ceterum in V.-C. Cam. pro *efferat* scriptum legitur *ecferat.* V. 99. *Eadem* est *eadem opera, eadem via*, adverbium formatum ut *una, hac, illac, qua* et similia. — V. 100. *Ei rei primum praevorti volo.* Praevortere alicui rei est rem occupare, vertere se ad rem aliquam prae aliis, agere rem prae aliis. Mercat. II, 3, 40. *Otium non est; mandatis rebus praevorti volo.* Id. ibid. II, 3, 42. *Rei mandatae omnes sapientes praevorti decet.*

V. 1. Redit parasitus, nihil coenae se invenisse miserabiliter lugens. Tum narrationem admodum iocularem instituit de adolescentibus, qui sibi obvii et consalutati, de compacto, ut

Séd ille est miseriór, qui et aegre quaérit, et nihil ínvenit;
'Ille miserrimus ést, qui, quom esse cúpit, id quod edit nón habet.
Nam, hércle, ego huic dieí, si liceat, óculos effodiám libens,
'Ita malignitáte oneravit ómnes mortalés mihi.
Néque ieiuniósiorem, néc magis effertúm fame
Vídi, nec quoi mínus procedat, quícquid facere occéperit.
'Ita venter guttúrque resident ésuriales férias.
'Ilicet parasíticae arti máximam in malám crucem!
'Ita iuventus iám ridiculos ínopes ab se ségregat.
Níhil morantur iám Laconas ími subsellí viros,
Plágipatidas, quíbus sunt verba síne penu et pecúnia.
Eós requirunt, quí, libenter quom éderint, reddánt domi.

---

opinatur, omnem invitationem detrectaverant et ne verbulum quidem de coena ad se fecerant. Qua re ad desperationem fere adactus, unam denique sibi superesse spem coenaticam ait; eam se experturum et propterea in portum abiturum. Quae si fefellisset, tum demum ad Hegionis coenam asperam rediturum. *Edit* coniunctivus antiquus pro *edat.* Cf. Trin. 1, 2, 65. et quae supra diximus ad Captiv. I, 2, 46. In vv. *id quod edit* addidi *id* metri causa; vulgo abest *id.* *Diem hunc* exsecratur Parasitus, quod infaustus sibi omnem coenandi laute spem abstulerit. *Oculi* tribuuntur diei, quia lucet. Sic βλέφαρον ἁμέρας apud Sophoclem Antig. 104. *Malignitate oneravit;* i. e. implevit, malignos et illiberales in me reddidit. Sic *onerare voluptatibus*, *onerare laetitia* comicae phrases et Plautinae. *Fame effertum* diem dicit, quum proprie de se hoc dicendum esset, *fame* veluti *distentum.* *Efferti* autem quum proprie dicuntur homines bene saginati et multo cibo referti, ridicule contrarium ponens iocum quaesivit. De fame dicit, quod de largissimo cibo dicendum. Ceterum *ecfertum* est in V. C. Cam.

V. 7. Scribendum erat *cui minus procedat*, sive *quoi m. pr.* Nam ad diem omnia transtulit, quae de semet ipso dicit. Scioppius suspectt. lectt. V, 11. defendit *qui* pro *quo* scil. *die.* *Venter — ferias.* Residere est quiescere. *Igitur venter gutturque resident ferias*, dictum uti *agunt ferias.* *Esuriales* autem dicuntur, quia esuritioni quasi dicatae sunt. *Ilicet* nativa significatione pro *ire licet;* dativus enim pendet a verbo *licet.* Vide quae supra monuimus de hac particula ad I, 1, 22. *Ridiculos inopes* cum Iano Guilielmo scripsi pro vulgato *ridiculos inopesque*, quod in metrum peccat. Ridiculi sunt scurrae, parasiti, qui dum ridendos se praebent, vitam tolerare student. Hi satis apte dicuntur inopes, arme Schlucker. Lacones vocantur ioculariter parasiti, quia Lacedaemonios pueros quotannis solemniter verberari solitos perhibent. Cf. Cic. Tuscul. V, 27. Apposite etiam Petronii locum afferunt, Sat. c. 105. *Ego quidem tres plagas Spartana nobilitate concoxi.* Iidem appellantur *imi subsellii viri*, inhonestam sedem inter coenam occupantes, imo loco sedentes. Cf. Stich. III, 2, 33. *Scis tu me esse imi subselli virum.* Horat. Epist. I, 18, 11. *Imi derisor lecti.* *Plagipatidae* iocose fictum vocabulum, qui plagas patiuntur, notat. Eiusdem κέμματος est *oculicrepidae* et *crurícrepidae*, Trin. IV, 3, 14. *Quibus sunt*

'Ipsi opsonant, quaé parasitorum ánte erat província.
'Ipsi de foró tam aperto cápite ad lenonés eunt,
Quam ín tribu sontés aperto cápite condemnánt reos,
Néque ridiculos iám terunci fáciunt; sese omnés amant.
Námque ut dudum hinc ábii accessi ad ádolescéntes ín foro.
Sálvete, inquam; Quo ímus una ad prándium? atque illí tacent.
Quís ait: huc? aut quís profitetur? ínquam; quasi muti silent,
Néque me rident. 'Ubi coenamus? ínquam, atque illi ábnuunt.
Díco unum ridículum dictum dé dictis melióribus,
Quíbus solebam ménstruales épulas ante apíscier;
Némo ridet; scívi extemplo rém de compactó geri.
Né canem quidem írritatam vóluit quisquam imitárier;
Sáltem, si non árriderent, déntes ut restríngerent.
'Abeo ab illis, póstquam video mé sic ludificárier.
Pérgo ad alios, vénio ad alios, deínde ad alios; úna res.
'Omnes compactó rem agunt, quasi ín Velabro oleárii.

---

verba. Qui verba quidem habent, quibus risum excitent, sed neque penum neque pecuniam, unde coenam dare possint. Nam eos tantum requirunt iuvenes et ad coenam invitant, qui coenam reddant domi, qui iterum invitare possint.

V. 15. Adeo impudenter iuvenes liberales illiberalia tractant negotia, quae ante parasitis mandabantur, quemadmodum, ipsi sontes, non erubescunt reos in iudicio damnare. *In tribu* est in comitiis populi tributis, tributim, ut Livius ait III, 55., in populi iudicio. *Aperto capite;* impudenter. Contrarium est *operto capite.* Caput operiebant, quos alicuius facti dictive pudebat. Sic apud Petronium Ascythus caput operit, ut se videt in lupanar deductum, quod exemplum interpp. ad hunc locum recte laudarunt. Unde inutilis esse intelligitur Dousae coniectura, qui Plautt. expll. I, 17. pro *lenones, laniones,* rescribi iussit. *Atque illi tacent.* De particula *atque* vide quae supra ad II, 2, 105. de Mülleri sententia exposuimus. Est autem h. l. fere idem quod *tum,* da, und da. Cf. etiam Schütz. de doctrina particul. Lat. Ling. seg. 135. Adde quod statim sequitur: *atque illi abnuunt.* *Quis profitetur;* quis *se* vel *nomen suum* profitetur, h. e. quis promittit, se ad prandium me vocaturum. *Menstruales epulae.* Quae mihi in mensem satis essent. Sic recte ad comicae artis rationes Lambinus explicat. *Rem de compacto geri.* Citat Sosip. Charis. pag. 116. ed. meae, ubi Cod. *de compecto. Dentes ut restringerent;* h. e. ut ringerentur, qui risus est violentus et simulatus. Hoc igitur dicit parasitus: ne affectant quidem risum, ne eo quidem numero me habent, ut saltem ridere videri velint. *Compacto* ut paullo ante *de compacto,* sicut *de composito* et *composito.* Atque ita recte dici auctor est Charisius l. c. afferens Afranii versum ex Emancipato: *Te facere compacto omnia.* — Ridicule credit Parasitus, iuvenes istos, quos adierit, de se repudiando inter se composuisse, quod addito exemplo illustrat: *ut in Velabro olearii.* Velabrum locus erat Romae iuxta Aventinum montem, ubi olea-

Núnc redeo inde, quóniam me ibi vídeo ludificárier.
Item alii Parasíti frustra obámbulabant in foro.
Núnc barbarica lége certum est iús meum omne pérsequi.
Quí concilium iniére, quo nos víctu et vita próhibeant;
Hís diem dicam, írrogabo múlctam, ut mihi coenás decem
Meo árbitratu dént, quom cara annóna sit; sic égero.
Núnc ibo ad portum hínc; est illic mi úna spes coenática;
Si éa decolabít, redibo huc ád senem, ad coenam ásperam.

---

riorum tabernae, qui olearii mercimonium suum omnes communi et composito pretio vendidisse videntur. *Quoniam* ortum ex *quom iam*, si recte coniicio, causae notionem cum temporis significatione coniungit, valetque: da nun einmal, weil einmal, weil ja, weil nun.

V. 32. Quamquam ante se consolatus erat parasitus, quod alii etiam parasiti frustra in foro obambulassent, tamen iure se ac legibus cum iuvenibus istis immunificis acturum poenasque iis irrogaturum ait. *De lege barbarica* Rostius in singulari scriptione scholastica egit. Eius sententia, cui accedimus, haec fere est. Quod *legem barbaricam* significari *Romanam* volunt, id quidem non dubium est. Sed nusquam vestigium exstat, et vero re ipsa minime probabile est, peculiarem eiusmodi unquam legem latam esse, ex qua, qui concilium iniissent, quo cives victu prohiberent, in ius vocarentur. Neque credibile est, hoc loco parasitum, qui aperte ex eo, quod factum esse repugnat, risum captat, ad legem aliquam veram respexisse. *Lex* igitur h. l. potius valet de *ratione lege agendi*, das gerichtliche Verfahren, quia saepe eadem lege, qua aliquid prohibetur, etiam agendi in reum ratio praescribitur. Dicit igitur parasitus, se Romano more ius suum persecuturum. Qui mos, nisi omnia fallunt, in eo ponitur, ut caussam suam in iudicio populi sive extraordinario disceptari velit. His enim populi iudiciis solemnis erat formula *diem dicere*, pro qua in privato iudicio *in ius vocare* dicebatur. *Diem* vero *dicere* nemini, praeterquam magistratui, veluti tribuno, quaestori, aedili licebat. Accusationem constituta illa die factam sequebatur *multae poenaeve irrogatio*, hoc est, rogatio ad populum, ut multam poenamve, a magistratu propositam, suo suffragio ratam faceret. — Parasitus igitur quatuor modis ridiculum se praebet. Primum quod lege agere decernit in re, cui, quia voluntaria erat, praestandae nemo erat obnoxius. Deinde quod publicam actionem pro civili instituere vult; actio enim prohibiti et non exhibiti, quo hanc speciem referre possis, inter privatas numeranda est. Porro quod in propria caussa iudicat et privatus adeo atque illiberalis homo magistratus munere functurum se dicit. Denique quod stricti iuris actionem cum arbitraria confundit arbitrique provinciam tam severe administrat, ut non ex aequo et bono caussam aestimet, reosque, nisi rem actori statim reddidissent, in triplum aut quadruplum, quod summum erat, condemnet, sed decernat, ut sibi coenas decem dent, cum cara annona sit. Hactenus Rostius. — *Concilium;* pronunciandum est: *Qui conciljum iniére,* ut *concilium* sit trisyllabum. *Sic egero.* Vide, quae supra diximus de futuro exacto ad II, 2, 64. *Spes decolare* dicitur, quum fallit. Proprie enim *decolare* activum est, idemque, quod *per*

ACTVS III. SCENA II.

Hegio.

Quid ést suávius,
Quám bene rem gérere bono público,
Sícut ego féci heri,
Quom emi hósce hominés. Vbi quísque vidént
Eúnt obviám gratulánturque eám rem.
'Ita me miserum réstitando rétinendoque
Lássum reddidérunt.
Vix é gratulándo misér iam eminébam.
Tándem abii ád praetórem.
'Ibi vix réquieví, rogo
Sýngraphúm, datur mi; íllico

---

colum transmittere. Tum vero etiam intransitivi notionem accipit, ut apud Plautum Cas. II, 4, 28. *Si sors autem decolassit.* Sic plane nostrates: die Hoffnung, das Loos ist durchgefallen. Unde intelligitur, male vulgo scribi h. l. *decollabit*, quod quantum differat, iam Gronovius ad h. l. ostendit. *Ad coenam asperam.* Cf. quae supra diximus ad 1, 2, 83.

Act. III. Scen. II. Haec scena alterum in hac fabula canticum est. — Hegio cum Aristophonte, alio captivo Eliensi, progreditur, quem a fratre, apud quem captivos suos asservandos curavit, arcessierat, ut de Pseudophilocrate testimonium ederet. Narrat igitur primum, quantum gaudeat, rem tam bene procedere, tum civium suorum congratulationes refert; deinde ut Tyndarum, qui Philocrates est, tandem dimiserit cum syngrapho a praetore accepto indicat; denique ut hunc Aristophontem apud fratrem inter reliquos captivos invenerit, qui nosse se Philocratem Eliensem dixisset, spectatores edocet. Iam Aristophontem ad Tyndarum, qui pro Philocrate remansit, adducit, unde fit, ut mox fraudem sibi factam sentiat Hegio.

V. 1. est dochmiacus monometer, quem sequitur creticus trimeter, qualis supra II, 1, 11. *Nostrum herum, si eximat vinculis. Bene* et *bono* pro monosyllabis sunt. V. 3. est creticus dimeter; *ego* enim est pyrrhichius. V. 4. est anapaesticus dimeter. V. 5. est bacchiacus tetrameter, quem sequitur trochaicus trimeter, non infrequens apud Plautum, quem excipiunt tres trochaei, qui quo minus pro duobus bacchiis accipiantur, nihil impedire videtur. V. 8. bacchiacus est tetrameter, quem sequuntur trochaei tres transitum facientes ad glyconeos. V. 11. *datur* pyrrhichus est. V. 12. est iambicus tetrameter catalecticus, quem alii comicum quadratum appellant. Cf. Herm. Elem. doctr. metr. pag. 149. *Dedi*, ut saepe, est monosyllabum. V. 13. bacchiacus dimeter, clausulam continens. Tum sequuntur sex comici quadrati, sive iambici tetrametri catalectici. — *Bene rem gerere publico bono* est rem suam privatam bene, sed ita gerere ut simul reipublicae vel communi civium saluti expediat. Quid illud sit, quod Hegio reipublicae profuerit, obscurum est. Aut tanta arrogantia senex est, ut a rebus suis publicam salutem pendere credat, quod non est probabile, aut, ut Lambinus explicat, quia

Dedi Tyndaro; ílle abiít domúm; inde íllicó praevórtor
Domúm, postquam id áctum est.
Eo prótenus ad fratrém mei ubi súnt alii captívi;
Rogó Philocratem ex 'Alide, ecquis ómnium hominem nórit;
Hic exclámat, eum sibi ésse sodalem; díco eum esse apúd me,
Hic éxtemplo orat óbsecratque, eum síbi videre ut líceat.
Iussi íllico hunc exsólvier. Inde ábii. Nunc tu séquere
Me, ut, quód me oravisti, ímpetres, eum hóminem ut convénias.

ACTVS III. SCENA III.

Tyndarus.

Nunc íllud est, quom mé fuisse, quam ésse, nimio mávelim;
Nunc spés, opes auxíliaque a me ségregant, spernúntque se.

Philocratem summo loco natum in Elide acceperat, inde reipublicae Aetolorum commodum oriri, et fortasse ad pacem inter utramque civitatem conferre, si ille suis reddatur, sperat. *Vbi quisque vident.* Vsitatus pluralis ad pronomen *quisque* relatus. De significatione cf. Amphitr. IV, 3, 14. *ubi quemque adspexero. Eminebam.* Vix capite prominebam ex gratulationis veluti fluctibus. Ita me paene obrutum et quasi sepultum detinebant cives gratulantes. V. 12. Ad hunc locum haec notavit Hermannus. *Acidalius, quo nescio an nemo praestantiorem operam in Plauto collocarit, verba* ***inde illico praevortor*** (vulgo *revortor*) ***domum****, pariterque quae v.* 13. *post v.* ***fratrem*** *legebantur:* ***inde abii****; expungenda esse censuit, secutique sunt eum alii. Verissima sane sunt, quae ille disputat; sed si reputasset, interpunctione mutata optime omnia procedere, minus confidenter de hac re pronunciasset. Sensus verborum hic est: postquam actum est illud apud Praetorem; statim praevortor domum, id est, non revertor, sed praetereo domum, ac protinus ad fratrem me confero. Illa vero:* ***inde abii****, quae recte Acidalius aliena esse vidit, primum omissa in textu et in margine posita, deinde alieno loco ab librario aliquo inserta sunt. Ea igitur et metro et re ipsa indicium faciente v.* 18. *reposui.* Ita Hermannus. V. 15. Vulgo: *ecquis omnium noverit. Tandem hic exclamat;* sed *tandem* ignorant MSS. *hominem* addidi de coniectura satis certa.

Act. III. Sc. III. Domum, ubi iam Pseudophilocrates versatur, intraverant Hegio et Aristophontes, quem conspicatus et cur veniret edoctus Tyndarus, foras se proripit de salute sua desperans. Sed tamen pro re nata capit consilium astuque rem persequi decernit, quamvis haesitanter. *Nunc illud est.* Nunc res in eum deducta est locum. *Segregant spernuntque se.* Recte Dousa Plautin. expl. 1, 18. *spernuntque se* tuitus est, provocans ad Ennii locum, quem ex Hectoris lytris Nonius servavit pag. 399. *Melius est virtute ius; nam saepe virtutem mali Nanciscuntur, ius atque aequum se a malis spernit procul.* Similiter, alia tamen structura, Mil. Glor. IV, 6, 17. *Ille illas spernit segregatque ab se omnes extra te unam.* Priscae quaedam editiones *spernuntque me;* atque ita magna pars Codicum. — *Dies* unius syllabae.

Hic ílle est dies, quom núlla vitae meaé salus sperabilist;
Neque éxitium exitio ést; neque adeo spés, quae hunc mi aspellát metum;
Nec súbdolis mendáciis mihi úsquam integumentum ést meis.
Nec sýcophantiís, nec fucis úllum mantellum óbviam est.
Neque déprecatió perfidiis meís, nec malefactís fuga est.
Nec cónfidentiae úsquam hospitium est, néc deverticulúm dolis.
Opérta quae fuére, aperta súnt, patent praestígiae.
Omnís palamst res; néque de hac re negótiumst,
Quín male occidam, óppetamque péstem, heri vicem ét meam.
Pérdidit me Arístophontes híc, qui intro venít modo.
Is me novit, ís sodalis Phílocrati et cognátus est.
Neque iám Salus serváre, si volt, mé potest;
Nec cópia est, nisi si áliquam corde máchinor astútiam.

Neque exitium exitio est. Vulgo: *Neque exsilium exitio est.* Sed iam Pontanus legendum vidit, quod dedimus. *Exitium exitio est* dicitur ad normam illius *salus saluti est* et similium. Hoc enim dicere vult Tyndarus, exitium ipsum sibi iam non esse exitio, ipsum vitae periculum iam non sibi afferre interitum, quia, ut recte autumat, non mortem, sed diuturnos cruciatus sit passurus. *Integumentum.* Sic praeclare Lambinus ex vetere Codice Jo. Tilii, episcopi Meldensis; vulgo, mutato etiam verborum ordine: *nec mendaciis subdolis mihi usquam mantellum est meis,* quod et ob metri vitium et fastidiosam eiusdem vocis repetitionem improbandum est. Quapropter non credibile est, Lambinum lectionem tam commendabilem ipsum confinxisse. De *sycophantiis* adeantur lexica Graeca et interpp. ad Fest. pag. 672. *Fuci* pro dictis factisve fucum facientibus. *Praestigiae* fallaciae visum veluti obtenebrantes et offuscantes, tenebras offundentes oculis. Non enim a *praestringendo*, sed a *praestinguendo* deducitur vocabulum, quod est caliginem offundere oculis. Antepenultima apud priscos, uti h. l., producitur, a serioribus corripitur. Alcim. Av. 5, 471. *Praestigiaeque diu nebulosa fraude peractae. Omnis palamst — negotium est.* Senarius est, transitum faciens ad numeros trochaicos. *Heri vicem et meam.* Vulgo: *heri vicem meamque*, versu adversante, quem, ut proxime sequentes, trochaicum tetrametrum catalecticum esse decet. *Vicem* accusativus pro usitatiore ablativo *vice*, ut *magnam partem, partim, instar*, pro eo, quod praepositione addita dixeris *in partem* (zum Theil) *ad instar;* idque ad Graeci sermonis exemplum, ubi τέλος, τοὐναντίον, τρόπον et quae sunt reliqua innumera, sine praepositione dicuntur, ipsa accusativi notione illam compensante. Cf. Cic. epist. I, 9, 1. *Nostram vicem ipse ultus sese.* Livius XXXIV, 23. *ne vicem nostram irascaris.* Apul. Flor. pag. 341. *Superne ruat fulminis vicem.* Idem Metam. IX, p. 223. *ut, hercules, eius vicem ego quoque tacitus frequenter ingemiscerem.* Apud Plautum saepissime. *Neque iam Salus servare* cet. Senarius aliis rhythmis interpositus. *Machinor* ultimam producit. Cf. Lingius de hiatu in vv. Pl. pag. 46 seqq. et Kampmann. in Anno-

Quám, malum? quid máchinér? Quid cómminiscar? Máxumas,
Nugás ineptiásque incepso; haéreo.

ACTVS III. SCENA IV.

Hegio, Tyndarus, Aristophontes.

Quo illúm nunc hominem próripuisse forás se dicam ex aédibus?
Ty. Nunc énim vero occidi; eúnt ad te hostes, Týndare! —
Quíd loquar? Quid fábulabór? quíd negabo? aut quíd fatebor?
Res ómnis in incertó sita est; quid rébus confidám meis?
Utinám te Di prius pérderent, quam périisti e patriá tua,

tatt. ad Plauti Rud. p. 7. *Quam, malum?* trochaici numeri; quae crebrae numerorum mutationes optime conveniunt animo turbato et ad desperationem adacto. *Maxumas nugas ineptiasque incepso.* Vulgo *incipisso*, de Camerarii sententia. V. C. Cam. *incipisse.* Sed versus requirit longam antepenultimam, unde multis arrisit lectio aliquot veterum editionum *incepisse.* Nec tamen hic infinitivus habet, quo referatur, et qui explicetur. Igitur scripserim ego *incepso*, hiatu admisso. Forma autem est eadem, qua dicuntur *capso*, *occepso;* significatio est actionis futurae momentaneae. Cf. quae supra dicta sunt ad Captiv. II, 2, 64.

Act. III. Sc. IV. Hegio cum Aristophonte domo exit, Tyndarum quaerens, qui terrore perculsus in plateam profugerat. — Versus primus est iambicus tetrameter; alter senarius, qui mutationem numeri praeparat; tertius trochaicus tetrameter acatalecticus, mira veritate vehementiam affectus in Tyndaro exprimens. Vide quae de numerorum mutationibus supra ad II, 3, 15. monuimus. *Nunc enim vero.* De particulae *enimvero* significatione cf. quae supra diximus ad prol. v. 22. Habet enim etiam h. l. gravem affirmationem cum caussae indicatione. Versus 4. omisso vulgato *mihi* post v. *fatebor* iambicus tetrameter acatalecticus. *Res mi omnis* Bothius scripsit; sed *mi* otiosum. Qui deinceps sequuntur versus quattuor pariter iambici tetrametri acatalectici. Inde a versu nono incipiunt tetrametri trochaici. — Tyndarus iratus vehementer Aristophonti, a quo sibi non iniuria timet, perditum eum prius fuisse optat, quam patria amissa huc captivus deductus sit. *Perderent;* solemnis imperfecti coniunctivi usus in votis et enunciatis condicionem indicantibus, pro plusquamperfecto, ut perhibent. Sed differt inter imperfectum et plusquamperfectum. Coniunctivus, ut satis notum est, rem tamquam cogitatam enunciat. Ad res, quae ut cogitatae proferuntur, etiam vota et condiciones pertinent. Sed enunciamus cogitata nostra in votis et condicionibus tripliciter. Aut enim significamus nos exspectare, quae cogitamus, fieri; aut notamus, nos non sperare, fore ut fiant; aut indicamus neque hoc neque illud, sed simpliciter, ut cogitata, pronunciamus. Quam triplicem coniunctivi notionem ut verbi formis distinguerent, ad tempora confugerunt Romani. Igitur si verbi gratia votum aliquod tuum, quod ad praesens tempus spectat, ac simul indicare velis, spem

Arístophontes, qui éx parata re ímparatam omném facis.
Occísa est haec res, nísi reperio atrócem mi aliquam astútiam.
He. Sequere; én tibi hominem, adi, átque alloquere. *Ty.* Quís homo est me hominum míserior?

---

tibi non deesse, dicas: *utinam fiat!* Sed si indicare velis, nihil esse quod eiusmodi spem faciat, dicas: *utinam fieret.* Contra si votum ad praeteritum tempus spectat, simulque te putasse fieri, vel adeo exspectasse, significare velis, dicendum: *utinam tum fieret*, h. e. credo, hoc fieri potuisse et utinam factum sit. Sed *utinam factum tum esset*, cum dicis, significas tacite: at non credo, hoc tum fieri potuisse, vel: at non probabile est, illud tum quidem potuisse accidere. Sin vero dicas: *utinam factum sit*, non indicas, utrum ipsi tibi probabile videatur, potuisse fieri. Eadem omnia valent de enunciatis condicionem indicantibus. In formula *si facias*, latet cogitatio: *suspicor autem te facere velle.* Sed in hac formula *si faceres nunc*, latet cogitatio: *at non credo, te hoc nunc facturum.* Sic in reliquis. *Si faceres tunc;* credo autem te voluisse facere. *Si hoc fecisses;* sed non credo, te facere voluisse. *Si hoc feceris;* pono te hoc facere, sed non curo, an velis facere, nec ne. Cf. Mülleri. de verbo Latino dissertatio scholastica part. I, p. 60. Hoc igitur Plauti loco *utinam perderent* dicendum erat, quia non potuisse fieri, sive non probabile esse, significare absurdum fuisset. Est igitur *utinam te perderent* wenn sie dich doch vernichtet hätten; *utinam te perdidissent*, wenn sie dich doch hätten vernichten wollen. Ad hunc Plauti locum explicandum inprimis appositus est Terentii locus, qui legitur Phorm. I, 2, 69. *D. Non si redisset, ei pater veniam daret? G. Ille indotatam virginem atque ignobilem Daret illi? numquam faceret.* Cuius rationem ad normam propositam explanandam tironibus relinquo. — *Res parata* dicitur quae in promptu est et usui proposita. Quae utendo parata sint, ea composite facta et ordinata esse oportet. Igitur *paratum imparatum facere* est res compositas turbare. Menaechm. I, 3, 31. *parata* res de coena apparata dicitur. Stich. IV, 1, 16. *res parata* dicitur res familiaris laute et largiter comparata. Plane geminus locus est Casinae IV, 4, 8. *Perii! istae facient hanc rem mihi ex parata imparatam.* Cf. etiam, quae statim sequuntur, *occisa est haec res*, hoc est, acta res est, conclamatum est. Vt enim *occisus sum* pro *perii* saepe apud Plautum, sic *occisa res* est, in qua nihil spei amplius est reliquum. Vtrumque autem desperationis comicae. *Atrox astutia* est plena virium, efficax, et vigore suo timenda. Sic *atrox animus*, *virtus atrox* de terribili vigore et constantia dicitur.

V. 8. Hactenus Tyndarus longe astans secum locutus. Iam propius accedunt hostes. *Sequere. En tibi hominem;* Aristophonti dicit Hegio. *En* scripsimus pro vulgato *hem.* Cf. notata ad II, 3, 13. Aristophontes Tyndarum oculos avertentem hortatur, ut ad se aspiciat. Non enim par esse, se nunc vitari a conservo suo, quem ipse liber in Elide tam bene noverit. Hegio sibi illud non mirum videri ait, quum Philocrates sit, quem servi nomine Tyndarum appellet. Tyndarus autem, ut agnitionem defugiat, Aristophontem rabiosum esse ait. *Morbus qui sputatur* est morbus comitialis, quo qui correpti erant, sanari posse credebantur, quum inspueretur iis. Cf. Plin. Hist. Nat. X, 23.

Ar. Quíd istuc est, quod meós te dicam fúgitare oculos Týndare?
Próque ignoto me áspernari, quási me nunquam nóveris?
'Equidem tam sum sérvus, quam tu; etsi égo domi libér fui,
Tu úsque a puero sérvitutem sérvivisti in 'Alide.
He. 'Edepol minime míror, si te fúgitat aut oculós tuos,
Aút si te odit, qui ístum appelles Týndarum pro Phílocrate.
Ty. Hégio hic homó rabiosus hábitus est in 'Alide.
Né tu quod istic fábuletur, aúres immittás tuas.
Nam ístic hastis ínsectatus ést domi matrem ét patrem.
'Et illic isti, quí sputatur, mórbus interdúm venit.
Proín tu ab istoc prócul recedas. *He.* 'Ultro istum a me!
Ar. Ain' vérbero
Mé rabiosum, atque ínsectatum esse hástis meum memorás
patrem?
'Et cum morbum mi ésse, ut qui me ópus sit insputárier?
He. Né verere, múltos iste mórbus homines mácerat,
Quíbus insputarí saluti fúit, atque illis prófuit.

---

et XXVII, 3. *Vltro istum a me: Vltro* nativa significatione est *remoto loco*, *longe*. Deinde fere idem, quod *amplius*, *insuper*, darüber hinaus, drüber. Proprie igitur ablativus est. Inde adverbium, quod amplius in re aliqua fieri, quam exspectari poterat aut quam par erat, significat. Igitur *ultro aliquid facere* dicitur, qui non exspectat, dum rogatur, sed ante facit *nemine impellente; sponte* vero, qui non invitus facit, quamvis rogatus. Sic *sponte* nascuntur herbae, quae quasi non invitae, non coactae, crescunt; *sponte* corpora gravia deorsum feruntur, quod *natura sua* veluti libenter succidunt. In his et similibus formulis non dici potest *ultro*. Contra Terent. Andr. I, 1, 73. *Hac fama impulsus Chremes ultro ad me venit*, non est *sponte venit*, quod preces non excluderet, sed *non rogatus*, *praeter exspectationem*. Idem Eun. I, 1, 24. *Et ultro te accusabit et dabis ultro ei supplicium.* H. e. praeterea, insuper, ut recte ibi explicavit Faernus. Rarior autem est, quae est huius apud Plautum loci ratio, nativa tamen et propria, ubi notat *procul*, Accusativus pendet a removendi, abigendi vi, quae inest enunciato, quasi dixisset: *apage te a me ultro.* Sic Amphitr. I, 1, 163. *Vltro istunc, qui exossat homines.* Casin. II, 8, 23. *Vltro te amator, apage te a dorso meo.* — *Vt qui me opus sit.* *Qui* in hac locutione est ablativus pronominis indefiniti, *aliquo modo.* Vulgo ad pleonasmos revocant. Cf. Asinariae III, 1, 2. *An ita tu es animata, ut qui expers matris imperii sies;* ubi male Lambinus *ut quae* exponit. Adde Bacch. II, 3, 49. *Adeon' me fuisse fungum, ut qui illi crederem.*

V. 22. Hegio Aristophontem putat pudore motum morbum suum occultare. Itaque consolatur eum rogatque, ne vereatur sputari, nam multis hoc salutare fuisse. Vulgo: *atque Aliis profuit*, quae verba Tyndaro tribuuntur. Codices non consentiunt, qui *his*, *iis*, *eis*, *aliis*. V. C. Cam. *liis* sed obscura manus. Nos Bosschae assentimur, qui *illis* dedit et verba Hegioni tribuit. *Quibus saluti fuit atque profuit.* Nota discrimen. *Saluti fuit*

Ar. Quíd tu autem, etiam huic crédis? *He.* Quid ego crédam huic? *Ar.* Insanum ésse me.
Ty. Víden' tu hunc, quam inimíco voltu intuétur? Concedi óptumumst.
Hégio, fit quód ego dixi; glíscit rabies; cáve tibi.
He. Crédidi esse insánum extemplo, ubi te áppellavit Tyndarum.
Ty. Quín suum ipse intérdum ignorat nómen, neque scit quí siet.
He. 'At etiam te suúm sodalem esse aíbat. *Ty.* Haud vidí magis.
'Et quidem Alcmaeo átque Orestes ét Lycurgus póstea
'Una opera mihi súnt sodales, qua íste. *Ar.* At etiam fúrcifer,
Mále loqui mi audés? Non ego te nóvi? *He.* Pol planum íd quidem est,
Nón novisse, qui ístum appelles Tyndarum pro Phílocrate.
Quém vides, eum ignóras; illum nóminas, quem nón vides.
Ar. Immo iste eum sese aít, qui non est, ésse, et qui vero ést, negat.

---

est salutare fuit, morbum curavit; *profuit* est non obfuit, nihil nocuit insputari neque corpori neque in hominum existimatione, quod *vereri* videbatur Aristophontes. *Illis* additum ex abundantia an negligentia quadam familiaris et communis sermonis, qui omnia quam fieri potest maxime perspicue eloqui studet. Saepe ita Graeci. Exempla vel apud Homerum frequentissima. Diversum est illud genus Plaut. Cist. IV, 2, 23. *Quae neque illa illi quicquam usui est;* ubi *quae illa* dicitur ut *haec illa, hic ille est, qui* cet. Trin. IV, 2, 6. *Qui ego.* Ibid. IV, 4, 16. *Quorum eorum unus surpuerit currenti cursori solum.* De quo loco quemadmodum de Graecorum circa haec consuetudine cf. Herm. ad Soph. Phil. 315. — *Quid ego credam;* nempe ex tua sententia. *Gliscit rabies*, sensim augescit. *Aibat* disyllabum. *Haud vidi magis*; negationem cum irrisione coniunctam denotat haec formula, quae proprie significat: *non vidi, quod meliori iure sic dici possit*, vel, ut h. l., *neminem vidi, qui magis esset meus sodalis*, nemo minus est, omnium minime ille est. Cf. Amphitr. II, 2, 47. et Taubm. ad h. l. Muret. varr. lectt. 17, 16. (10, 13.) Adde Cic. pro Sextio 51. Plaut. Poen. I, 1, 13. Plaut. Mercat. IV, 3, 24. Dicitur autem *haud vidi magis* et *nihil vidi magis. Et quidem.* H. e. *et nimirum*, ironice, und freilich, natürlich. Ita saepius apud Plautum. *Una opera.* Eadem opera, eodem modo. Supra III, 1, 28. *una res* pro *eadem res.* *Opera* quia de sodalitio sermo est. *Alcmaeo, Orestes, Lycurgus.* Nobilissima, quae fabulae norunt, insanorum nomina, de quibus adeantur mythographi.

V. 35. Nullo modo Aristophontes Hegioni persuadere potest, Tyndarum esse quicum loquitur. Quapropter acrius instat contendere, Tyndarum non esse, quem ille se praedicet. *Et qui vero est, negat.* Sciopp. suspectt. lectt. IV, 20. ostendit, *vero*

Ty. Tu énim repertu's, Phílocratem qui súperes verivérbio!
Ar. Pól, ego ut rem vídeo, inventu's, véra vanitúdine
Quí convincas. Séd quaeso, hercle, agedum áspice ad me. *Ty.* Hem. *Ar.* Díc modo,
Té negas Tyndarum ésse? *Ty.* Nego inquam. *Ar.* Tún' te Philocratem ésse ais?
Ty. 'Aio ego, inquam. *Ar.* Túne huic credis? *He.* Plús quidem, quam tibi aút mihi.
Nam ílle quidem, quem tu ésse hunc memoras, hódie hinc abiit 'Alidem
'Ad patrem huius. *Ar.* Quém patrem, qui sérvus est? *Ty.* Et tú quidem,
Sérvus, et libér fuisti; et égo me confídó fore,
Si húius huc recónciliasso in líbertatem fílium.
Ar. Quíd ais, furcifér? ten' gnatum mémoras esse líberum?
Ty. Nón equidem me Líberum, sed Phílocratem esse aió. *Ar.* Quid est?

---

hoc loco esse fere idem quod *vere*, h. e. in Wahrheit, ablativus ergo a neutro *verum*. Res est nota et Plauto usitatissima. Sic Merc. IV, 4, 19. ubi quaerit aliquis *veron'*, alter respondet *serio*. Et ita quidem ex certissima Acidalii emendatione. *Tu enim repertus.* Vis ironica particulae *enim* proxime accedit ad cavillandi notionem, quae est in vocibus *nimirum*, *nempe*, *scilicet*, quibus contrarium ei, quod dicitur, significatur. Recte scilicet dicis; tu enim, o ridicule, repertus es, qui Philocratem veracitate vincas. Hoc est, nemo facile me superat veracitate, multo autem tu minus. *Vera vanitudine qui convincas.* Qui quae vera sunt, mendaciis convincere studeas. *Te negas* dactylus vel spondeus pro trochaeo. Nam haud dubium est, quin ultima in *negas* corripi possit, aut, quod probabilius, *negas* pro monosyllabo sit. Cf. Most. III, 1, 27. *Negat? négat, inquam; perii óppido, cum cógito.* Terent. Eun. II, 2, 21. *Négat quis? négo. Ait? áio. Póstremo ímperávi egomét mihi.* Plaut. Asin. II, 4, 46. *Sed sí domi est, Demaénctum volébam. negat esse íntus.* *Aio ego inquam.* Vulgo *Ego inquam* adversante et claudicante metro. Bothius dedit *Aio inquam*, admisso hiatu. Legendum *Aio ego inquam*. *Aio* enim a seq. v. *ego* facile absorberi potuit. V. 42. *Qui servus est.* Ex iuris Romani regula, qua servi cognationis agnationisque iuribus carebant. Cf. Vlpiani fragm. 12, 3.

V. 45. Aristophontes sensim magis iratus tandem in convicia erumpit, quum audit, Tyndarum promisisse, se effecturum, ut Hegionis filius in libertatem restitueretur. Quid ais, inquit, tu te filium dicis liberorum parentum et ita commutationem illius pollicitus es? Respondet ambigue Tyndarus, se non liberum, sed Philocratem esse affirmans. Ambiguitas in voce *liberum* duplex est. Primum hoc sibi velle potest Tyndarus: non Liberum, deum, me dico, sed hominem Philocratem. Et hoc videtur illud esse, quod prae se fert Tyndarus. Sed potest etiam esse: non dico me, sed Philocratem, esse liberum. Potest vero etiam intelligi velle: non iam me liberum dico, sed Philocratem esse, h. e. Philocratis partes agere, quod veritatis spe-

'Ut scelestus, Hégio, nunc íste te ludós facit!
Nám is est servus ípse, neque praetér se unquam ei servús fuit.
Ty. Quía tute ipse egés in patria, néc tibi, qui vivas domist,
'Omnis inveníri similes tíbi vis; non mirúm facis.
'Est miserorum, ut málevolentes sínt atque invideánt bonis.
Ar. Hégio vide sís, ne quid tu huic témere insistas crédere.
'Atque ut perspició, profecto iam áliquid pugnae édidit,
Fílium tuum quód redimere se aít, id ne utiquam míhi placet.
Ty. Scío te id nolle fíeri; efficiam támen ego id, si Di ádiuvant.
'Illum restituam huíc, hic autem in 'Alidem me meó patri.
Própterea ad patrem hínc amisi Týndarum. *Ar.* Quin túte is es;
Néque praeter te in 'Alide ullus servus istoc nómine est.
Ty. Pérgin' servum me éxprobrare esse, íd quod vi hostili óbtigit?
Ar. 'Enimvero iam néqueo continéri. *Ty.* Heus audin'? quín fugis?
Iam íllic hic nos ínsectabit lápidibus, nisi illúm iubes
Cómprehendi. *Ar.* Crúcior. *Ty.* Ardént óculi; fune opu'st Hégio.
Víden' tu illi maculári corpus tótum maculis lúridis?
'Atra bilis ágitat hominem! *Ar.* At pól te, si hic sapiát senex,

---

ciem praebet spectatoribus. *Ludos facere aliquem*, ludificare, ludere aliquem. Sic *ludos pessimos dimittere aliquem* Rud. III, 5, 12. Vsu enim factum, ut *ludos facere* una haberetur notio, unumque vocabulum, quasi *ludificare*, unde pari modo strui coeptum. Quae ratio deinde sic amplificata est, ut etiam aliud verbum adiiceretur substantivo velut *dimittere ludos*, h. e. ludificatum dimittere. *Qui vivas*, unde vivas, ut saepe. Cf. notata ad I, 2, 11. *Vide sis. Vide* duarum brevium, ut *cave*, *iube*, *tace*. Cf. not. ad I, 2, 49. *Aliquid pugnae edidit.* Maluit Sciopp. suspp. lectt. V, 1. *Aliquid pugnae dedit*, i. e. aliquam technam machinatus est. Citat locum Pseudoli I, 5, 111. *Priusquam istam pugnam pugnabo, ego etiam prius Dabo aliquam pugnam claram et commemorabilem.* Quibus tamen non efficitur, non etiam dici potuisse *pugnam edere*. V. 54. *Ne utiquam* sic divisim scribendum; non enim est dactylus, sed tribrachys, cuius prima syllaba ictu elevatur.

V. 60. Rursum affirmante Tyndaro atque itentidem repetente servitutem sibi vi tantum hostili obtigisse, iam se amplius vix continet Aristophontes, quod ipsum eloquitur. Quare Tyndarus Hegionem hortatur, ut sibi a rabioso caveat et fugiat. *Heus audin? quin fugis?* Vulgo: *heus audin, quid ait? quin fugis?* Interpretamentum *quid ait* ipse versus indicat. *Ardent oculi* non ira, sed insania. *Atra bilis.* Μελαγχολία. Cf. Cic. Tuscul. III, 11. *Pix atra agitet apud carnificem.* Duplex genus

Píx atra agitet ápud carnificem, tuóque capiti inlúceat.
Ty. Iám deliraménta loquitur, láruae stimulánt virum.
He. Hércle, quid si hunc cómprehendi iússerim? *Ty.* Sapiás magis.
Ar. Crúcior lapidem nón habere mé, ut illi mastígiae
Cérebrum excutiam, quí me insanum vérbis concinnát suis.
Ty. Aúdin' lapidem quaéritare? *Ar.* Sólus te solúm volo,
Hégio. *He.* Istinc lóquere, si quid vís; procul tamen aúdiam.
Ty. Námque edepol si adbítes propius, ós denasabít tibi
Mórdicus. *Ar.* Neque pól me insanum, Hégio, esse créduis,
Néque fuisse unquám, neque esse mórbum quem istic aútumat.
Vérum si quid métuis a me, iúbe me vincirí; volo,
Dum ístic itidem vínciatur. *Ty.* 'Immo enim vero, Hégio,
'Istic, qui volt, vínciatur. *Ar.* 'Táce modo; ego te, Phílocrates
Fálse, faciam, ut vérus hodie réperiare Týndarus.
Quíd mi abnutas? *Ty.* Tíbi ego abnuto? Quíd agat, si absis lóngius?

---

cruciamenti pice in servis fieri poterat. Aut enim fervida in nudum corpus destillabatur, aut frigida illinebant corpus, quo incenderent. *Laruae stimulant virum.* Diaeresin requirit versus. Cf. Menaechm. V, 4, 2. *Num lárua aút cerritus, fâc sciam.* Nec aliter apud Plautum dici videtur. Cf. Amphitr. II, 2, 145. ubi *laruarum* est tetrasyllab. Adde Merc. V, 4, 20. 22. Casin. III, 4, 2. Aulul. IV, 4, 15. *Larvae* sunt proprie noxiae inferorum umbrae, quae ut nocturna terriculamenta hominibus apparent eosque terrore in insaniam agunt. Cf. Apuleius de Deo Socr. 50, 14. *Qui vero ob adversa vitae merita nullis bonis sedibus incerta vagatione, ceu quodam exsilio, puniuntur, inane terriculamentum bonis hominibus, ceterum noxium malis, id genus plerique larvas perhibent.* Contrarium *Manes.* Cf. Martian. Capell. II, 40. Adde Festum in *Larvati.* pag. 88. et 477. ed. m. — *Hercle, quid, si hunc.* Sic fere omnes libri MSS. Camerarius edidit: *Quid, quid, si hunc,* quod in metrum peccat. *Me insanum verbis concinnat.* Me insanum reddit verbis suis. Cf. infra Capt. IV, 2, 38.

V. 70. Tandem morae impatiens cum Hegione solo solus colloqui cupit Aristophontes, ut de Tyndari fraude ei persuadeat facilius, et non a Tyndaro interpellatus. Non tamen statim propius ad se admittit illum Hegio, quippe ab insano sibi etiamnum timens, quamquam rem, sicuti est, iam suspicari videtur. *Procul tamen audiam.* Loquere modo; quamquam procul, audiam tamen. Vide quae supra de vi particulae *tamen* monuimus ad Capt. II, 3, 33. *Creduis;* coniunctivus h. l. est optantis. *Iube* duarum brevium. Cf. supra ad I, 2, 49. *Immo enim vero.* Non me; nam verum est, illum longe rectius vinciri. Habet enim, ut diximus saepe, vocula *enim vero* graviter affirmandi notionem cum significatione caussae coniunctam. *Tace* duarum brevium. *Vt verus hodie reperiare Tyndarus.* Vt vapules, quemadmodum servi solent; ut tergum tuum hodie sentiat, te esse servum Tyndarum. *Quid agat, si absis longius.* Quid ille agat te absente, cum iam nunc te praesente talia in me audeat. *Absis* indicat

He. Quíd ais? quid si adeám húnc insanum? *Ty.* Núgas! Ludificábitur;
Garriet, quoi néque pes unquam, néque caput compáreat.
'Ornamenta absúnt; Aiacem, hunc quóm vides, ipsúm vides.
He. Níhili facio, támen adibo. *Ty.* Núnc ego omnino óccidi,
Núnc ego inter sacrúm saxumque stó; nec, quid faciám, scio.
He. Dó tibi operam, Arístophontes, sí quid est, quod mé velis.
Ar. 'Ex me audibis véra, quae nunc fálsa opinare Hégio.
Séd me hoc primum éxpurgare tíbi volo, me insániam

---

opinionem, fore, ut mox abeat Hegio. Vult enim nunc etiam timere videri insaniam Aristophontis. *Abesses* h. l. absurdum.

V. 80. Nunc demum suspicari incipit, id quod res est, Hegio. Quid ais? Abnutavit tibi Tyndarus? Quid, si adeam hunc insanum? Nondum tamen animum despondet Tyndarus. *Nugas! ludificabitur*, inquit; h. e. nugas tecum aget et ludibrio te habebit. *Garriet*, *quoi.* Sic Acidalius. Lambin. *quo.* Vulgo *quod.* Garriet ea, quae, monstri similia, neque pedes neque caput habebunt; monstra loquetur. *Ornamenta absunt.* Ita V. C. Cam. et vulgata. Recte. *Adsint* legendum coniecit Dousa Plautin. expl. I, 19. Tractavit hunc locum Rostius in Plautin. Cupedd. ferculo III, init. Is Bothii aliquam coniecturam nuper ab ipso Bothio relictam, recte explodit. De *ornamentis* plura exponit, ex quibus, quae huc pertinet, apponam. *Fuisse peculiarem et suum cuique personae scenicae habitum non solum ex rei natura colligitur, sed plus quam verosimile fit eo, quod pictores, statuarii et nummorum artifices celebrium virorum imagines constanter ad eam, quam fama ferebat et poetarum auctoritas, similitudinem effingebant, nec facile in iis, quae in unoquoque insigniter animadvertebantur, quicquam mutabant.* Addit haec de loci universi sensu. *Non agitur hic de discrimine, quod inter Aiacem et alios heroes intercedebat, sed de eo, quod Aristophontes Aiaci et animo et corpore et moribus esset simillimus, si hoc unum exceperis, quod non eodem, quo ille, ornatu armorum vestiumque compareret.* Ita Rostius.

V. 83. Iam Hegio cum Aristophonte congreditur ab eoque fraudem Tyndari certissime edocetur. Quam rem sentiens Tyndarus de rebus suis plane desperat. *Omnino occidi* non est vere, certo occidi, sed totus occidi, omni ex parte perii. Numquam enim *omnino* meram affirmationem indicat. *Nunc ego inter sacrum saxumque.* Integer hic versus fere iisdem verbis in Codice Palimpsesto inventus est ab Angelo Maio loco Casinae in editionibus mutilo, Act. V, 4, 7, ubi nunc octo versus desiderantur, quos produxit, mutilos tamen, Maius. Non raro et integros versus et hemistichia Plautus alio loco repetiit, mox iisdem mox paucis verbis mutatis. Casinae ille versus est: *Nunc ego inter sacrum saxumque sum, nec quo fugiam, scio.* Ceterum proverbialis locutio e re sacra petita. *Sacrum* enim est victima, *saxum* quo victima feritur ex antiquissimo veterum more, de quo cf. Livius I, 24. Sensus igitur: in praesenti atque inevitabili periculo sum. V. 87. Vulgo atque in V. C. Cam. *Sed hoc primum me,* quem ordinem falsum esse, prosodia indicat. Vltima in v. *pri-*

Néque tenere, néque mi esse ullum mórbum, nisi quod sérvio.
'At ita me rex deórum atque hominum fáxit patriae cómpotem,
'Ut istic Philocratés non magis est, quam aút ego, aut tu.
He. Eho, díc mihi,
Quís igitur illic ést? *Ar.* Quem dudum díxi a principió tibi.
Hóc, si secus repéries, nullám caúsam dico, quín mihi
'Et parentum et líbertatis ápud te deliquió siet.
He. Quíd tu ais? *Ty.* Me tuum ésse servum, et té meum
herum. *He.* Haud istúc rogo.
Fuístin' liber? *Ty.* Fuí. *Ar.* Enimvero nón fuit, nugás agit.
Ty. Quí tu scis? An tú fortasse fuísti meae matri óbstetrix,
Qui íd tam audacter dícere audes? *Ar.* Púerum te vidí puer.
Ty. 'At ego te videó maior maiórem. Hem rursúm tibi!
Meám rem non curés, si recte fácias; num ego curó tuam?
He. Fúvitne huic patér Thesaurochrýsonicocroésides?
Ar. Nón fuit; neque ego ístuc nomen únquam audivi ante
húnc diem.
Phílocrati Theodóromedes fuít pater. *Ty.* Pereó probe.
Quín quiescis? Dírectum i cór meum, ac suspénde te.
Tú sussultas, égo miser vix ásto prae formídine.
He. Sátin' istuc mihi éxquisitum est fuísse hunc servum in
'Alide?

---

mum non colliquescit. *At ita me — ut —;* solemnis Romanorum iurandi formula, qua asseverant, non magis aliud optatissimum se optare, aut verissimum verum habere, quam illud quod iurant. Sed res in vulgus nota. *Deorum* disyll. *Deliquio siet.* Salmasius *deliquio* nominativum esse censet, et recte quidem; ut *aestimio, aestimium; contagio, contagium; obsidio, obsidium. Enim vero non fuit.* Nego, nam revera non fuit. *At ego te video maior maiorem.* Ego non amplius puer te video puerum, et tamen puerilia dicis. *Hem rursum tibi.* Vae tibi iterum; tanquam iam mala apprecatus esset, quod nondum fecerat audiente Aristophonte. V. 99. *Meam rem non cures;* qui scribendum censuerunt *ne cures*, locum non recte intellexerunt aut verba non recte struxerunt. Oratio enim ita procedit: *Si recte facias, meam rem non cures.* Est igitur enunciatum condicionatum, tanquam si dixisset poeta: *Si recte feceris, meam rem non curabis.* Ex qua re intelligitur, vv. *non cures* pro imperativo *ne cura* non dicta esse.

V. 105. Iam res plane ad incitas redit. Quaerit de patre Philocratis Hegio, cuius fictum nomen ante ediderat Tyndarus ad fraudem dissimulandam. Verum nomen edicit Aristophontes, unde rem plane occisam esse intelligit Tyndarus. *Quin quiescis? Directum i.* De voce *directum*, quae saepius apud Plautum legitur et variis obnoxia fuit virorum doctorum interpretationibus, non est quod priorum commenta afferamus. Verum vidísse videtur Rostius, ad cuius sententiam etiam nos accedimus. Is in Plaut. cupedd. ferculo III sic fere exposuit. Compositum videtur vocabulum *dierectus* e duobus verbis, *erigo* et *dirigo* (potius ex *di* et *erigo;* ut diiudicare, divendere, diiungere,

Néque esse hunc Philocratém? *Ar.* Tam satis, quam núnquam hoc inveniés secus.
Séd, ubi is nunc est? *He.* 'Ubi ego minime, atque ípsus se volt máxume.
Tum ígitur ego derúncinatus, deártuatus súm miser
Húius scelesti téchnis, quí me, ut lúbitumst, ductavít dolis.
Séd vide sis. *Ar.* Quin éxploratum díco et provisum hóc tibi.
He. Cérton'? *Ar.* Quin nihil, ínquam, invenies mágis hoc certo cértius.
Phílocrates iam inde úsque amicus fúit mihi a pueró puer.

---

unde est, quod duae primae syllabae *die* producuntur) quasi dixeris *dierigo*, et complectitur amborum significationem. Rebus enim quae expanduntur et extenduntur, id accidit, ut simul *erigantur*, h. e. sursum regantur, simul *dirigantur* h. e. in diversum regantur. Inde dirigere non raro etiam est *dissecare*, *diffindere;* atque in ista partium in diversum directione quaerenda caussa, cur verbum *dirigi* de iis rebus dicatur, quae dissecantur. Latini igitur, quando *dierectos* homines dicebant, videntur cruci affixos intellexisse, quae eadem est Nonii sententia pag. 49. non quia, ut hic putat, ad diem erant erecti, sed quia ad palum in terra destitutum et erigebantur, et manibus pedibusque in transversum dirigebantur. Id quod Plautus alibi sic dicit: *Distendite hominem divorsum ac dispendite.* Mil. V, 14. et *dispessis manibus* Mil. II, 4, 7. Ita factum est, ut *dierectum* eodem fere sensu dicerent, quo furciferum; et quum abire aliquem iuberent *dierectum*, intelligerent malam crucem. Quemadmodum autem posterior vox pro quavis mala re adhiberi a Romanis coepta est, ita etiam, quem *dierectum* appellabant, eum omnibus malis dignum esse iudicabant, eoque vocabulo in exsecrationibus tam libere utebantur, ut non homines solum, sed etiam res, quibus mala imprecabantur, *dierectas* esse dicerent. Hactenus Rostii sententia. *Dierectum i* scripsi, cum vulgo legatur: *dierectum cor meum, i ac s.*, V. C. Cam. autem *i* non exhibeat, neque alii Codd. habeant. *Dierectus* ubique apud Plautum est tetrasyllabum.

V. 107. Deceptum se Hegio sentiens, ad quaestionem Aristophontis, ubinam nunc sit verus Philocrates, indignabundus respondet, ubi ego eum minime, ipse vero se vult esse maxime, h. e. apud patrem libertate potitus. Iam pergit: *Tum igitur ego deruncinatus* cet. *Deruncinare* proprie est runcina dissecare, lacerare. *Runcina* serrae genus, Graecis ῥυγχάνη, ῥυκάνη, quam alii *dolabram* interpretantur. Dicitur ergo *deruncinatus* ut *dedolatus*, et quod sequitur *deartuatus*, primum de corporis caesione, deinde transfertur ad fraudem, sed verbo ad fraudis ingentem magnitudinem et impudentiam signandam aptissime electo. Ceterum citatur locus a Nonio p. 95. ubi legitur: *Tum igitur ego deunciatus, deartuatus sum miser.* — Diligentius rem ex Aristophonte quaerere instituit Hegio. *Sed vide sis.* Sed vide, an hoc sit tibi satis certum atque exploratum. *Magis hoc certo certius.* Familiaris sermonis abundantia ad rem perspicue indicandam. Sic *magis maior;* Menaechm. prol. 55. *magis dulcius;* Stich. V, 4, 22. *magis maiores nugae*; Poen. prol. 82. *magis contentior,*

He. Séd qua facie est túus sodalis Phílocrates? *Ar.* Dicám tibi:
Mácilento ore, náso acuto, córpore albo, oculís nigris,
Súbrufus, aliquántum crispus, cíncinnatus. *He.* Cónvenit.
Ty. 'Ut quidem, hercle, in médium ego hodie péssume procésserim.
Vae íllis virgis míseris, quae hodie in térgo morientúr meo.
He. Vérba mihi data ésse video. *Ty.* Quíd cessatis cómpedes
Cúrrere ad me, méaque amplecti crúra, ut vos custódiam?
He. Sátin' me illi hodié scelesti cápti ceperúnt dolo?
'Illic servum se ássimulabat, híc sese autem líberum.
Núculeum amisí, reliqui pígnori putámina.
'Ita mi stolido súrsum vorsum os súblevere offúciis.
Híc quidem me nunquam írridebit. Cólaphe, Cordalió, Corax,
'Ite istinc, atque efférte lora. *Lo.* Núm lignatum míttimur?

ACTVS III. SCENA V.

Hegio, Tyndarus, Aristophontes, Lorarii.

'Inicite huic mánicas mastígiae.

---

cui opponitur *avidus minus*; Poen. II, 15. *magis mollior*; Aulul. III, 2, 8.

V. 113. Res extra dubium ponitur, quum Hegio de facie rogat Philocratis, unde agnoscit Hegio, Philocratem verum dimissum esse. Tyndarus autem impensius etiam sibi timet. *Vt quidem processerim.* Plena est oratio: rem iam eo deductam ésse apparet, ut me maximo meo exitio hodie huc processisse credam. Perfectum indicat, durare eventum illius processionis. *Vae illis virgis miseris.* Audacior translatio est Amphitr. IV, 2, 9. ubi tergum servi flagritribae *ulmorum Acheruntem* dixit. *Ceperunt dolo.* De verbi *capere* notione supra exposuimus ad II, 2, 6. *Nuculeum amisi* cet. Sic citat Nonius p. 157. Vulgo *nucleum.* Ex eodem fonte est *reliqui* pro vulgato *reliquit.* Ceterum *Nuculeum* et *reliqui* pariter legitur in V. C. Cam. et cett. Pall. teste Pareo. *Offuciae* a fuco, qui oblinitur. Vt igitur *fucus* pro fraude, sic *offuciae* pro fallaciis, quae, veluti fucus faciei, obtenduntur animo. *Sursum vorsum;* ut *deorsum vorsum* apud Terent. Adelph. IV, 2, 36. Vsu enim factum videtur, ut primitiva notio in sursum et deorsum aliquantum obscuraretur, unde qui diligentius et clarius dicere vellent, vocabulum aliud adderent; motum in locum significans. Sic nostrates discrimen faciunt inter *hinauf* et *hinaufwärts.* Recte tamen monuit Bosscha non apparere, quare magis *sursum* quam *deorsum* sibi os sublitum esse dicat Hegio. Itaque legit *sursum deorsum*, ἄνω κάτω, cuius dictionis usu nihil est frequentius. *Sublinere os.* Tractum a genere ludi, quo dormientibus ora pinguntur. Sic Nonius pag. 45. v. *Sublevit.* *Num lignatum mittimur?* Lorarii, quasi ambigentes, acerbe ad lignationem referunt iussum Hegionis. Nam lignatum euntes, ut par est, securim et lora ferre oportebat.

Act. III. Scen. V. V. 1. Iubet Hegio, manicas iniici Tyndaro, ut in lapicidinas mittatur. *Inicite.* Versum primum creticum esse

Ty. Quid hoc ést negoti? Quíd ego deliquí? *He.* Rogas?
Sartór satorque scélerum, et messor máxume.
Ty. Non óccatorem príus audebas dícere?
Nam sémper occant príus, quam sarriunt rústici.
He. At út mihi confidénter contra astitit!
Ty. Decet ínnocentem sérvom atque innóxium
Confidentem esse, suom ápud herum potíssimum.
He. Astríngite isti, súltis, vehementér manus.
Ty. Tuús sum, tu has quidém vel praecidí iube.
Sed quíd negoti est, quámobrem succensés mihi?
He. Quia mé meamque rém, quod in te unó fuit,
Tuís scelestis fálsidicis falláciis
Deláceravisti, deártuavistíque opes,
Confécisti omnes rés ac rationés meas.
Ita mi éxemisti Phílocratem falláciis.

---

putari, unde *inicite* prima correpta scribendum fuit, ut exhibet V. C. Cam. Antiquiores editiones vocem *actutum* interpositam habent, ut trimeter iambicus fiat. Qui sequuntur versus, usitati sunt senarii. Bothius quidem vitiosissimas quasque Codicum lectiones hic coegit, ut monstra versuum pareret nemini, nisi ipsi, cognitorum. *Sartor satorque.* Hoc ordine scripta haec servavit Nonius p. 7. v. *Sartores.* Quod vero idem Nonius *sartorem* a sarriendo derivari pronunciat, hoc Plauti loco in testimonium usus, non animadvertit, Plautum iculariter loqui. Atque eadem est ratio alterius loci, quem Nonius ex Varronis περὶ ἀφροδισίων libro citat. *Non occatorem.* Quidni me ante occatorem dicere ausus es, quum *sarritorem et satorem* dixisti, *messorem* etiam? Fingit Tyndarus, Hegionem dixisse *sarritorem*, quum potius dixisset *sartorem* et *satorem*. Inde subiungit: omisisti *occatorem;* quod dicere *non audebas.* Etiam hoc ridicule. Quidni enim hoc auderet Hegio, cum alia omnia *audet* in Tyndarum? Ordo in verbis: *prius audebas dicere* Nonio debetur. *Sarrire* est sarculo herbas segetibus noxias evellere; quare longe ante sarritionem et statim post sationem occatio locum habet. Ceterum *sarriunt* h. l. disyllabum est.

V. 6. Istam animi confidentiam, qua in tantis angustiis ita iocari poterat Tyndarus, indignatur Hegio. Verba *contra astitit* hiatum habent legitimum. Item sequenti versu in verbis *servum atque* syllaba *um* non eliditur, quae ratio minus frequens in ista versus iambici sede. Vide tamen quae de syllaba *um* finali diximus in vetere Pros. Vv. 6. 7. 8. simili modo leguntur Pseud. I, 5, 44.

Bene confidenterque adstitisse intelligo.
Decet innocentem, qui sit, atque innoxium
Servom superbum esse apud herum potissimum.

Deartuavisti. Vide notata ad v. 108. scenae superioris. *Confecisti res ac rationes meas.* Conficere cum sit proprie totum aliquid facere, ut nihil faciendum supersit, in malam etiam partem dici coepit de rebus, quae plane consumuntur, pessumdantur. Sic patrimonium conficere, argentum conficere; et sic apud Ciceron. pro Marcello c. 4. *Nihil est opere et manu factum, quod non conficiat et consumat vetustas.*

Illum ésse servum crédidi, te líberum.
Ita vósmet aiebátis, itaque nómina
Intér vos permutástis. *Ty.* Fateor, ómnia
Facta ésse ita, ut tu dícis, et falláciis
Abísse eum abs te, méa opera atque astútia.
An, óbsecro hercle te, íd nunc succensés mihi?
He. At cúm cruciatu máxumo id factum ést tuo.
Ty. Dum ne ób malefacta péream, parvi aéstimo.
Si ego híc peribo, ast ílle, ut dixit, nón redit;
At erít mi hoc factum mórtuo memorábile,
Herúm me captum, ex sérvitute atque hóstibus
Reducém fecisse líberum in patriam ád patrem;
Meúmque potius mé caput perículo
Praeóptavisse, quam ís periret, pónere.
He. Facito érgo ut Acherúnti clueas glória.

V. 19. Ingenue fatetur Tyndarus, rem ita factam esse, ut arguit Hegio. *Abire* dicuntur saepe, qui incolumes evadunt, ut recte notavit Bosscha. Sic Amphitr. II, 2, 227. cum Alcumena Sosiae dixisset: *abin' hinc a me dignus domino servus;* ille vocem aliter interpretatus respondet: *abeo, si iubes.* Hoc est, *aufugio.* Igitur hoc etiam loco *abire* est dominum deserere, aufugere. *Id nunc succenses mihi.* Accusativus idem, qui est in formulis *gloriari aliquid, gaudere aliquid, laetari aliquid.* Cf. Mostell. V, 2, 41. *Neque illi sum iratus, neque quicquam succenseo.*

V. 23. Hegio maximos cruciatus minatur, quos parvi se aestimare respondet Tyndarus, dum modo ne merito puniatur. Et si vel maxime pereat, facta sua etiam post mortem memoratum iri. *Dum ne*, sicut *modo ne, dummodo ne, dum quidem ne.* Non dubium est, quin particula *ne* simpliciter apud priscos *non* valuerit. Exempla innumerabilia sunt, nunc in compositis dictionibus maxime reliqua. Vsu tamen factum est, ut *ne* in prohibitivis et optativis sententiis retineretur et locum haberet, ubi Graeci μὴ ponere solent. Sic *utinam ne, ut ne, modo ne, dummodo ne, dum ne;* et, quod usitatissimum est, *ne* simplex in enunciatis prohibitivis pro *ut non.* *Parvi aestimo* hiatus legitimus. *Ast ille, ut dixit, non redit.* Bothius *atque ille*, pro *ast ille*, scribendum censebat, quod sensum non iugulat quidem, sed non necessarium est. Nam *ast* h. l. differt a sequenti *at*, et fere idem valet quod *contra, vicissim*; sed *at* pro *saltem, tamen* ponitur. Sic Liv. X, 19. in formula antiqua: *Bellona si hodie nobis victoriam duis, ast hic ego templum tibi voveo.* H. e. ego *contra*, ego vicissim tibi templum voveo. In verbis: *Herum me captum* secutus sum Bothium. Vulgo: *meum herum captum*, quod contra metrum. *Periculo ponere* dictum ut *morti mittere*, quod paullo post legitur. *Praeoptare potius quam*, ut *malle potius quam*, Cic. in Verr. Div. c. 6; *malle magis quam*, Terent. Adelph. II, 2, 14. *Praesentire prius*, Plaut. Pseud. I, 4, 15. Ad hoc pertinent ea quoque, quae supra ad Capt. III, 4, 111. de duplici comparativo diximus. In voce *Acherunti* prima syllaba fere producitur apud priscos poetas. Cf. Hermann. in notis ad Eurip. Hecub. v. 1. Ceterum *Acherunti* ablativus est antiquus omissa praepositione,

Ty. Qui pér virtutem périit, at non ínterit.
He. Quando égo te exemplis éxcruciaro péssumis,
Atque ób sutelas tuás te morti mísero,
Vel ínterisse, vél perisse praédicent,
Dum péreas, nihil intérduo, dicant vívere.
Ty. Pol si ístuc faxis, haúd sine poena féceris,
Si ille húc redibit, sícut confido áffore.
Ar. Pro di ímmortales, núnc ego teneo, núnc scio
Quid sit hóc negoti. Méus sodalis Philócrates

---

tanquam sit civitas. Cf. quae diximus infra ad Captiv. V, 4, 1. *Qui per virtutem.* Versus a Nonio citatus p. 422. ubi ita: *Qui per virtutem perit, at non interit.* Scaliger proposuit: *perbitat, non interit.* Sed *perbitat* si indicativus, monstrum est; sin coniunctivus, et metrum violat, nam perbitere antepenultima longa est, et vero sensu cassum est, nam coniunctivus locum non habet Alciat. Parerg. VIII, 14. voluit: *periit, is non interit,* sed contra librorum auctoritatem infertur. Multi dedere: *peritat non int.*, aut: *peritat, non pol int.;* ex arbitrio. Erroris fuit non intellecta particula *at* in apodosi, ubi significat *s. tamen.* Sic supra v. 26. h. sc. *Si ego hic peribo —; at erit hoc factum mortuo memorabile.* Liv. IX, 1. *Quod si nihil potentiore iuris humani relinquitur inopi; at ego ad Deos, vindices intolerandae superbiae, confugiam.* In eiusmodi struct vulgo *attamen* locum habet. Cic. de fin. III, 15. *Sed quanqu negant; — attamen* cet. Conf. etiam Görenz. ad Cic. de Fin. III, 5, 13. Igitur Nonii lectio vera est, modo pro *perit* scribatur *periit.* Accedit, quod frequentativum *perito* incertae est fidei, uno tantum, quod sciam, Lucretii loco defenditur, III, 710. Ceterum quid differant *perire* et *interire*, indicavit Nonius l. c. his verbis: *perire levior res est et habet inventionis spem et non omnium rerum finem.* Unde simul apparet, non legisse Nonium *peritat.*

V. 33. Dixerat Tyndarus, se nihil curare cruciamenta, quae minitatus Hegio fuisset, quia persuasum haberet, quamvis periret, non interiturum, sed memoriam ad posteros propagaturum. Respondet Hegio: Sive pereas sive tu intereas, sive denique vivere dicaris, nihil mea interest, modo poenas luas. *Excruciaro.* Vulgo *excruciavero.* Bothius de suo: *excruciasso*, vulgarem illam formam *excruciaro* minus usitatam dicens veteribus. At *immolarit* legitur Poen. II, 2. *Adornarit* Rud. I, 2, 41. *Exemplis pessimis* pessimo modo. Sic saepe plurali numero haec vox usurpatur. Bacchid. V, 1. 6. *omnibus exemplis crucior.* Adde Rudent. II, 3, 40. Terent. Phorm. IV, 4, 7. *Ut te quidem omnes Di — malis exemplis perdant. Sutelae,* ut Festus (p. 144. cf. p. 679. edit. m.) explicat, sunt astutiae, a similitudine suentium dictae. *Morti misero*; cf. supra ad v. 30. h. scenae. *Nihil interduo.* Ita primus emendavit Dousa Plaut. expl. I, 9. Antea *interdico*, quod in metrum peccat. Ceterum *interduo* est interesse existimo, διάφορον ἡγοῦμαι Trin. IV, 2, 152. *Ceterum qui sis, qui non sis, floccum non interduim.*

V. 39. Iam Aristophontes quid rei sit et cur Tyndarus Philocratem se esse simulaverit, intelligit doletque, tam malam se operam praestitisse homini in herum fidelissimo atque optimo. *Malam alicui operam dare* i. e. non gratam, sed noxiam; nocere, ut nos: iemandem einen schlechten Dienst erweisen.

In líbertate est ád patrem, in patriá. Bene est.
Nec ést quisquam mihi, aéque melius cuí velim.
Sed hóc mihi aegre est, me húic dedisse operám malam,
Qui núnc propter me méaque verba vínctus est.
He. Votuín' te quicquam mi hódie falsum próloqui?
Ty. Votuísti. *He.* Cur es aúsus mentirí mihi?
Ty. Quia véra obessent ílli, quoi operám dabam;
Nunc fálsa prosunt. *He.* At tibi oberunt. *Ty.* Optume est.
At herúm servavi, quém servatum gaúdeo,
Cui mé custodem addíderat herus maiór meus.
Sed málene id factum árbitrare? *He.* Péssume.
Ty. At ego áio recte, qui ábs te seorsum séntio.
Nam cógitato, sí quis hoc gnató tuo
Tuus sérvus faxit, quálem haberes grátiam?
He. Emítteresne nécne eum servúm manu?

V.
arguit . 45. Hegio iratus, quod ipse, qui rem tam considerate, recte circumspecte se instituisse crederet, tantopere ludificatus Sosiaequaerit e Tyndaro, qua tandem animi audacia fraudem agresaliter sit. Ille fidem erga herum pristinum caussatur. *Votuin'*. Igitu plurimi Codd., prisca forma, de qua egit Reuvens. in Coll. *nunc.* V, 1. *Votare* enim pro *vetare* dicitur ut *voster*, *vortex*, *vorriarie* et plura eius generis alia. Cf. Plautus Asin. IV, 1, 14. qui 2, cus citatur a Nonio p. 45. v. *Votitum.* *Obessent.* Vera huius perfecti vis hac facta comparatione patebit. *Vera offuerant, aecui operam dabam* cum dicis, significas, tempus illud, quo vera Eoberant, iam finitum esse, antequam operam dare coepisti. *Vera t oberant, cui operam dabam* ubi dicis, pronuncias, vera offuisse per omne illud tempus, quo operam dabas. Eadem ratio est, ubi coniunctivo uteris in enunciatis condicionem habentibus. *Vera offuissent cui operam dabam* si dicis, hoc dicis, vera tum iam obesse desiisse de tua sententia, cum dabas operam. Contra *vera obessent cui operam dabam* si profers, hoc significas, per illud tempus, ubi operam dabas, ex tua sententia occasionem nocendi fuisse. Sic supra Captiv. II, 3, 57. *Nam si servus esses, nihilo secius obsequiosus mihi semper fuisti.* Adde Rud. II, 3, 48. *Si amabat, rogas, quid faceret? Asservaret dies noctisque.* — *Quoi* non liquescit. *Optume est* formula eorum, qui aut contenti sunt iis, quae alter dixerat, aut tranquilli et non curantes ista. Sententia igitur est: Non moror te, non curo minas tuas. Adde quae supra dicta sunt de hac formula ad Captiv. II, 2, 104. Nostro huic loco persimilis est Plaut. Bacch. III, 4, 3. *Illum exoptavit potius? Habeat, optume est. Nae illa illud hercle cum malo fecit suo.*

V. 53. Vt Hegionem, si fieri possit, leniorem reddat et bene volentem, ad paternum eius animum provocat et, si tuus filius, inquit, Philocratis loco esset, haberetque servum, tanquam ego sum, fidelem, quid faceres? Sicine tum mihi succenseres? *Faxit* est perfectum coniunctivi. Indicat enim Tyndarus, non magnopere se curare, utrum hoc unquam factum sit vel fiat nec ne. Ponit tantum rem, simpliciter. *Emitteresne nec ne.* Cf. quae

Essétne apud te is sérvus acceptíssumus?
Respónde? *He.* Opinor. *Ty.* Cúr ergo iratús mihi es?
He. Quia illí fuisti, quám mihi, fidélior.
Ty. Quid? tu úna nocte póstulavisti ét die,
Recéns captum hominem, núperum, novícium,
Te pérdocere, ut mélius consulerém tibi,
Quam illí, quicum una a púero aetátem exégeram?
He. Ergo áb eo petito grátiam istam. — Dúcite,
Ubi pónderosas, crássas capiat cómpedes,
Inde íbis porro in látomias lapidárias.
Ibi quom álii octonos lápides effodiúnt, nisi
Cotídiano sésquiopus conféceris,
Sexcéntoplago nómen indetúr tibi.
Ar. Per deós atque homines égo te obtestor, Hégio,
Ne tu ístunc hominem pérduis. *He.* Curábitur.
Nam nóctu nervo vínctus custodíbitur,
Intérdius sub térra lapides éximet.
Diu ego húnc cruciabo, nón uno absolvám die.
Ar. Certúmne est tibi istuc? *He.* Nón moriri cértiust.

---

diximus supra ad II, 2, 33. *Essetne.* Usitatius: *nonne esset.* Sed *ne* antiquitus idem quod *non.* Vide quae supra notavimus ad III, 5, 24. Idem enim, quod ibi observavimus in enunciatis prohibitivis et optativis factum esse, in interrogativis accidit, ut *ne* simplicem negandi vim haberet. Igitur sic primum usus particulae *ne* in interrogationibus obtinuit, ut *ne* vim negandi retineret pro eo, quod deinde usitatius dictum est *nonne.* Post demum factum est ut *ne* interrogandi signum esset, amissa negandi notione. Ceterum quamvis *ne* prohibitivum et *ne* interrogativum quantitate differant, tamen primitus unum idemque vocabulum fuisse videtur. Adde Cic. de finibb. V, 18. *Videmusne* pro *nonne videmus.* Et sic multis aliis in locis. Rem conficit Schaefer. ad Plin. Epist. III, 16, 13; III, 21, 6; II, 17, 10, et Parei lexicon Plaut. in v. *Ne.* *Recens captum hominem.* Dedimus hunc versum, quemadmodum citatur a Prisciano III, 3, tom. I, p. 117. et a Nonio p. 143. V. *Nuperum;* omisso *et* ante *novitium,* quod vulgo additur.

V. 63. Non mollitur Hegionis animus. Nunc iam Tyndarus in latomias abduci iubetur. *Gratiam istam,* qualem dixisti te mereri voluisse. *Latomiae lapidariae.* Adiectivum addi videtur, quod *latomiae* paullatim generalem carceris vel loci ad recipiendos damnatos notionem traxerat. *Sesquiopus,* unum totum et dimidium operis diurni. Sic *Sesquiulixes,* titulus Satirae Varronianae. Sic *sesquiplaga* et notissimum illud Horatii: *sesquipedalia verba.* *Effodiunt, nisi Cotidiano.* Sic ad optimorum Codd. fidem Bentleium ad Terent. Heautontim. IV, 5, 7. secuti dedimus. *Nisi* vulgo versum 67. incipit, claudicante superiore, qui voce *effodint* in vulgatis terminatur, quae vox est nihili. *Cotidiano* vulgo *cotidianus,* Cam. *cotidianos,* atque ita V. C. Cam. Sed Bentleius ad Terent. l. c. multa exempla congessit, quae

Abdúcite istum actútum ad Hippolytúm fabrum,
Iubéte crassas cómpedes impíngier.
Inde éxtra portam, ad méum libertum Córdalum,
In lápicidinas fácite deductús sict.
Atque húnc me ita velle, dícite, curárier,
Ne quí deterius huíc sit quam quoi péssume est.
Ty. Cur égo te invito me ésse salvum póstulem?
Períclum vitae meaé stat tuo perículo.
Post mórtem in morte níhil est, quod metuám, mali.
Etsí pervivo usque ád summam aetatém, tamen
Breve spácium est perferúndi, quae minitás mihi.
Vale átque salve; etsi, áliter ut dicám, meres.
Tu Arístophontes, dé me ut meruisti, íta vale,
Nam míhi propter te hoc óbtigit. *He.* Abdúcite.
Ty. At únum hoc quaeso, si húc rebitet Phílocrates,
Ut mi éius facias cónveniundi cópiam.
He. Perístis, ni hunc iam é conspectu abdúcitis.
Ty. Vis haéc quidem hercle est, ét trahi et trudí simul.
He. Ille ést abductus récta in phylacam, ut dígnus est.
Ego illís captivis áliis documentúm dabo,
Ne tále quisquam fácinus incipere aúdeat.
Quod ábsque hoc esset, quí mihi hoc fecít palam,

---

satis evincunt, *cotidiano* dici pro *quotidie*, adverbii loco. — Aristophontes misericordia motus obsecrat Hegionem, ne perdat Tyndarum. Cui acerba cum ironia reponit Hegio: *curabitur* h. e. ne amittatur, ne perdatur. Quam amphiboliam in verbo *perdere* exposuit Dousa Plaut. expl. 1, 19.

V. 75. *Lapicidinae.* Vt *homicida* ita *lapicida* dictum esse probabile est, non *lapidicida.* Unde simul patet, falsam esse alteram scripturam *lapidicidinae*; quam rem etiam inscriptiones confirmant. Privatas autem fuisse oportet istas *lapicidinas,* nam libertum iis praeesse dicit, cui mandat, ut pessime habeat Tyndarum. *Dicite* ultima producit in fine secundae dipodiae. Cf. Kampmann. in Annott. ad Plaut. Rud. pag. 3 seqq. — Tyndarus de suo periculo securum se esse ait, stare enim vitam suam Hegionis periculo. Grandi summa emerat Tyndarum, quae summa pessum ibat, si periret Tyndarus. *Post mortem in morte.* Postquam mortui sumus, nihil habet mors, quod metuas. Nam sensus ereptus est.

V. 91. Petierat Tyndarus, ut, si rediret Philocrates, convenire eum liceret. Quare vehementius etiam excandescens Hegio, illico abduci eum iubet. Sic abducitur. *Hunc iam e conspectu*; haec aut hiatum habent, aut *hunc ïam* scribendum et pronunciandum ut *nunc ïam*, quod probabilius est. — Solus inde in scena cum Aristophonte restat Hegio, secum reputans sortem suam. *Quod absque hoc esset.* Formula Plauto perquam familiaris et solis Comicis usitata. Vulgarior forma est: *absque hoc esset*, *absque te esset*, omisso *quod*, etiam in protasi, ubi *si* omitti videtur, pro eo, quod dici solet: *nisi hic esset*, *nisi tu esses.*

Vsque óffrenatum suís me ductarént dolis.
Nunc cértumst nulli pósthac quicquam crédere.
Satis súm semel decéptus; speraví miser
Ex sérvitute me éxemisse fílium.
Ea spés elapsa est. Pérdidi unum fílium,
Puerúm quadrimum quém mihi servus súrpuit;
Neque ením servum unquam répperi, neque fílium;
Maiór potitus hóstium est. Quod hoc ést scelus!
Quasi in órbitatem líberos prodúxerim.
Sequere hác; reducam te úbi fuisti. Néminis
Miseréri certum est, quía mei miseret néminem.
Ar. Exaúspicavi ex vínclis; nunc intéllego,
Redaúspicandum esse ín catenas dénuo.

Wenn der nicht gewesen, wenn du nicht warst. *Quod* autem additur ad significandum nexum cum superioribus, eodem illud usu, quo dicitur: *quodsi*, *quod nisi*, *quod utinam*. Ceterum notandum est, formulam: *absque hoc esset* in protasi poni, ut iam diximus; veluti apud Terentium Phorm. I, 4, 11. *Nam absque eo esset, recte ego mihi vidissem.* Plaut. Trin. IV, 1, 13. *Nam absque foret te, sat scio in alto Distraxissent* cet. Vocem *absque* in scriptis Ciceronis eiusque aequalium non inveniri, monet Vorstius de Latin. merito susp. 9. Uno adhuc Ciceronis loco superesse hanc vocem Epist. ad Atticum I, 19. nondum affecto a Criticis, monuit Oudendorpius ad Cic. de invent. I, 36. Locum vero istum in mendo cubare, quovis pignore contendere velit Oudendorpius. Cf. vero etiam Orell. ad Cic. ad Att. l. c. et Hand. Tursellin. I, p. 67. Adde Ruhnken. dict. ad Ter. p. 228. ed. Sch. et Ramshorn Gr. §. 150, 3. *Offrenati dolis* sunt, qui veluti capistro ori iniecto dolis devincti quolibet ductantur. De voce *surpuit* vide quae notavimus ad Capt. prol. v. 8. De formula *potitus hostium est*, cf. notam ad Captiv. I, 1, 24. Adde Herm. in notis ad Euripidis Hecubam v. 277. Ceterum legitur hic Plauti locus apud Nonium p. 498, 21. sed paullo aliter: *Ille alter potitus hostis est.* — *Quod hoc est scelus.* Scelus pro infortunio dici observavit Bentleius ad Terent. Eunuch. II, 3, 35. Sed recte Bosscha ad hunc Plauti locum monuit, non sic simpliciter dici *scelus* pro infortunio. Nam ubique subesse notionem miseriae e scelere ortae. Addit *scelus* et *nefas* saepe legi pro calamitate veluti Martial. VII, 14. *Accidit infandum nostrae scelus, Aule, puellae;* iubetque conferri Virg. Aen. II, 229. VII, 307. *Misereri certumst.* Citant hunc versum plures Grammatici; Charis. p. 111. (p. 79. ed. m.) p. 134. (p. 92. ed. m.) Non. p. 143. v. *Neminis.* Priscian. VI, 3. tom. I, p. 228. alius aliter. Recte solus Charisius loco indicato p. 134. (p. 92. ed. m.) *Exauspicare* est auspicium ducere ex aliqua re. Igitur *e vinculis exauspicari* est initium viae e vinculis duxi, itaque malo auspicio usus huc veni. Allusum est ad disciplinam Romanorum publicam, ubi domi repetebantur a ducibus auspicia, si quid male cessisset in expeditione, eaque repetitio *redauspicare* dicebatur. Sic recte Lambinus et Taubmannus.

ACTVS IV. SCENA I.

Ergasilus.

Iúpiter supréme, servas mé, measque augés opes.
Máxumas opímitates ópiparasque offérs mihi.
Laudém, lucrum, ludúm, iocum, festívitatem, férias,
Pompám, penum, potátiones, sáturitatem, gaúdium.
Néc quoiquam homini súpplicare mé nunc certum ést mihi;
Nám prodesse amíco possum, vél inimicum pérdere.
Ita hic me amoenitáte amoena amoénus oneravít dies.

Redit Ergasilus parasitus a portu, ubi quum aliquid coenae venaturus esset, praeter spem atque exspectationem regem suum Philopolemum, Hegionis filium, cum Philocrate et servo Stalagmo, qui servus Hegionis olim filium quadrimum surripuerat, redeuntem ex Alide invenit. — Hic temporum ratio quibusdam non constare visa est. Et sane, quamvis vix decem milliaria geographica ab ora Aetoliae maritima in Elidem conficienda essent; tamen cum rei agendae tempus unius diei spacio contineri fingatur, Philocrates, qui actu secundo dimittitur, quantumvis velocissima celoce vectus, nunc iam redux factus esse non potest, praesertim quum in Elide de Philopolemi redemptione multa essent peragenda et componenda. Sed, ut alii iam monuerunt, non est, quod poetam his temporum finibus coerceamus, maxime in theatro Romano, ubi plebeculae iste Graecarum regionum situs sine dubio ignotus erat. Lessingius quidem opp. tom. XXII. hoc nomine Plautum vehementer vituperat, quod temporum spaciique rationem everterit; sed ille ipse, vir de scenica nostratium poesi immortaliter meritus, eiusmodi temporis spaciique rationes in fabula non admodum curandas esse, modo res ipsa et fabulae actio sibi constet, planissime postea docuit. — Ceterum Stalagmum, servum istum fugitivum, Philopolemus in Elide haud dubie iam ante Philocratis adventum agnoverat et capi iusserat, unde nunc quidem vinctum eum secum adducere facile potuit.

De metro priorum quattuor versuum cf. Hermannus Elem. doctr. metr. p. 167. Ubi hunc locum inter exempla citans sic ille: *Singulare est, quod saepe, ubi vel enumeratio aliqua multarum rerum vel alia descriptio ponitur, mutari numerus solet.* Sunt enim iambici duo posteriores versus, quum a trochaicis oratio coepisset. Inde iterum trochaici. Sed inde a versu nono iterum iambici incipiunt. — Alter huius scenae versus citatur a Nonio p. 146. v. *Opimitas. Pompa* ut recte notavit Bosscha, intelligitur de longa ferculorum serie, ut in ludis Circensibus ferculorum pompae. *Nam prodesse.* Vulgo *nam vel prodesse;* quod quum metro obsit et commode abesse possit, eiecimus. *Amoenitate amoena amoenus.* Dicendi artificium, de quo supra ad II, 3, 49. diximus, non infrequens Plauto. Adde Amphitr. I, 1, 122. *Optumo optume optumam operam das.* Infra Captiv. IV, 2, 45. *Regum rex regalior.* Cf. Nackii dissertatio de alliteratione sermonis Latini inserta Museo Rhenano III, 3, p. 324 seqq. Compositionis eiusmodi, qualis est in verbis *amoenitas amoena*, exempla e Plauto congessit Lambinus ad hunc locum, veluti: *nitor nitidus,*

Síne sacris herédítatem sum áptus effertíssumam.
Nunc ád senem cursúm capessam hunc Hégionem, cuí boni
Tantum áffero, quantum ípse a Dis sibi óptat, atque etiam ámplius.
Nunc cérta res est, eódem pacto ut Cómici serví solent,
Coniíciam in collum pállium, ex me prímo ut hanc rem aúdiat.
Speróque me hunc ob núncium aevitérnum adepturúm cibum.

ACTVS IV. SCENA II.

Hegio, Ergasilus.

Quanto ín pectore hánc rem meó magis volúto,
Tantó mi aegritúdo auctiór est in ánimo.
Ad íllum modúm sublitum ós esse mi hódie!
Neque íd perspicere quívi!
Quód quóm scibitúr, tum per úrbem irridébor;

---

pretium pretiosum, pulchra pulchritudo. — *Hereditas sine sacris* est plenissima, ditissima, luculentissima. Nam quum apud Romanos sacra quaedam essent gentilicia et familiarum propria, consequens fuit, ut ea in haereditate pecuniam sequerentur et is, qui ex aliqua haereditate pecuniam acciperet, etiam sacra familiae faciunda in se reciperet. Cf. Cic. de Legg. II, 19, 48. *De sacris autem haec sit una sententia, ut conserventur semper et deinceps familiis prodantur et, ut in lege posui, perpetua sint sacra. Haec iura pontificum auctoritate consecuta sunt, ut ne morte patris familias sacrorum memoria occideret, et his esset ea adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia pervenerit.* Hactenus Cicero. De legg. XII. tabul., quoad iusserint: *sacra privata perpetua manento*, cf. Dirksen. praestantissimum librum: Uebersicht der bisherigen Versuche zur Kritik und Herstellung der Zwölf-Tafel-Fragmente, p. 638. Sacra autem sine sumtu fieri non poterant. Itaque haereditatem minuebant. Qui igitur haereditatem acceperat sine sacris, is iure laetari poterat; emolumentum enim habebat sine detrimento. Haec Lambinus. *Ut Comici servi solent.* Qui gnavi et actuosi haberi vellent, si quid diligentius faciendum incideret, vel ponebant pallium, vel in humeros reiiciebant, vel alio modo colligebant. Atque hic fuit fere servorum habitus in Comoedia. Iocus eo cernitur, quod in scena de scena sermo est, tanquam res vera ac seria ageretur. *Rem audiat;* hiatus, quem evitaturi metrum turparunt. *Aeviternam* antiquam formam restituimus Bosscham secuti, metro flagitante. Sic *aevitas* pro aetate apud Cic. de Legg. III, 3, 9. et alibi.

Sedet alta mente turpis ista fraus Hegioni diuque hominis animum exagitat. Igitur nunc rediens etiam secum expostulat, quod se decipi passus sit. Magis tamen animum pungit, quod ridiculum se videri putat civibus. *Os sublinere;* vide quae supra notavimus ad III, 4, 123. Verba *mi hodie* initio versus quarti posita erant. Sed quum versus sint bacchiaci tetrametri, hic assumenda erant, ut versus deinde quartus clausulam efficeret, ad haec exempla: Terent. Andr. III, 2, 4. Plaut. Most. I, 2, 7. Id. ibid. v. 19. Haec Bosscha. Adde Rud. I, 5, 8. *Tam maestiter vestitas.* Cf. supra ad Captiv. II, 2, 40. *Quod quom scibitur,*

Quom extémplo ad forum ádvenero, ómnes loquéntur:
Hic ílle est senex dóctus, quoí verba dáta sunt.
Sed 'Ergasilus éstne hic, procúl quem ire vídeo?
Colléсto quidem ést pallió; quídnam actúru'st?
Er. Move ábs te moram ómnem, Ergásile, atque age hánc rem
'Eminor intérminorque, né quis obstiterit óbviam,
Nísi qui sat diú vixisse sése homo arbitrábitur.
Nám qui obstiterit, óre sistet. *He.* Híc homo pugilatum íncipit.

---

tum. Vulgo abest *tum* claudicante versu. Besscha addidit *iam*, quod sexcenties apud Plautum excidisse animadvertitur. Sed credibilius est, *tum* excidisse, absorptum a terminatione verbi praecedentis. Amat Plautus ita coniungere *cum* et *tum*, veluti Trucul. I, 2, 88. *Quom amamus, tum perimus.* Cas. I, 1, 51. Bacch. I, 2, 37. *Quom extemplo* ut ἐπεὶ τάχιστα Graecorum, pro *simulatque.* Cf. supra II, 3, 74. *quum extemplo — — abscesseris.* Et sic innumeris in locis apud Plautum. *Doctus.* Hanc aliorum emendationem stabilivit Dousa Plaut. expl. I, 19. laudato e Plauti Persa loco IV, 4, 45. *Vide sis, ego ille doctus leno paene in foveam decidi.* Frustra vulgatum *ductus* defendit Bosscha.

V. 8. Iam Ergasilum appropreantem conspicit Hegio. *Ire,* quod metrum requirit, addidi secundum Bosscham, qui recte monet, haud dubie absorptum vocabulum a sequente syllaba *ui.* *Collecto pallio;* cf. quae scena superiore ad v. 11. notavimus. *Collectum pallium* opponitur *fluido.* Illud est eorum, qui gnaviter et celeriter aliquid acturi sunt; hoc eorum, qui otiose deambulant. —

V. 10. Vehementer ad risum composita est Ergasili oratio, quae nunc sequitur. Is enim, quum tam laetum et acceptum Hegioni se ferre nuncium sciret, atque inde animo concepisset aliquam speculam, perlato hoc nuncio coenam apud Hegionem sibi futuram apprime lautam, summam prae se fert festinationem, cuius ne quis obvius moram sibi obiiciat, crudelissime interminatur. *Moram omnem.* Voc. *omnem* interposui Bosscham secutus, cum quod eam in hac locutione frequentissime inveniri scirem, tum quod accommodatissimam esse intelligebam huic Ergasili orationi. Ultima syllaba in *omnem* non liquescens excusationem habet a sequente nomine proprio. *Age hanc rem.* Cf. quae supra diximus ad Captiv. II, 3, 84. — Inde a versu undecimo numerus a bacchiaco ad trochaicum transit, aptissime. Nam sequitur gravissima ac veluti publicae auctoritatis edictio atque interminatio, quasi a magistratu aliquo proposita. V. 11. Vulgo laborante metro: *Eminor interminorque ne quis mihi ob. o.* Bosscha dedit: *Eminor atque interminor, ne quis mi obst. ob.* Producta syllaba finalis in *Eminor* satis defenditur exemplis a Lingio in libello de hiatu in versibus Plaut. p. 47 seqq. congestis. Adde Kampmann. in Annott. ad Plauti Rud. pag. 10. *Nam qui obstiterit, ore sistet.* Sistere h. l. est intransitiva notione dictum, quemadmodum *considere*, Trin. II, 2, 25. *Bona multa in tuo pectore consident,* ubi consident est sedem capient, commigrabunt in pectus tuum. Similiter ergo *sistere* iam non est *statuere*, sed *stare incipere*, stationem capere, sich stellen. Et quod h. l. *ore sistere* dicit Plautus, simili modo *capite sistere* profert Curc. II, 3, 8. ubi pariter

Er. Fácere certumst. Proínde ut omnes ítinera insistánt sua,
Né quis in hac plateá negoti cónferat quicquám sui.
Nám meus est ballísta pugnus, cúbitus catapulta ést mihi,
Húmerus aries; túm genu ad quemque ícero, ad terrám dabo.
Déntilegos omnés mortales fáciam, quemque offéndero.
He. Quae íllaec eminátio est? Nam néqueo mirarí satis.
Er. Fáciam ut eius diéi locique, meíque semper méminerit;
Quí mi in cursu obstíterit, faxo vítae is obstiterít suae.
He. Quíd hic homo tantum íncipessit fácere cum tantís minis?
Er. Príus edico — né quis propter cúlpam capiatúr suam —:
Cóntinete vós domi, prohibéte a vobis vím meam.
He. Míra edepol sunt, ni hic in ventrem súmpsit confidéntiam.
Vaé misero illi, cuíus cibo iste fártu'st imperiósior.
Er. Túm pistores scrófipasci, fúrfuri qui alúnt sues,
Quárum odore praéterire némo pistrinúm potest;

---

parasitus male sedulus minatur: *Nec quisquam sit tam opulentus, qui mihi obsistat in via — quin cadat, quin capite sistat in via de semita;* qui locus vel propter vocabuli *obsistat* usum huc pertinet. *Platea* correpta penultima semper apud Plautum et Terentium. De *ballistis* et *catapultis* audiendus est Lipsius ad hunc locum. „Duplex instrumentum priscis, quo in hostes emitterent et iacularentur; altero tela vel grandiores sagittas, altero lapides et saxa. Id prius *Catapultam* dixere veteres, hoc posterius *Ballistam.* Plautus hoc ipsum discrimen palam hic ingerit. *Pugnum* enim, qui rotundus, cum lapide ballistario comparat; cubitum, qui longior, cum telo catapultae. Ita dico *telo.* Nec aliter in his versibus utraque vox capienda, quam pro eo, quod Catapulta emittitur, aut Ballista." Ceterum hunc versum citat Nonius p 552, 15. De *Ariete* itidem instrumento poliorcetico cf. Lipsius Poliorcet. lib III, p. 109. Meyeri Antiqq. Romm. p. 302. *Ut quemque icero.* Magnam, quae h l. est, lectionis varietatem praetereamus. Vulgatum *iecero* pro quo recepimus *icero*, et sententiam et metrum pessumdat. *Diei* dissyllabum est, *eius* monosyllabum. *Vitae is obstiterit suae*, Vulgo: *vitae is extemplo obst. s.* Voc. *extemplo*, quae in aliquot Codd. abest, etiam metrum ab se segregat. *In ventrem confidentiam sumsit* et quod infra sequitur v. 32. *habet profecto in ventre confidentiam* iocose de parasito, pro eo, quod vulgo: *in animum confidentiam sumsit, in animo c. habet.* Parasitus satur factus animos recepit et spiritus sumsit, quasi cum cibo et vino confidentia infunderetur. *Imperiosior.* Alii *impensior*, quod explicant *farctior.* Verum est *imperiosior*, quod recte explicat Bosscha: Vino et epulis calens potius ex ventre, quam animo et fiducia virtutis, adeo confidens ac minax est. Vae igitur misero illi, cuius cibo hanc in ventrem confidentiam sumsit, sive, cuius cibo factus est imperiosior. *Mira sunt, nisi,* pro *mirum est, nisi,* usitatae Plauto formulae. Cf. Trin. IV, 2, 19. Cas. II, 2, 20. *Mira sunt, vera si praedicas.* De sententia vide quae diximus ad Trin. II, 4, 94. *Pistores scrofipasci.* Sues, quae a pistoribus alebantur, saepe in plateis circumcursasse videntur, unde ambulantibus et viatoribus molestia creabatur. *Furfuri qui alunt.* Cf. Voss. de Analog. I, 42. qui lectio-

Eórum si quoiúsquam scrofam in público conspéxero,
'Ex ipsis dominís meis pugnis éxculcabo fúrfures.
He. Básilicas edíctiones átque imperiosás habet.
Sátur homo est, habét profecto in véntre confidéntiam.
Er. Túm piscatorés, qui praebent pópulo pisces foétidos,
Qui ádvehuntur quádrupedanti crúcianti cantério,
Quórum odos subbásilicanos ómnes adigit ín forum:
Eís ego ora vérberabo sírpiculis piscáriis,
'Ut sciant, aliéno naso quam éxhibeant moléstiam.
Túm lanii autem, quí concinnant líberis orbás oves,
Quí locant caedúndos agnos, ét dupla agninám danunt,

---

nem *furfuri* e veteribus libris esse ait. Vulgo enim: *qui alunt furfure sues. Furfuri* ablativum esse, ostendit idem Vossius l. c. ut in illo Ciceroniano De Nat. Deor. II, 42. *parti miscetur in una;* ubi tamen nunc editur: *partem admiscetur in unam.* Adde Schneider. Lat. Gramm. Formenl. pag. 232.

V. 31. *Basilicae edictiones*; iussa magnifica ac superba. Quicquid enim splendidum, magnificum et imperiosum, βασιλικὸν Graeci dixerunt, quos saepe imitatus est Plautus. Sic *basilica facinora* infra Trin. IV, 3, 23. *basilicus status* Pseud. I, 5, 43. Et alibi persaepe. *Crucians cantherius* videtur mihi pariter ac Lambino, qui equitem cruciat, qui crebra succussatione et agitatione immodica sessori molestus est. *Subbasilicani* qui sub basilicis crebro versantur, ἀγόραιοι, subrostrani, circumforanei, ἀγορᾶς περιτρίμματα; homines, qui totos dies porticus conterunt publicas ibique inhabitant. Nostrates simili modo: *Pflastertreter.* In basilicis iudicia etiam habebantur, inprimis centumviralia; cf. Plin. Ep. II, 14, 8. Vnde factum, ut semper aliquid audire ibi et tempus terere possent homines otiosi. Ceterum hic versus citatur a Prisc. I, 7, tom. 1, pag. 39. ubi *odos* pro *odor*, ut *arbos* pro *arbor* dixisse veteres docet. Apud Prisc. *adegit* in optt. codd. Vulgo apud Plautum *abigit*, V. C. Cam. *abegit. Sirpiculae piscariae* Fischreussen. *Sirpicula* enim vel *sirpiculum* secundum Varronem vocatur a *sirpando* i. e. ligando. Est autem genus canistri viminei ad varios usus.

V. 38. Postquam parasitus, spe coenae confidens et animosus, variis hominum generibus, tanquam aedilis, edictiones cum gravibus minis proposuit, non sine maledicentia in singula; ad lanios transit, iisque, exprobrata fraude et crudelitate animi, pariter minatur. De quo loco afferenda sunt, quae Rostius satis diligenter exposuit in scriptione scholastica *de locatione et conductione.* Is primum recte explicat locutionem: *liberis orbas oves concinnare*, quod dictum ostendit more Plautino pro eo, quod vulgo dicitur: *oves liberis orbas reddere.* Quo significetur crudelitas laniorum, cui assueti non dubitent agnos ab ovium mammis abreptos interficere et mactare. Atque ita iam Lambinus ad h. l. Deinde exposito discrimine inter *locationem* et *conductionem* explicataque horum verborum significatione pronunciat, verba: *qui locant caedundos agnos* dicta esse pro eo, quod dici solet: qui paciscuntur de agnis alii caedendis vendendisque. Nam *locare* dici eum quoque, qui cum opera praestanda etiam materiam, in qua elaboret, praebeat, soluta ab altero pecunia. Veluti si quis suscipiat vestimenta exercitui praebenda, quum idem

Quí petroni nómen indunt vérveci sectário;
'Eum ego si in viá petronem públicá conspéxero,
'Et petronem et dóminum reddam mórtalis misérrumos.
He. Eúge, edictiónes aedilícias hic habét quidem,
Mírumque adeo est, ni húnc fecerunt Aétoli agoránomum.

---

etiam materiam praebeat vestimentorum, ita ut imperator nil nisi pecuniam solvat, praebitor, etsi is proprie vendat, tamen *locare* etiam dicatur vestimenta. Ratio autem haec est. *Locare* proprie significat in loco ponere, collocare, dare; *conducere* vero idem proprie, quod simul ducere, secum ducere, accipere. Quae propriae horum verborum notiones apud ipsum Plautum reperiuntur. Inde fit, ut qui opus aliquod, hoc est, materiam aliquam efformandam, effingendam, elaborandam alicui tradat, is *locare*, *conducere* vero, qui illud opus suscipiat, operam in effingenda, efformanda, elaboranda materia praestet, dicatur. Locator igitur est rei dominus; conductor *opifex*, qui accepta pecunia laborem praestat. Qui nativus istarum formularum usus pro varia rerum condicione varie mutatur, non sic tamen, ut pro conductore locator, pro locatore conductor dicatur, sed ubique primitiva vocabulorum notio permaneat eadem. Sic v. c. quicunque commodum aut in re, aut in opera, aut in opere quaerendum, alicui percipiendum committit, *locator* dicitur, qui accipit, *conductor*. Itaque Gellius Noctt. Att. III, 3. de Plauto ait: *quum ob quaerendum victum ad circumagendas molas operam pistori locasset.* Plaut. Curc. IV, 1, 3. *Ornamenta, quae locavi, metuo ut possim recipere.* Plaut. Trin. IV, 2, 2. et Asin. prol. 3. II, qui solvunt histrionibus mercedem, ut artem exerceant, *conductores* appellantur. Atque haec etiam caussa est, quod h. l. *lanii*, qui et *materiam* (agnos) et *operam* (mactant enim) pacto inito praebent, *locare* dicuntur. *Agnos caedundos* est agnos, quos caedant, ut caedantur; welche schlachtbare Lämmer liefern. Quae proxime sequuntur: *duplam agninam danunt*, corrupta esse patet. Legendum: *dupla agninam danunt;* Bothius *duplo* scripsit, at nulla auctoritate. *Dupla* est duplum pretium, quod ex Varrone (de R. R. II, 10.) et Pandectis notum est. Admissa igitur illa emendatione hic loci sensus efficitur: *Lanii, qui spondent se tibi caesuros esse agnos suos certo pretio, cum vero caesos exhibent, duplum pretium postulant.* Ex quo simul apparet, hoc loco Plautino lanios trium vitiorum insimulari; in primo versu crudelitatis, in secundo perfidiae, in tertio mendacii. Haec omnia Rostius. Ceterum de formulis *locare* et *conducere* cf. Digest. 19, 2, 1. Gaii institt. III, 142. Brissonius de Formulis cet. pag. 513. *Petro* aries, ovis mas. Sensus igitur est: qui arietum carnem pro vervecina vendunt. *Sectario* Gruterus ad v. *petroni* non v. *verveci* referendum esse ait. *Sectarium* enim esse *admissarium*, qui hinc inde femellas sectatur. Quod violentum videtur. Quare tenenda est priorum interpp. ratio, ex qua sectarius est *qui sectis testiculis alitur et saginatur.*

V. 43. Miratur Hegio hominis magniloquentiam eumque agoranomi munere in Aetolia dignum habet. Vulgo *Eugepe.* V. C. Cam. *Eugepae* teste Pareo. Sed iam Cam. edidit, quod versus requirit *Euge. Edictiones aediliciae* sunt formulae edicendi aedilium plebeiorum, sive minorum, qui annonae, rebus forensibus et venalibus praefecti erant. Cf. Meyeri Romm. Antt. p. 117. Tum vulgo: *ni hunc fecere sibi.* Sed recte Cod. V. Cam. teste

Er. Nón ego nunc Parasítus sum, sed régum rex regálior;
Tántus ventri cómmeatus méo adest in portú cibus.
Séd ego cesso hunc Hégionem oneráre laetitiá senem?
Quí homine hominum adaéque nemo vívit fortunátior.
He. Quae íllaec est laetítia, quam illic laétus largitúr mihi?
Er. Heus, héus, ubi estis? 'Ecquis hoc aperit óstium?
He. Híc homo ad coenám recipit se ad me. *Er.* 'Aperite
hasce ambás foris,
Príusquam pultando ássulatim fóribus exitium áffero.
He. Pérlubet hóminem cólloquí. Ergásile. *Er.* Ergásilum
quí vocat?
He. Réspice me. *Er.* Fortúna quod tibi néc facit, nec fáciet, hoc
Mé iubes. Sed quí est? *He.* Respice ád me! Hegio sum.
Er. 'Oh mihi!

Scioppio *fecerunt* omisso *sibi*. — *Aetoli* ultimam non elidit. *Agoranomus* magistratus idem muneris habens, ut videtur, quod apud Romanos aediles plebis, quod ipsum nomen ostendit. Raro Plautus Graecos magistratus nominat, quod h. l. magis etiam mirum, quia statim aedilium mentionem iniecerat. Versus: *Tantus ventri — — cibus* citatur a Prisciano lib. IV, 14. tom. I. p. 269., ubi *cibus* Prisciano genitivus est, quod probat Bosscha, qui *commeatus cibi* dictum putat, ut Pseud. I, 5, 9. *commeatus argentarius*, i. e. *argenti*. Sed non dubito Gronovii sententiae subscribere, qui ita distinguendum censet: *tantus, ventri commeatus meo, adest in portu cibus*, quam structuram Bosschà quam pro Plauti stilo diligentiorem putat. Quod quid sit, nescio. Nihil enim aliud voluit Gronovius, quam hoc, structuram esse appositionis, quae ratio satis se commendat. De formula *onerare laetitia aliquem* conferenda sunt, quae supra diximus ad Captiv. III, 1, 5. Voc. *hominum* desideratur in V. C. Cam. et Pall. additum primum a Camerario, recte. *Adaeque fortunatior.* Sic supra Capt. III, 5, 42. *aeque melius*. Lambinus non sine veri specie putat duas easque diversas structuras in unam confusas esse, ita ut *adaeque fortunatior* sit *fortunatior* et *aeque fortunatus*. Nemo hominum neque fortunatior neque aeque fortunatus vivit, quam ille. Videtur haec esse quaedam familiaris sermonis negligentia, qua non satis diligenter distinguere solemus duas diversas loquendi formulas.

V. 50. Iam ad Hegionis aedes accessit parasitus et aperiri iubet. Hegio vero non amplius continere se potest, sed alloquitur hominem, qui veluti per aenigmata, quae affert, coniici sinit. *Heus, heus, ubi estis — ostium.* Iambicus senarius apte interpositus trochaicis. *Priusquam pultando assulatim.* Vulgo ante *assulatim* interponitur *vel*, quod iam excluserat Gruterus; neque apparet apud Nonium p. 72. ubi hic versus citatur, sic tamen, ut in fine legatur *exitium dabo.* Ceterum *assulatim*, pro quo in quibusdam Codd. est *assultatim*, non referendum est ad v. *pultando*, sed ad seqq. *exitium afferam.* Recte Nonius l. c. interpretatur *minutatim.* — *Fortuna quod tibi cet.* Hoc est, facere me iubes, quod tibi denegat Fortuna. Ea te non respicit nec respiciet, tu vero me ad te respicere iubes. Frigidus iocus.

Quantum est hominum óptume optumórum, in tempore ádvenis.
He. Néscio quem ad pórtum nactus's, úbi coenes, eó fastidis.
Er. Cédo manum. *He.* Manúm? *Er.* Manum, inquam, cédo tuam artutúm. *He.* 'Tene.
Er. Gaúde. *He.* Quid ego gaúdeam? *Er.* Quia ego ímpero, age gaudé modo.
He. Pól moerores mi ántevortunt gaúdiis. *Er.* Non ita ést, scies;
Iám ego ex corpore éxigam omnes máculas moerorúm tibi.
Gaúde audacter. *He.* Gaúdeo, etsi níhil scio, quod gaúdeam.
Er. Béne facis; iubé. — *He.* Quid iubeam? *Er.* 'Ignem ingentem fíeri.
He. 'Ignem ingentem? *Er.* Ita díco, magnus út sit. *He.* Quid? Me, vólturi,
Tuán' causa aedis íncensurum cénses? *Er.* Noli iráscier.
Iúben' an non iubés astitui aúlas, patinas élui?
Láridum atque epulás foveri fóculis in fervéntibus?

Quantum est hominum. Transposui v. *optume*, ut legitimo in loco positus sit hiatus. Verba *eo fastidis*, trochaicum exitum versus constituunt, quod mendosum. Mauritius Haupt, Professor Lipsiensis, coniecit olim, quam coniecturam sermone praesenti mihi exposuit: *eo fátuus es*, quod magnopere est probabile. Sic Cistell. II, 1, 16. *Eo facetus.* Trucul. II, 2, 17. *An eo bella es.* Nolo tamen diffiteri, *fatui* notionem huic loco non satis accommodatam esse videri, quare tale quid exspectaverim, quale est: *eo laetus es. Moerores mi antevortunt gaudiis.* Antevertere est proprie vertere aliquid ante aliud, anteponere, maioris facere. Tum significatione intransitiva, se vertere ante aliud, h. e. praestare, superare; *moerores gaudiis antevortunt*, superant gaudia. Pro verbis *noli irascier*, quae huic loco non conveniunt, infra autem V. 65. optime se habent, Acidalius posuit: *non ita est; scies;* quae ingeniosa emendatio apices vulgatae lectionis accurate sequitur, itaque facilitate se commendat. In verbis: *quid iubeam. Er. Ignem*; hiatus est tribus de caussis legitimus. Cf. Hermann. elem. doctr. metr. p. 88. *Fieri* prima producta. Cf. Hermann. ad Eurip. Hecubam p. 99.

V. 64. Satis mirari nequit Hegio, quid ignem ingentem fieri velit parasitus. Igitur paene irascitur in hominem tam ridicula blaterantem. Ille contra pergit coenae apparatum significare. De *volturio* cf. quae monuimus infra ad Trin. I, 265. Ceterum *volturi* etiam metro iubente scribendum erat; vulgo: *volturie.* Sed etiam V. C. Cam. *volturi.* In verbis *astitui aulas* hiatus est, de quo videatur Hermann. Elem. doctr. metr. p. 88. *Foculis ferventibus.* Voluerunt quidam (v. interpp. ad Festum v. *cocula*) *coculis ardentibus.* Haec enim Festus (pag. 31. ed. meae.): *Cocula vasa aerea coctionibus apta. Alii cocula dicunt ligna minuta, quibus facile decoquantur obsonia.* Contra alii *focula* cum Nonio explicant de nutrimentis. Sic enim Nonius p. 9. *Focula dicta sunt nutrimenta; unde et foculare dicitur ut fovere. Plau-*

'Alium pisces praéstinatum abíre? *He.* Hic vigilans sómniat.
Er. 'Alium porcinam átque agninam et púllos gallináceos?
He. Scís bene esse, sí sit unde. *Er.* Pérnas atque ophthálmiam,
Hóraeum, scombrum, ét trugonem, et cétum, et mollem cáseum.
He. Nóminandi istórum tibi erit mágis quam edundi cópia

---

tus Persa (I, 3, 24.) *At edes. Nam iam intus ventris fumant focula.* Sed frustra illi, quum consensus Codd. *foculos ferventes* agnoscat, *cocula* ferventia dici non possint, contra Nonii *focula* i. e. nutrimenta hic nullo modo sensus loci admittat. At obstat aliud. *Foculus* primam brevem habet. Cui impedimento removendo vocem sequentem ita scripsit Bosscha, admissa diaeresi: *ferüentibus.* Quod non ferri posse videtur. Verum eadem brevitas obest in *coculis.* Unde levi additamento rescribo: *foculis in ferventibus. Ferventes* autem, non *ardentes* dicuntur foculi, quia carbonibus calefiebant. — *Praestinare apud Plautum praeemere est, i. e. emendo tenere.* Sic Paullus e Festo (pag. 122. ed. meae.) Sed videtur *praestinare,* ut *destinare,* ab antiquo verbo *stano* deducendum esse, quod statuendi, firmandi habuerit notionem. Itaque *destinare* est defigere, deorsum firmare, stabilire, nativa quidem notione. Sic apud Caes. de b. Civ. I, 25. *Rates anchoris destinabat, ne fluctibus moverentur. Praestinare* igitur proprie ante firmare, antea constituere. Vnde ad emtiones translatum est, cuius usus sola reliqua sunt exempla, ubi non emere significat, sed ante emtionem pretium constituere, licere; um etwas handeln, einhandeln. Eo tamen differt a verbo *licere,* quod emtionem simul assignificat. Appositus est Appulei locus Met. I, p. 113. Elm. *Et percontato pretio, quod centum nummis indicaret, aspernatus, viginti denariis praestinavi;* ich erhandelte sie um zwanzig Denare. V. 70. *Scis bene esse, si sit unde.* Bene edere scis, si modo habeas, unde coenam pares. Alii *bene esse* explicant *bene se habere.* Sic poetae apud Graecos non modo καλῶς ἔχειν, sed etiam καλῶς εἶναι dicunt. Sed Romani ubique addunt *mihi,* unde locutio cum Graeca illa comparari non potest. Nec ullus est locus, ubi *bene esse* sic nude dicatur. Igitur prior ratio tenenda est. *Ophthalmia.* Piscis genus ab oculorum magnitudine dictum; fortasse idem piscis, qui apud Plinium *oculata* nominatur. Sed res incerta est. *Horaeus;* salsamenti genus perhibent ex pelamide pisce. Dictum volunt ἀπὸ τῆς ὥρας, a verno tempore, quod tum illud salsamenti genus fieri solebat. *Scomber* piscis, e quo garum laudatissimum fiebat. Cf. Plin. Hist. N. 31, 7. 8. *Trugon* τρυγών, piscis, qui apud Romanos *pastina marina* nominatus quibusdam videtur. Alii *trigonum* scribunt, et aliud genus intelligunt, non minus ignotum, quod scilicet *trygon* venenatus fuerit. Sed nihil decerni potest. *Cetos* sive neutrali genere *cete* omnes maiores pisces appellabant Latini, ut Graeci κήτη. Latini etiam *cetum* nom. sing. dicebant.

V. 72. Ridet Hegio parasitum, tantum numerum eduliorum recensentem. *Nominandi istorum — copia.* Infinitivus loco substantivi, unde genitivus *istorum* pendet. Sic Terent. Heaut. prol. 29. *Novarum spectandi copiam.* Lucret. V, 1124. *Poenarum solvendi tempus.* Ad quem locum plura congessit Lambinus. Etiam

Híc apud me, Ergásile. *Er.* Mean' me caúsa hoc censes dícere?
He. Néc nihil hodie, néc multo plus tu hic edes, ne frustrá sies.
Proín tui tu cotídiani vícti ventrem ad me ádferas.
Er. Quín ita faciam, ut túte cupias fácere sumptum, etsi égo vetem.
He. 'Egone? *Er.* Tu nae. *He.* Túm tu mi igitur hérus es. *Er.* Immo béne volens.
Vín' te faciam fórtunatum? *He.* Málim, quam miserúm quidem.
Er. Cédo manum. *He.* En manúm! *Er.* Di te omnes ádiuvant. *He.* Nihil séntio.
Er. Nón enim es in sénticeto, eó non sentis; séd iube
Vása tibi pura ápparari ád rem divinám cito,
'Atque agnum adferrí propere unum, pínguem. *He.* Cur? *Er.* Ut sácrufices.
He. Cui deorum? *Er.* Mi hércle; nam ego nunc tíbi sum summus Iúpiter.
'Idem ego sum salús, fortuna, lúx, laetitia, gaúdium.
Proín tu deum hunc sáturitate fácias tranquillúm tibi.

---

apud Livium huius formae exempla reperiuntur. *Mean' me caussa.* Putasne ista mei beandi caussa a me prolata esse? Tum vulgo: *Ne frustra sis.* Desideratur iambus purus in fine versus. Nempe *hic edes* dactylum efficit pro trochaeo; quare scribendum: *ne frustrá sies. Proin tui tu.* Ordo est ex optimis Prisciani Codd. lib. VI, 14, tom. I, p. 268. Citatur etiam a Nonio hic versus, p. 484. sed corrupte. *Cotidiani victi venter* est quotidiano victui assuetus, quotidiano cibo contentus, non fastidiosus nec epulas opiparas appetens.

V. 79. Erat veterum superstitio, qua credebant, ex quibusdam corporis partium titillationibus et tremoribus omina duci posse. Quare digiti etiam pro variis saltationibus et trepidationibus varia omina edere credebantur. Igitur Ergasilus manu Hegionis correpta bonum omen se deprehendere ait, his verbis: *Di te omnes adiuvant;* cui Hegio, se nihil tale sentire, respondet. Pergit parasitus, sed ex absurdo risum captans: *Non enim es in senticeto.* Nihil *sentis*, non enim es in loco sentibus obsito; scilicet *sentes* tantum sentiuntur. Vltima syllaba in *apparari* non liquescit. Cf. Hermann. Elem. doct. metr. p. 88. In verbis *propere unum* restituendis secutus sum Bothium. Vulgo *proprium*, in quo vocabulo *propere* latere iam Scaliger suspicatus est. *Vnum* omissum videtur ab iis, qui elegantiae orationis timerent. *Agnus unus pinguis* h. l. dicitur, ut saepe, pro eo, quod vulgo dicitur *unus tantum a. p.*, i. e. unus tantum, sed pinguis. Sic apud Curt. IV, 14, 18. *Vnum animal est, et si quid mihi credis, temerarium et vecors;* h. e. unum tantum a. *Deum hunc* ita pronunciandum, ut v. *deum* non elidatur. *Tranquillum facere sibi*, placare, propitiare sibi, propitium reddere. Similiter Cistell. III, 21. *Si possim tranquillum facere ex irato mihi.* Tum vulgo: *Nunc tu mihi places.* Hoc est, ut explicat Gronovius, nunc aliam coe-

He. 'Esurire míhi videre. *Er.* Mí quidem esurio, nón tibi.
He. Tuo árbitratu fácile patior. *Er.* Crédo; consuetús puer.
He. Iúpiter te Díque perdant. *Er.* Te, hércle, mi aequum est grátias
'Agere ob nunciúm; tantum ego nunc pórto a portu tíbi boni.
He. Núnc tu mihi placés. Abi stultus, séro post tempús venis.
Er. 'Igitur olim si ádvenissem, mágis tu tum istuc díceres.
Núnc hanc laetitiam áccipe a me quám fero; nam fílium
Tuúm modo in portú Philopolemum vívum, salvum et sóspitem
Vídi in publicá celoce, ibidémque illum adolescéntulum
'Alium una, et tuúm Stalagmum sérvum, qui aufugít domo,
Quí tibi surripuít quadrimum púerum filiolum tuúm.
He. 'Abi in malam rem! ládis me. *Er.* Ita me amábit sancta Sáturitas,
Hégio, itaque suó me semper cónderoret cognómine,
'Ut ego vidi. *He.* Meúm gnatum? *Er.* Tuúm gnatum, et Geniúm meum.
He. 'Et captivum illum 'Alidensem? *Er.* Μὰ τὸν Ἀπόλλω. *He.* Et sérvolum.

---

nandi condicionem nullam circumspiciam; nunc nihil vereor, coenam hic fore asperam. Sed oratio tribuenda esse videtur Hegioni, qui ironice loquitur. Acidalius malebat: *Non tu mihi places,* eidem Hegioni verba tribuens. *Abi* duarum est brevium. *Olim si advenissem.* Cf. Phaedr. III, 12. *Olim redisses ad splendorem pristinum;* h. e. iam dudum. *Magis tu tum istuc diceres.* Meliore iure hoc diceres si dudum ad te advenissem. Nunc non te decet mihi tam laetum nuncium afferenti coenam denegare lautam.

V. 92. Nunc demum rem eloquitur parasitus, cuius caussa tanta celeritate ad Hegionem accucurrerat. Exponit de reditu filii. *Celox* navigii genus a celeritate dictum, ut *celeres* et Graecorum κέλης. Cf. Voss. Etym. sub hac voce, et Ruhnken ad Vell. Pat. II, 73. *Publica celox* ein *Packetbot.* Credere neganti Hegioni rem per sanctam Deam saturitatem lepide adiurat parasitus. *Abi in malam rem.* Sic vulgo atque ita V. C. Cam. *I in malam rem* primus scripsit Lamb. quem Bosscha sequitur provocans ad Bentl. ad Terent. Phorm. II, 3, 21. Syllabae *abi in ma* — pro trochaeo sunt. *Condecoret cognomine.* Ita semper satur dicar et sim. De iurandi formula *ita - ut* supra paucis monuimus ad Captiv. III, 4, 89. Adde haec. Saepe omittitur *ut,* et ex sententiarum nexu intelligitur aut aliis particulis compensatur. Veluti Mil. Gl. II, 6, 21. *At ita me di ament, nisi* cet. Particula *ita* in priore membro coniunctivum requirit; sed non rara sunt exempla, in quibus futurum reperitur indicativi. Veluti Terent. Heaut. IV, 5, 1. *Ita me di amabunt, ut nunc Menedemi vicem miseret me.* Quae res non mira videbitur ei, qui, quanta notionis necessitudo inter coniunctivum et futurum intercedat exploratum habet. *Genium meum,* qui mihi instar *Genii* est. Alias *reges* dici a parasitis praebitores supra diximus ad Capt. I, 1, 24.

V. 100. Dubitanti et itentidem sciscitanti Hegioni pergit Ergasilus iuramentis affirmare, quae nunciaverat. Mira vero sunt

Meúm Stalagmum, meúm qui gnátum súrripuit? *Er.* Νὴ τὰν Κόραν.
He. Iám diu? *Er.* Νὴ τὰν Πραινέστην. *He.* Vénit? *Er.* Νὴ τὰν Σιγνίαν.
He. Cérton'? *Er.* Νὴ τὰν Φρουσινῶνα. *He.* Víde sis. *Er.* Νὴ τὰν 'Αλάτριον.
He. Quíd tu per barbáricas urbes iúras? *Er.* Quia enim item ásperae
Súnt, ut tuum victum aútumabas ésse. *He.* Vae aetatí tuae.
Er. Quíppe quando míhi nil credis, quód ego dico sédulo.
Séd Stalagmus quóius erat tunc nátionis, quom hínc abit?
He. Sículus. *Er.* At nunc Sículus non est; Bóius est; Boiám terit.
Líberorum quaérundorum caúsa ei, credo, uxór data est.
He. Díc, bonan' fidé tu mi istaec vérba dixistí? *Er.* Bona.
He. Di ímmortales, íterum gnatus vídeor, si vera aútumas.

ista iuramenta. Subito enim Graece loqui incipit, per Graecos deos iurat, mox per urbes Italicas, quarum nomina Graece effert. Sed cur haec ita? Verum mihi vidisse videtur *Koepkius* in notis ad interpretationem vernaculam huius fabulae. Ille ad hanc fere sententiam. Postquam parasitus per Apollinem Graece iuravit, *Coram* memorat, quae vox et Proserpinam deam et oppidum Campaniae significare potest. Vide Plin. Hist. N. III, 5. Cluv. Ital. II, 9. Adde Mannert. IX, 1, p. 640. Haec duplex nominis significatio ioco, qui sequitur, occasionem praebuisse videtur. Sequuntur enim nomina quattuor urbium Campanicarum, per quas pariter iurat parasitus, quae tamen nihil admittunt ambiguitatis. Atque ita parasitus aut incolis istarum urbium morum asperitatem exprobrare vult; aut urbes istae vere asperae erant aspectu, sordidae et parvae; unde Romanis fortasse in proverbium abierint; aut bello Punico secundo, cum sociae essent Hannibalis, tantopere Romanis invisa facta erant ista oppida, ut eo sensu h. l. dicantur aspera et barbara. Haec ita Koepkius, quibus addi possunt, quae Rostius in scripto scholastico *de lege barbarica* de hoc loco scripsit. Is nomina urbium propterea Graece efferri ait, ut palliatae fabulae personae Romano ore loquentes vere viderentur barbarice, h. e. peregrini sermonis vocabula pronunciare, quamvis ipsa oppida Graecae erant originis. — Ceterum νὴ τὰν 'Αλάτριον scribendum erat pro vulgato: νὴ τὸ 'Αλάτριον, ex consensu optimorum codicum. *Quia enim;* weil nämlich, scilicet quia, nimirum quod. Ita saepe haec iunguntur. Cf. quae notavimus ad Trin. I, 2, 23. *Vae aetati tuae.* Vitae tuae male sit, aetatem tuam miser vivas. Sequentia sic intelligo. Male precatus erat parasito Hegio. Respondet Ergasilus: nimirum quoniam tu mihi non credis, male mihi erit. Nam si crederes, optime mihi esset, feliciter et beate viverem, quia tum mihi coena semper apud te parata esset.

V. 107. De patria Stalagmi recuperati servi quaerit parasitus. Quorsum? Vt vinctum adesse eum recenti ioco significet. Ambiguitas inest in verbis: *Boius est, Boiam terit.* Boia enim est collare, quo vinci solebant servi fugitivi. Est vero etiam gentile *Boia*, unde *Boiam terere* obscoeno sensu dicitur, quare subiun-

Er. Aín tu, dubium habébis etiam, sáncte quom iurém tibi?
Póstremo, Hegió, si parva iúri iurando ést fides,
Víse ad portum. *He.* Fácere certum est; tu íntus cura quód opus est.
Súme, posce, próme quid vis; té facio cellárium.
Er. Nam, hércule, nisi mánticinatus próbe ero, fusti péctito.
He. Aéternum tibi dápinabo víctum, si vera aútumas.
Er. 'Unde id? *He.* A me meóque gnato. *Er.* Spónden' tu istud? *He.* Spóndeo.
Er. 'At ego, tuum tibi ádvenisse filium, respóndeo.
He. Cúra quam optumé potes. *Er.* Bene ámbula et redámbula.

ACTVS IV. SCENA III.

Ergasilus.

'Illic hinc abiit; míhi rem summam crédidit cibáriam.
Di ímmortales, iam út ego collos praétruncabo tégoribus!

---

git: uxor ei data est. Tum vulgo: *An tu dubium.* Sed V. C. Cam. et Pall. *Ain tu dub.* Qua de causa iam Pareus dedit, quae scripsimus. Simili sensu formula aliquoties apud Plautum legitur. Veluti Curcul. II, 3, 44. *Ain tu? Omnia haec in carnario fortasse dicis?* Casin. II, 6, 45. *Ain tu? Quia tu es fugitivus, omnes te imitari cupis?* Asin. IV, 2, 3. *Ain tu? Apud amicam munus adolescentuli fungare?* Mostell. II, 1, 36. *Ain tu? Pater? Cedo mi soleas.* Epid. V, 2, 34. *Ain tu? Lubuit?* His omnibus locis interrogatio subest ironica, qua qui utitur, significat, alterum aut non vera dicere, aut supervacua loqui et quae sponte intelliguntur. Nos in simili re: meinst du wirklich? Ist das dein Ernst? *Sancte.* Adhuc enim dubitat Hegio. Reponit Ergasilus: etiam tum non credis, cum tibi sancte iurem? Antea per iocum iuraverat.

V. 115. Abiens ad portum Hegio, ut ipse se edoceat de nuncii veritate, Ergasilo cellae cibariae copiam facit. Respondet Ergasilus: nisi vera tibi de filii adventu dixi, me fusti pectito. Sed illud: *nisi vera tibi dixi*, ficto ad risum vocabulo ambigue effert. *Manticinatus* de Graeco μάντις factum ad normam illius, quod est *vaticinatus.* Manticinari autem cum propter soni similitudinem cum verbis *manducare*, *manticulari*, quod est *furari*, *panticinari*, quod est pantices implere, duo significare possit, et *vera dicere* et *ventrem implere;* intelligitur, quam ridiculum dicat parasitus. — Ceterum *nam*, ut Graecorum γάρ, saepe ponitur, cum enunciatum omittitur, cui respondeat *nam.* *Fusti pectere* familiaris Plauto locutio. Sic Rud. III, 2, 47. Poenul. I, 2, 145. Ceterum *fusti* pro *fuste*, ut supra *furfuri*, infra *carni* Capt. IV, 4, 6. Adde C. L. Schneideri Lateinische Grammat. Formenlehre I, p. 229. *Respondeo;* iocus in ambiguitate verbi. Ex oppositi ratione *respondeo* est *iterum spondeo*, sed vulgaris notio praevalet, *responsum do*, quod intelligit parasitus. *Bene ambula et redambula.* Cf. Capt. II, 3, 92.

Abit Hegio. Parasitus secum constituit vi summa hostilem in Hegionis penum impetum facere. *Tegoribus.* Vulgo *tergoribus.* Sed iam Turnebus metri caussa reposuit, quod dedimus, et Lambinus in uno Parisiensium Codd. invenit. Varro ex Turnebi Adv. XXII, 6. emendatione: *Tegus suis, ab eo quod tegit, ut*

Quánta pernis péstis veniet, quánta labes lárido!
Quánta súmini ábsumedo, quánta callo cálamitas!
Quánta laniis lássitudo, quánta porcináriis!
Nam ália si memorém, quae ad ventris víctum conducúnt, mora (e)st.
Núnc ibo in meam praéfecturam, út ius dicam lárido;
'Et quae pendent índemnatae pérnae, eis auxilium út feram.

ACTVS IV. SCENA IV.

Puer Hegionis.

Diéspiter te Díque, Ergasile, pérdant et ventrém tuum,
Parasítosque omnes, ét qui posthac coénam Parasitís dabit.

---

perna, a pede sueris. Existimat Turnebus et *tegus* et *tergus* dictum esse a Romanis, eodem sensu. Addit Bosscha Glossariorum testimonia. Gloss. Cyrilli: ἡμίτομον χοίρου, *tegus;* ἡμιχοίριον, *tegus.* Glossae Isidori: *tegora, tegus coria vel posteriora iumentorum.* De significatione verbi *praetruncare* recte exponit idem Bosscha, *detruncari* exstantia, velut caput hominis, *praetruncari* prominentia, velut caput et collum animalium. De masculino *collus* vide quae attulit Nonius p. 200. In seqq. memorabile est paronomasiae exemplum. Cf. quae supra diximus ad Captiv. II, 3, 49. Voc. *absumedo* de suo finxit poeta propter appositum *sumen. Sumen* est uber suillum, coenae paratum. *Callus* et *Callum* caro dura et crassa, veluti callosa, maxime lumborum. Similem in verbis iocum ex hoc vocabulo quaesivit poeta in Poen. III, 2, 2. *Callum aprugnum callere aeque non sinam.* Persa II, 5, 4. *Magis calleo, quam aprugnum callum callet.*

V. 7. *Nunc ibo in meam praefecturam.* Vulgo: *Nunc ibo ad praefecturam.* V. C. Cam. teste Pareo: *Nunc ibo ut praefecturam et ius dicam larido.* Non usitatum est *ad provinciam ire,* nisi ubi propinquitas intelligitur; *meam* et metrum et sententia requirit. *Ut ius dicam* propter sequentia necessario scribendum est. Ceterum *praefecturae* illo tempore dicebantur civitates Italiae, ad quas regendas praefecti mittebantur. Cf. Festus pag. 204. ed. m., qui sic: *Praefecturae eae dicebantur in Italia, in quibus et ius dicebatur, et erat quaedam earum respublica, neque tamen magistratus suos habebant; in quas legibus praefecti mittebantur quotannis, qui ius dicerent, quarum genera fuerunt duo. Alterum in quas solebant ire praefecti quattuor — — populi suffragio creati; alterum, in quas ibant, quos praetor urbanus quotannis miserat.* — Civitates enim, quae iniquae ingrataeque erga Pop. Rom. fuerant ac fidem datam semel atque iterum fefellerant, ubi primum in potestatem dicionemque sunt redactae, in praefecturae formulam referebantur. Vide interpp. ad Festum pag. 592. ed. m. *Pendent indemnati,* quorum lites sunt pendentes, qui non quidem innocentes, sed accusati et nondum peracti sunt rei. Cum igitur dicit poeta, *quae pendent,* simpliciter accipit, ut solent suspensae in carnario esse pernae; cum addit *indemnatae,* loquitur de iis, ut reis, continuata allegoria. Sic Gronovius ad hunc locum.

Act. IV. Sc. IV. Fuerunt qui hanc scenam ad actum quintum referendam censerent, quod nimirum necessarium sit, ut longius temporis spacium intercesserit inter hanc et superiorem; quo

Cladés calamitasque, íntemperies módo in nostram advenít domum.
Quasi si ésset lupus esúriens, metui ne ín me faceret ímpetum.
Nimisque, hércle, ego illum mále formidabam; íta frendebat déntibus.
Advéniens deturbávit totum cúm carni carnárium.
Arrípuit gladium, praétruncavit tríbus tegoribus glándia.
Aulás calicesque omnés confregit, nísi quae modialés erant,
Cocúm percontabátur, possent sériae fervéscere.
Cellás refregit ómnes intus, réclusitque armárium.
Assérvate istunc, súltis, servi; égo ibo ut conveniám senem.
Dicam út sibi penum áliud ornet, síquidem sese utí volet.
Nam in hóc, ut hic quidem adórnat, aut iam níhil est, aut iam níhil erit.

---

spacio Ergasilus ea omnia patrare potuerit, de quibus conqueritur Hegionis cellarius. Verum recte reponit Koepkius in notis ad vernaculam huius fabulae interpretationem, hanc scenam nullo argumenti vinculo cum sequentibus coniunctam esse, ita ut minus etiam congruens sit, referre eam ad actum quintum. Factam autem inter hanc et superiorem scenam aliquam actionis quietem et intercapedinem, cuius spacium modis musicis expletum esse probabile est.

Intrat scenam servulus Hegionis, fortasse cellarius, ut narret, quae intus egerit parasitus, quaque violentia ad coenam parandam aggressus sit. *Intemperies* tempestatis et coeli vitium, ex quo frigus aut solis aestus, siccitas aut humor immoderate ingruunt. Sic *solis intemperies aut anni* apud Colum. II, 2. *Vti calamitates intemperiesque prohibessis,* formula lustrandi agros apud Caton. de R. R. 141. Quod igitur proprie de agris, sicut *calamitas,* valet, h. l. de damno et interitu totius domus dicitur. *Quasi si esset lupus esuriens.* Vulgo legitur: *Quasi lupus esuriens metui ne in me faceret impetum,* quae a metro pariter atque a sententia laborant. Vulgata expressa est e Cod. V. Cam. Metro alii aliter suppetias tulerunt; sententiae non item. Quae olim edidi: *Quasi si sit lupus esuriens,* a temporum ratione refutantur. Igitur scripsi: *Quasi si esset lupus esuriens.* Formula *quasi si* Plauto perquam familiaris est. Cf. Casin. prol. 46. *Quasi si esset ex se nata.* Trin. II, 4, 8. *Quasi si tu obiicias formicis papaverem;* ita enim ibi legendum.

V. 6. *Deturbavit.* Non detulit furca, ut fieri solet, carnes e carnario, sed deturbavit; imo cum carne deturbavit totum carnarium, omnia quae in carnario insunt, *ligna, asseres, restes,* alia. Sic recte Bosscha. De ablativo *carni* vide quae supra diximus ad IV, 2, 116. Adde Schneider. Lateinische Grammat. Formenlehre I, p. 232. ubi tamen hoc exemplum omissum est. *Glandia* colli partes carnosae. Plin. Hist. Nat. II, 37. *Tonsillae in homine, in sue glandulae;* quae item *glandia* dicuntur. V. 9. Vulgo *possentne.* Sed metrum repugnat. Quare fuerunt, qui scriberent: *percontabat,* in qua scriptura male cadit ictus: *percóntabát.* Quare omittenda visa est interrogandi particula. *Seriae.* Sensum recte exponit Dousa Plautin. expl. I, 20. Voluit hoc poeta. Ergasilus quaesivit ex coquo, an integrae seriae, h. e. dolia fictilia, in quibus carnes sallitae asservabantur, ad flammam calefieri et

ACTVS V. SCENA I.

Hegio, Philopolemus, Philocrates, Stalagmus mutus.

Iovi Disque agó gratiás merito mágnas,
Quom té reddueém tuo patrí reddidérunt,
Quomque éx miseriís plurimís me exemérunt,
Quas dúm te caréndum hic fuít, sustentábam,
Quomque húnc conspicio ésse in potéstate nóstra,
Quomque húius repérta est fidés firma nóbis.
Philop. Sátis iam dolui ex ánimo, et cura sátis me et lacrumis máceravi.
Sátis iam audivi tuás aerumnas, ád portum mihi quás memorasti.
Hóc agamus! *Ph.* Quíd nunc, quoniam técum servaví fidem,

---

coqui possent. *Armarium* cum Turnebo interpretamur promtuarium cibi, panis, diversum a carnario. *Cellae* sunt vinariae; *oleariae*. Ista autem omnia *penum* conficiunt. *Dicam ut sibi* cet. Citat hunc versum Priscian. V, tom. I, 196. sed memoriter. *Nam in hoc ut hic.* Vulgo, versu laborante: *Nam hic quidem.* Sed iam Gryphius emendarat. Bothius *uti* ex superiore versu in hunc traduxit, quod non recte fecit. Literarum similitudo in verbis *in hoc ut hic* librariis fraudem fecit, ut alterum omitterent.

Act. V. Sc. I. Reperit Hegio in portu filium Philopolemum reducem una cum Stalagmo, servo illo fugitivo. Accedit Philocrates, qui Philopolemum in Elide liberatum patri suo reddidit, ut Tyndarum suum in servitute relictum liberaret. Ac primum Dis gratias agit Hegio, cuius oratio bacchiacis numeris perscripta est. *Redducem* scripsi pro vulgari *reducem* ad significandam syllabae productionem, quae paullo post v. 10. corripitur. V. 4. Vulgo: *Quae adhuc te carens, dum hic fui, sustentabam.* Atque ita V. C. Cam. Quae nec sententiae nec grammaticae structurae satisfaciunt. Quare adoptavi Acidalii emendationem: *Quas, dum te carendum hic fuit, sust. — Quomque hunc conspicio esse.* Vulgo abest *esse*, claudicante versu. Bosscha versui sustentando scripsit *huncce*, quod hic locum habere non videtur. Mihi magis Plautinum esse videtur, quod dedi. Compertum autem est, eiusmodi voculas, quae salvo sensu commode abesse viderentur, in Plautino textu sexcenties omissa a veteribus librariis. *Quomque huius.* Vulgo: *quomque haec*, quod et nihili est ad sensum et peccat in metrum. Iam Bosscha emendavit. V. 7. Sequuntur duo trochaici tetrametri acatalecti, transitum facientes ad trochaicos catalecticos. Vulgo et in C. V. Cam. legitur: *cura me satis et;* in quibus lenissima medicina videbatur transpositio. Alii *cura me sat et.* Post *maceravi* in C. V. Cam. comparet *hoc*, pro quo alii *hic*, quod dedit Pareus. Gronovius: *Oh satis iam*, Hegioni omnia continuans, cuius personae nota ab initio scenae praefigitur. Sed satis iam sententiae et rhythmi mutatio docent, a v. 7. personae mutationem esse inferendam.

V. 9. Magnam vim ad movendum animum habet conversio numeri a Bacchiacis ad Trochaicos. *Hoc agamus.* Omissis praeteritis id quod instat curemus. Cf. quae supra a nobis notata sunt ad

Tíbique hunc reducem in líbertatem féci? *He.* Fecisti, út tibi,
Phílocrates, nunquám referre grátiam possím satis,
Proínde ut tu proméritus de me et fílio. *Ph.* Immó potes,
Páter, et poteris, ét ego potero; et Dí potestatém dabunt,
'Ut beneficium béne merenti nóstro merito múneres,
Sícut tu huic potés, pater mi, fácere merito máxume.
He. Quíd opu'st verbis? Língua nulla est, quá negem, quid-
quíd roges.
Phil. Póstulo abs te, ut mi íllum reddas sérvum, quem hic
relíqueram
Pígnus pro me, quí mihi melior, quám sibi, sempér fuit;
Pró benefactis éius ut ei prétium possim réddere.
He. Quód benefecistí, referetur grátia, id quod póstulas,
'Et id, et aliud, quód me orabis, ímpetrabis. 'Atque te

Plaut. Captiv. II, 3, 84. Adde Plutarch. Coriolan. XXV. Ἔοικεν ὁ Νουμᾶς τά τ' ἄλλα τῶν ἱερῶν σοφώτατος ἐξηγητὴς γεγονέναι, καὶ τοῦτο παγκαλῶς γε νομοθετῆσαι πρὸς εὐλάβειαν αὐτοῖς. Ὅταν γὰρ ἄρχοντες ἢ ἱερεῖς πράττωσί τι τῶν θείων, ὁ κῆρυξ πρόεισι μεγάλῃ φωνῇ βοῶν· Ὅκ ἄγε· σημαίνει δ' ἡ φωνή· τοῦτο πρᾶττε· προσέχειν κελεύουσα τοῖς ἱεροῖς, καὶ μηδὲν ἔργον ἐμβάλλειν μεταξὺ, μηδὲ χρείαν ἀσχολίας. Erat igitur etiam solemnis haec vox in sacrorum initiis, quum praeco rei sacrae unice intentos animos habere omnes iuberet. — Philocrates iam suum de Hegione meritum commemorat atque inde ad Tyndarum liberandum animum adiicit. *Tecum fidem servavi.* Eodem modo Curcul. I, 2, 49. *Si fidem servas mecum.* In hac et similibus formulis *cum* singularem habet notionem. Non enim est ἅμα, σύν; sed ἐν, παρά. Veluti in vulgari illa formula *tecum fui*, pro *apud te fui.* Sic igitur Rud. V, 1, 60: *Tecum habeto*, pro eo quod vulgo dici solet: *habeas tibi.* Sic explicandae sunt formulae similes: *tecum oro*, Bacchid. III, 3, 90. *tecum orarem*, Bacchid. III, 6, 25. *Iube petere atque orare mecum*, Asin. III, 3, 72. et 96. *Scin' quid tecum oro, senex?* Rud. III, 4, 68. Adde Casinae II, 5, 16. Atque ita plane etiam nostrates: Er hat bei mir gebeten. Er hat bei jenem gefragt. Bei mir hat er sein Wort gehalten — *De filio.* Vulgo additur *meo*, quod ab scriptis fere omnibus abesse testatur Pareus. Hiatus in personae mutatione nihil habet offensionis.

V. 12. Dixerat Hegio, Philocratis de se merita maiora esse, quam ut unquam gratiam referre possit satis dignam. Cui respondet Philopolemus, posse id fieri; quomodo fiat, mox Philocrates designat. Tyndarum enim sibi vult reddi. Inde arcessi eum ex lapicidinis iubet Hegio. *Di potestatem dabunt.* Pronomen *eam*, quod in V. C. Cam. post v. *Di* legitur, Bosscha eiecit, ob duriorem syllabarum *Di eam* contractionem. Sed pronunciandum est: *Dí ĕăm pótĕstātém dabunt.* In seqq. *benemerenti nostro* iungenda esse videntur, h. e. nostro benefactori. *Lingua nulla est.* Deest mihi lingua ad ea neganda tibi, quaecunque postules; nihil prorsus tibi denegare possum. *Roges* coniunctivo, ex lege attractionis quadam. *Pretium* pro mercede saepissime apud Plautum.

V. 20. *Id quod postulas.* Structuram ita expedio. *Quod* (h. e. propterea quod, eo quod) *benefecisti, tibi gratia referetur; dabitur enim id quod postulas.* Verba *id quod postulas* veluti appositionem faciunt ad superiora. *Atque.* Cf. supra ad Capt. II, 2, 105.

Nólim succensére, quod ego irátus ei fecí male.
Phil. Quíd fecisti? *He.* In lápicidinas cómpeditum cóndidi,
'Ubi rescivi míhi data esse vérba. *Ph.* Vae miseró mihi!
Própter meum capút labores hómini evenisse óptumo.
He. 'At ob eam rem míhi libellam pró eo argenti né duis.
Grátiis a me, út sit liber, dúcito. *Phil.* Edepol, Hégio.
Fácis benigne; séd quaeso, hominem ut iúbeas arcessí. *He.* Licet.
'Ubi vos estis? 'Ite actutum, Týndarum huc arcéssite.
Vós ite intro; intéribi ego ex hac státua verbereá volo
'Erogitare, meó minore quíd sit factum fílio.
Vós lavate intéribi. *Ph.* Sequere hac, Phílocrates, me intró.
Phil. Sequor.

ACTVS V. SCENA II.

Hegio, Stalagmus.

'Age tu illuc procéde, bone vir, lépidum mancipiúm meum.
St. Quíd me oportet fácere, ubi tu tális vir falsum aútumas?
Fuí ego bellus, lépidus, bonus vir núnquam, neque frugí bonae,
Néque ero unquam; nae tú spem ponas, mé bonae frugí fore.
He. Própemodum ubi locí fortunae tuaé sint, facile intéllegis.
Si éris verax, tuám rem facies éx mala meliúsculam.
Récte et vera lóquere; sed neque vére tu neque récte adhuc

Propter meum caput. Meae salutis caussa, ut saepe. *Gratiis a me.* Vulgo *gratis.* Sed vide, quae diximus ad Captiv. II, 3, 48. *Licet.* In assensu et rogati concessione. Trin. II, 4, 116. Locus ad hunc usum illustrandum idoneus est Rud. IV, 7, 2 seqq. *Ex hac statua verberea.* Stalagmum significat. Eum *statuam* dicit, quia mutus astat; *verbeream* quasi verberibus plenam, exercitam, quasi totam e verberibus constantem, aut dignam iis. Frustra est Bosscha, commendans aliquot codicum lectionem *verveceam.* Testatur Scioppius d. A. Cr. p. 58. in MSS. esse: *ververe avolo,* unde quomodo in aliis factum sit *vervece avolo, ververce avolo,* commode intelligitur. Litteram autem *v* saepe in MSS. pro *b* scribi et notum est satis, et docet idem Scioppius loco citato. — Iam discedunt lavatum Philopolemus et Philocrates. Hegio cum Stalagmo restat, ut ex eo percontetur, quid filio suo, quem ille surripuerat, factum sit.

Act. V. Sc. II. Satis ioculare est, quod Stalagmus hero suo qui servum acerba cavillatione bonum virum et lepidum mancipium dixerat, serio affirmat, se neque unquam fuisse, neque unquam fore frugi bonae; quapropter omnem spem ponat. Hegio ut vera sciscitanti sibi respondeat, admonet. *Tuam rem facies ex mala* cet. Vulgo et in V. C. Cam. *Tua ex re facies, ex mala* cet. Quod manifeste vitiosum est. Nos ad Bosschae sententiam ex editione Gryphiana recepimus, quae edidimus. Bothius totum versum eliminandum censuit, maxime quia idem iisdem fere verbis infra recurrit v. 15. Sed salvo sensu eum abesse non posse, vidit Bosscha. *Recte et vera loquere.* Vulgo *recta et vera.* Sed Codd. apud Bosscham, licet fortasse a correctoribus illatum, verum tamen, *recte* tuen-

Fécisti unquam. *St.* Quód ego fatear, crédin', pudeat, quom aútumes?
He. 'At ego faciam ut púdeat; nam in rubórem te totúm dabo.
St. Eía credo ego, ímperito plágas minitarís mihi!
'Tándem ista aufer. Díce quid fers, út feras hinc quód petis.
He. Sátis facundus. Séd iam fieri díctis compendiúm volo.
St. 'Vt vis fiat. *He.* Béne morigerus fuít puer; nunc nón decet.
Hóc agamus; iam ánimum advorte, ac míhi, quae dicam, edíssere.
Si éris verax, tuís e rebus féceris meliúsculas.
St. Núgae istaec sunt. Nón me censes scíre quid dignús siem?
He. 'At ea subterfúgere potis es paúca, si non ómnia.
St. Paúca effugiam, sció; nam multa evénient, et meritó meo,
Quía et fugi, et tibí surripui fílium, et eum véndidi.
He. Cuí homini? *St.* Theodóromedi in 'Alide Polyplúsio
Séx minis. *He.* Pro Di ímmortales, ís quidem huius ést pater,

---

tur, quod idem optime explicat: *recte loqui* est aperte, sincere, cui opponitur *oblique, tecte.* Sic Terent. Adelph. IV, 3, ult. *Recte et verum dicis.*

V. 8. Se non pudere ante factorum, ait Stalagmus. At, inquit Hegio, te faciam ut pudeat, *nam in ruborem te totum dabo*, h. e. ego tibi totum tergum verberibus rubrum et cruentum reddam. *Quod ego fatear.* Significat, se fassurum, si quis postulet. Unde coniunctivus. *Dice quid fers.* Vulgo: *Dicque quid fers*, sed libri scripti fere omnes *dic quid*, h. e. *dice quid.* Indicativus *fers* ex sermonis familiaris consuetudine et more Plautino. Cf. quae supra notavimus ad Capt. II, 1, 16. Orta formula ex hac: *Quid fers? Dice.* Duo enunciata in unum conflata sunt.

V. 12. *Fieri dictis compendium volo.* Fortasse cum Bothio scribendum, ut aliis in locis: *Fieri dicta compendi volo.* Sic Bacch. II, 2, 6. *Compendi verba multa iam faciam tibi.* Sed in v. *compendium* h. l. duae ultimae syllabae per synizesin efferuntur non insolitam. *Vt vis fiat.* Ita V. C. Cam. et vulgo. Non recte correxit Bosscha e suis Codd. *Quid vis fiat*, cuius iudicio male ego calculum adieceram in sup. editione. Ad ambiguam hanc Stalagmi orationem, sed ad spectatores conversus, sic respondet Hegio: hic bene aliis morigeratus est puer, at nunc senem exoletum non decet. Obscoenum dicit. Tum Hegio ad Stalagmum reversus pergit: *Hoc agamus*, de qua formula vide quae statim diximus ad v. superioris scenae v. 10. *Tuis e rebus.* Codd. propemodum omnes *tuis rebus*, ut vulgo, aut *e tuis rebus.* Prior lectio dabat: *tuas res.* Vide supra ad v. 6. huius sc. *Quid dignus siem.* Accusativus inde, quod *dignus* notionem vocis *meritus* accipit. Solet enim fieri, ut verba, quum in aliorum notionem transeunt, etiam structuram mutent. Igitur *dignus odium* apud Terentium Andr. V, 4, 37. quae lectio ab optimis Codd. et Grammaticis confirmatur. Citatis a Bentleio ad Terent. l. c. adde Pompeium XIV, 4. pag. 174.

V. 20. Iam res omnis palam fieri incipit. Narrat Stalagmus, se filium Hegionis, surreptum quadrimulum, Theodoromedi vendidisse, quem Philocratis scit esse patrem Hegio. Quare statim Phi-

Phílocratis. *St.* Quin mélius novi, quám te, et vidi saépius.
He. Sérva, Iupitér supreme, et mé et meum gnatúm mihi.
Phílocrates, per tuúm te Genium óbsecro, exi; té volo.

ACTVS V. SCENA III.

Philocrates, Hegio, Stalagmus.

Hégio, assum; sí quid me vis, ímpera. *He.* Hic gnatúm meum
Tuó patri ait se véndidisse séx minis in 'Alide.
Ph. Quám diu id factum ést? *St.* Hic annus íncipit vicésimus.
Ph. Fálsa memorat. *St.* Aút ego, aut tu. Nám tibi quadrímulum
Tuús pater pecúliarem párvolum pueró dedit.
Ph. Quíd erat ei nomén? Si vera dícis, memora dúm mihi.
St. Paégnium vocitátu'st; post vos índidistis Týndaro.
Ph. Cúr ego te non nóvi? *St.* Quia mos ést oblivisci hóminibus,
Néque novisse, cúius nihili sít faciunda grátia.
Ph. Díc mihi, isne istíc fuit, quem véndidisti meó patri,
Quí mihi pecúliaris dátus est. *St.* Huius fílius.
He. Vívitne is homo? *St.* Argéntum accepi; níl curavi céterum.
He. Quíd tu ais? *Ph.* Quin ístic ipsu'st Týndarus tuus fílius,
'Vt quidem hic arguménta loquitur. Nam ís mecum a pueró puer

---

locratem ad se evocat. *Quin melius novi.* Confirmat Stalagmus, Philocratem Theodoromedis esse filium. *Quin* simpliciter asseverat, veluti Plaut. Mercat. V, 4, 7. ubi animum advertere iubenti alter respondet: *quin tibi ambo operam damus.* In seqq. vulgo legitur *ingenium* pro *Genium*, sed vide Bentl. ad Terent. Andr. I, 5, 54. In hoc Plauti loco plures etiam Codd. *Genium* exhibent. De ultima non elisa in voce *Genium* cf. Hermann. Elem. doctr. metr. p. 88.

Act. V. Sc. III. Domo exit Philocrates. Ab Hegione de Tyndaro rogatus primum Stalagmum falsa narrasse putat. *Quam diu id factum est.* Pro eo, quod dicendum: quam diu est, quum illud factum est. Sic Mostell. II, 2, 45. *Scelus, inquam, factum est iam diu, antiquum et vetus.* Eodem modo struitur *quam dudum.* Trin. III, 1, 7. *Quam dudum, aut ubi istuc actum est.* Et sic saepissime. *Huius filius.* Haec verba Stalagmo assignanda erant. Vulgo: *istic huius filius.* Sed *istic* videtur ortum ex male lecta personae nota *St.* De servo *peculiari* cf. quae notavimus supra ad Captivor. prol. 20. *Quid erat ei nomen.* Saepius ita apud Plautum, verum, ut videtur, in hac tantum formula, ubi de nomine alicuius quaeritur. Sic Mostell. III, 1, 132. *Sed nomen domini quaero quid siet.* Menaechm. III, 2, 33. *Responde, adolescens, quaeso, quid tibi nomen est.* Pers. IV, 4, 71. *Quid nomen tibi est. — Memora dum mihi.* De particula *dum* cum imperativo iuncta cf. supra ad Captiv. I, 2, 71. Adde Hermann. ad Viger. §. 185, b. — In seqq. verba *nihili faciunda gratia* non denotant *quae nihili fieri potest*, sed *quae magni fieri non debet.*

V. 13. Tandem res aperitur. Philocrates Tyndarum esse ait illum, quem Stalagmus quadrimum vendidisset, quemque ipse a patre suo peculiarem accepisset. Hegionem, ut par est, filio suo male fecisse et eum in lapicidinas coniecisse, vehementer poeni-

Béne pudiceque éducatu'st úsque ad adolescéntiam.
He. 'Et miser sum et fórtunatus, sí vos vera dícitis.
Eó miser sum, quía male illi féci, si gnatús meu'st.
'Eheu, cur ego plús minusque féci, illi quam aequúm fuit!
Quód male feci, crúcior; modo si inféctum fieri póssiet.
Séd eccum; incedit húc ornatus haúd ex suis virtútibus.

ACTVS V. SCENA IV.

Tyndarus, Hegio, Philocrates, Stalagmus.

Ty. Vídi ego multa saépe picta, quae 'Acherunti fíerent
Crúciamenta; vérum enimvero núlla adaeque est 'Acheruns,
'Atque ubi ego fui in lápicidinis. 'Illic ibi demúm'st locus,
'Ubi labore lássitudo est éxigunda ex córpore.
Nam úbi illo adveni, quási patriciis púeris aut monédulae,
Aút anates, aut cóturnices dántur, quicum lúsitent;
'Itidem mi haec advénienti upupa, quí me delectém, data est,

---

tet. *Eheu! Cur ego plus minusque feci.* Voluit Brunckius *plus minusve*, quicum consentit Bothius, non aliter loqui dicens Latinos. Idem Gronovius dixerat ad Menaechm. IV, 2, 25. Recte hos confutavit Bosscha. Non enim dubitat Hegio, utrum plus an minus fecerit Tyndaro, sed hoc ait, se utrumque, et *plus* et *minus* fecisse, recteque explicat Lambinus: *plus mali minus boni.* — *Modo si* pro vulgari ordine *si modo*, quod h. l. significat *utinam.* Pariter *utinam modo* dici exemplis ostendit Bosscha. *Ornatus haud ex suis virtutibus.* Non ut meritus affectus. Intelliguntur catenae, quibus vinctus prodit Tyndarus.

Act. V. Sc. IV. Ex lapidicinis arcessitus Tyndarus procedit et primum secum iculariter depingit aerumnas, quas illic exantlaverit. Tum patrem suum, re, uti acta est, exposita, agnoscit. *Acherunti* pro ad *Acheruntem*, tanquam non fluvii, sed loci sit nomen, ut *Carthagini, ruri.* Cf. Pomp. Gramm. XXVIII, 13. pag. 353 seq. et quos ibi citatos reperies. Adde Servii Gramm. pag. 520. Cf. etiam supra Captiv. III, 5, 31. Verba, quae sequuntur: *Verum enim vero nulla adaeque est Acheruns, atque ubi ego fui;* citantur a Nonio p. 191. ut *Acheruns* etiam femineo genere dici probetur. Sed cf. Voss. de Anal. I, 10. V. 4. Vulgo *lassitudo omni'st ex.* Sed V. C. Cam. *lassitudo est omnis.* At *omnis* et ad sententiam et ad metrum supervacaneum. *Quasi patriciis pueris.* Notum est, pueros et puellas beatiorum Romanorum bestiolas inter res ludicras habuisse. In quam rem apte laudant Plinii minoris locum IV, ep. II. ubi de filio Reguli mortuo sermo est. *Habebat puer mannulos multos et iunctos et solutos; habebat canes maiores et minores, habebat luscinias* (al. lucerinas i. e. oves) *psittacos, merulas; omnes Regulus circa rogum trucidavit.* — *Coturnices* h. l. prima producta, ut apud Lucretium IV, 643. *At capris adipes et coturnicibus auget.* Apud Ovidium ubique corripitur. *Quicum. Qui* ablativus relatus ad pluralem numerum raro invenitur. Plaut. Aulul. III, 5, 28. *Vehicula, qui vehar.* Adde Cato de R. R. II, 2. *Cola, qui florem demant, tria.* — *Vpupa.* Iocus in ambiguitate

Séd herus eccum ante óstium, et herus álter eccum ex 'Alide
Rédiit. *He.* Salve, éxoptate gnáte mi. *Ty.* Hem, quid, gnáte mi?
'Attat, scio cur té patrem, assimilés esse et me fílium,
Quía mí, item ut paréntes, lucis dás tuendae cópiam.
Ph. Sálve, Tyndare. *Ty.* 'Et tu, quoius caúsa hanc aerumnam éxigo.
Ph. 'At nunc liber ín divitias fáxo venies. Nám tibi
Páter hic est; hic sérvus, qui te huic hínc quadrimum súrpuit,
Véndidit patrí meo te séx minis. Is té mihi
Párvolum pecúliarem párvolo pueró dedit.
'Illic indicium férit; nam hunc ex 'Alide huc redúcimus.
Ty. Quíd, huius filium? *Ph.* 'Intus eccum frátrem germanúm tuum.
Ty. Quíd tu ais? Áddúxtin' illum huiús captivum fílium?
Ph. Quín, inquam, intus híc est. *Ty.* Fecisti édepol et recte ét bene.
Ph. Núnc tibi pater hic ést; hic fur est tuús, qui parvom te ábstulit.
Ty. 'At nunc grandis grándem natu, ob fúrtum, ad carnificém dabo.
Ph. Méritus est. *Ty.* Ego édepol merito méritam mercedém dabo.
Séd dic oro, páter meus tune és? *He.* Ego is sum, gnáte mi.
Ty. Núnc demum in memóriam redeo, quóm mecum recógito;

---

vocabuli. Instrumentum intelligitur ad eruendos lapides, acutum, fortasse *upupae* caput cum rostro referens.

V. 8. Iam Hegionem et Philocratem suum conspicit Tyndarus. Ille salutat, filium nominat. Respondet Tyndarus, illum patrem se nominare haud dubie quia, quemadmodum pater filium, ad aspiciendam lucem se produxerit i. e. e lapicidina in lucem eduxerit. Nam Act. III, 5, 72. *sub terra lapides eximere* dicuntur, qui in lapicidina sunt. *Scio* unius est syllabae. V. 12. *Salve Tyndare* cet. Citat Nonius p. 291. ubi tamen *cuius* legitur pro *quoius.* Vtitur autem hoc versu Nonius, ut ostendat, *exigere* pro *agere* dici, veluti in notissima illa formula *vitam exigere.* Sed *exigere* est ad finem agere; *vitam exigere* ad mortem usque; *aerumnam exigere,* exantlare, tolerare ad finem. *Faxo, venies.* Cf. notata ad Capt. prol. 65.

V. 22. *At nunc.* Vulgo: *at ego hunc.* Sensus requirit *nunc,* versus respuit, si *ego* admittis. Quapropter *ego* expuli, ut *nunc* locum suum obtineat. *Merito meritam.* Prius Bosscha apposuit, recte sane. Exciderat ob similitudinem verbi proximi. Versus requirit. *Pater meus tune es.* Ordo unice verus, quem male mutavit Busscha. Primum enim est, quod animum pellit, patrem sibi esse inventum. Haec igitur est primaria cogitatio. Secundaria est, Hegionem istum patrem esse. Igitur *pater meus* primum locum obtinent. In seqq. recte dedit Bosscha: *Ego is sum,* flagitante versu. Vulgo: *Ego sum.* V. 25. Vulgo: *Nunc demum in memoriam redeo,*

Núnc edepol demum ín memoriam régredior, audísse me,
Quási per nebulam, Hégionem pátrem meum vocárier.
He. 'Ego sum. *Ph.* Compedibús te quaeso ut tíbi sit levior fílius,
'Atque hic gravior sérvus. *He.* Certum est príncipium id praevórtier.
Eámus intro, ut árcessatur fáber, ut istas cómpedes
Tíbi adimam, huic dem. *St.* Cuí peculi níhil est, recte féceris.

CATERVA.

Spéctatores, ád pudicos móres facta haec fábula est.
Néque in hac subagitátiones súnt, neque ulla amátio,
Néc pueri suppósitio, nec argénti circumdúctio,
Néque ubi amans adoléscens scortum líberet clam suúm patrem.
Húiusmodi paucás poetae réperiunt Comoédias,
'Ubi boni melióres fiant. Núnc vos, si vobís placet,
'Et, si placuimús, neque odio fúimus, signum hoc míttite:
Quí pudicitiae ésse voltis praémium, plausúm date.

---

quum mecum cogito Nunc edepol demum in memoriam regredior, audisse me. Priore versu pro *cogito* scripsi *recogito*, qua mutatione metrum facile sustentatur. Ad formulam: *quasi per nebulam* conf. similis locus Pseud. I, 5, 48. *Sunt quae te volumus percontari, quae quasi Per nebulam nosmet scimus atque audivimus.* Ne vero mireris, versus tam similes copulari potuisse a Plauto, cf. simile exemplum in Milite gl. III, 1, 4. *Vnde inimicus ne quis nostri spolia capiat consili; Vnde inimicus ne quis nostra spolia capiat auribus.* Eiusmodi parallela quandam quasi ampliationem figurae, quae dicitur *παρηγμένον*, exhibent. *Principium id praevortier.* Adverbii loco *principium*, pro eo, quod est usitatius *principio.* Sic Cato de R. R. 157. *Principium te cognoscere oportet. Praevorti aliquid;* fere idem quod supra Captiv. II, 3, 100. *praevorti alicui rei.* Cf. Miles Glor. III, 1, 170. *Igitur hic quod agitur primum praevorti decet. — Cui peculi nihil est.* Acerbe iocatur in summo infortunio Stalagmus; tanquam herus aliquid daturum se promisisset, subiungit servus: *recte feceris*, quod dare promittis ei, cui nihil peculii est.

Caterva, sive *Grex* omnibus, qui in scena egerant, actoribus constat, qui denuo prodibant omnes in fine fabulae, ut plausum exciperent et populo se commendarent. Sic in fine Asinariae, Casinae, Epidici, Bacchidum factum videmus. In fine Cistellariae tamen de histrionibus tanquam de absentibus loquitur grex. Sed fortasse unus tantum ex actorum numero rursum prodibat, qui spectatores dimitteret. Cf. G. A. B. Wolf. in scripto scholastico de actibus et scenis cet. pag. 11. V. 3. *Nec argenti.* Ita vulgata cum C. V. Cam. Bosscha dedit *aut argenti,* ostenditque exemplis, saepe duobus particulis negativis subiungi *aut.* Verum hoc est, sed non opus. *Nĕc ărgenti* pronunciandum, ut prima syllaba in v. *argenti* pro brevi accipiatur. *Huiusmodi paucas.* Intelligit Graecas, quales, quae pudicae sint, paucas inveniri, ut Latine verti possint, a poetis palliatarum fabularum Romanis.

MILES GLORIOSUS.

FABVLAE INTERLOCVTORES.

Pyrgopolinices, miles.
Artotrogus, parasitus.
Palaestrio, servus.
Periplectomenes, senex.
Philocomasium.
Pleusides, adolescens.
Lucrio, puer.
Acroteleutium.
Milphidippa, ancilla.
Puer.
Cario, cocus.

ARGVMENTVM.

Philocomasium, meretricem Atheniensem, amabat Pleusides adolescens et ipse Atheniensis, non sine mutuae caritatis persuasione. Is cum aliquando Naupactum publice legatus abesset, venit Athenas miles quidam, nomine Pyrgopolinices, seque in matris gratiam donis datis insinuat et Philocomasium habere studet. Mox matre decepta filiam in navem coniicit eamque invitam ipsam et clam matrem Ephesum avehit secumque domi habet. Quod factum Palaestrio, servus fidelis, hero suo Pleusidi Naupactum nunciare decrevit. Itaque parat navem, proficiscitur. Sed navi a praedonibus capta capitur ipse et ab eo, qui se cepit, militi isti Pyrgopolinici dono mittitur Ephesum. Sic igitur praeter exspectationem ad amicam herilem devenit, eam agnoscit, dissimulans, qui sit, militi, ab illa item agnoscitur. Iam consilia ineunt clandestina, quo pacto ambo ex militis potestate liberentur. Servus tabellas mittit hero suo veteri Pleusidi, ut Ephesum veniat et amicam militi eripiat. Venit Pleusides atque apud hospitem, vicinum militis, senem lepidissimum, nomine Periplectomenem, devertitur. Ut vero amantes clam convenire possint, parietem in conclavi, ubi Philocomasium apud militem habitat, non insciente Periplectomene, perforat, qui paries communis est inter aedes Periplectomenis et militis. Qua fallacia Pleusides et Philocomasium ita utuntur, ut convenire et amare inter se nunquam habeant satis.

Inde ab hoc tempore res in scena geri incipit. Forte alius servus militis, cui nomen Sceledro, quem Philocomasio custodem addiderat miles, per impluvium in aedes vicini despexerat ibique Philocomasium cum amatore osculantem et amplexantem viderat. Is ne militi rem indicaret, seque ut, quod vidit, non vidisse crederet, multis artibus efficitur. Quare persuadet servus Atticus conservo suo, advenisse geminam Philocomasii sororem et cum amatore suo apud vicinum militis devertisse. Haec tamen omnia monent, mature facto opus esse, ne tandem aliquando resciscat miles, quid rerum agatur. Quare hanc fallaciam a Palaestrione

excogitatam, aggrediuntur. Persuadetur militi, ut credat, amari se ab uxore senis vicini Periplectomenis. Quod ut credat, efficiunt opera Acroteleutii meretricis, quae se uxorem Periplectomenis assimulat seque perdite amare militem non illepide fingit. Ille, ut est stolidus et vanus, nihil diffidit, atque ut novos amores tectis suis recipere possit, auctore et suasore Palaestrione Philocomasium dimittit, quae a Pleuside, amatore suo, in naucleri habitum transformato, ad portum abducitur. Sequitur eos mox ipse Palaestrio, quem dono sibi a milite abiens expetiverat Philocomasium. Sic pulchre deceptus miles in graviores etiam insidias incidit. Namque ab ancilla Acroteleutii in aedes vicini invitatus a Periplectomene deprehenditur, foras eiicitur et fustibus dedolatus dimittitur, iuratus ante, se propter hanc castigationem nemini nociturum. Res geritur Ephesi, ut ex superioribus abunde patet.

A R G V M E N T V M.

Meretrícem ingenuam déperibat mútuo
Athéniensis iúvenis. Naupactum ís domo
Legátus abiit; míles in eandem íncidit,
Depórtat Ephesum invítam. Servus 'Attici,
Ut núntiaret dómino factum, návigat;
Capitúr, donatur ílli captus míliti;
Ad herum, út veniret 'Ephesum, scribit. 'Advolat
Adoléscens atque in próxumo devórtitur
Apud hóspitem patérnum. Medium párietem
Perfódit servus, cómmeatus clánculum
Qua fóret amantum; géminam fingit múlieris
Sorórem adesse. Móx ei dominus aédium
Suám clientam sóllicitandum ad mílitem
Subórnat. Capitur ílle; sperat núptias,
Dimíttit concubínam et moechus vápulat.

ARGVMENTVM ACROSTICHVM.

Meretrícem Athenis 'Ephesum miles ávehit.
Id heró dum amanti sérvus nuntiáre vult,
Legáto peregre, cáptus ipsust ín mari
Et ílli eidem míliti donó datust.

Argumentum. Satis eleganter compositum est et optimam aetatem attingere videtur hoc prius argumentum metricum. *Deperibat mutuo;* amabat redamatus. V. 6. *Donatur illi captus militi.* Vulgo *illic*, quod bene emendavit Bothius; non enim locum habet nec nominativus nec adverbium. *Commeatus* nativa h. l. notione, i. q. conventus; qua amantes convenire possent. V. 11. *Geminam fingit mulieris sororem adesse.* Sic veterrimae quaeque editiones; vulgo, prava etiam distinctione: *geminam fingit; mulieris sororem ait esse.* Quomodo enim *geminam fingit* et *sororem ait esse* diversa esse possint narrationis momenta, non intelligo. *Clientam* Plautum dixisse, testatur Festus, pag. 47. ed. m. Sed pertinet eius annotatio ad Act. III, 1, 194. V. 14. *Capitur ille;* dolo illectus quasi reti concluditur. Er geht in die Schlinge. Alia est verbi huius notio, quam ad Captiv. II, 2, 6. notavimus.

Argumentum acrostichum. De his argumentis cf. quae ad Captiv. arg. monuimus. V. 5. Mutilus est hic versus in vulgata

Suum arcéssit servus Athénis herum atque écforat
Geminís communem clám parietem aédibus,
Licére ut quiret cónvenire amántibus.
Obhaérens custos hós videt de tégulis;
Ridículus autem, quási sit alia, lúditur.
Itémque impellit mílitem Palaéstrio,
Omíssam faciat cóncubinam, quándo ei
Senís vicini cúpiat uxor núbere.
Ultro, ábeat, orat; dónat multa; ipse ín domo
Senís prehensus poénas pro moechó luit.

ACTVS I. SCENA I.

Pyrgopolinices. Artotrogus.

Curáte, ut splendor meó sit clupeo clárior,
Quam sólis radii esse ólim, quum sudum ést, solent;
Ut, ubi úsus veniat, cóntra consertá manu

---

et V. Cod. Cam. Vulgo enim legitur: *Suum arcessit herum Athenis et forat.* V. C. Cam. *Suum arcessit herum Athenis atque et forat*, unde iam Scioppius legendum coniecit: *atque ecforat.* Voc. *servus* adiecit Bothius, sed ab initio versiculi. In iis, quae nos dedimus, *herum* ultimam non elidit. In verbis *parietem aedibus* hiatus deprehenditur, cui qui mederi volebant, scripserunt *in aedibus*, quos refutavit Scioppius, Latine dici negans, *paries communis in duabus aedibus.* V. 8. Vulgo: *Obhaerentes custos*, pro quo alii *osculantes custos.* V. C. Cam. *Obhaerentis.* Correxit Bothius. Tum Codd. *videt* pro vulgato *vidit;* repugnat enim orationis nexui praeteritum. Ceterum *obhaerens de tegulis* est superiore loco, de tecto imminens. *Quando*, ut saepe, pro *quoniam.*

Act. I. Scen. I. Hanc scenam, qua mores Gloriosi facetissime depinguntur, propterea prologo praemisisse videtur Plautus, ut statim ab initio fabulae caperentur spectatores et tenerentur. — Errant autem, qui putant, hanc scenam nihil continere, quod ad ipsius fabulae tractationem propius attineat. Maxime enim necessarium est, ut risui exponatur homo eiusque mores pingantur, in quo decipiendo omnis rei cardo vertitur et καταστροφὴ fabulae cernitur.

V. 1. Pyrgopolinicis oratio est ad satellites, quos in publicum prodiens secum ducit. Cf. huius scenae v. extrem. *Olim;* tum. Sic Poen. I, 2, 142. *Illam mihi tam tranquillam facis, quam mare est olim, cum ibi alcedo pullos educit suos.* Est enim *olim* adverbium omnium temporum, quod etiam in demonstratione ponitur, ut h. l. Insolentior tamen est notio ea, qua idem notat, quod Graecorum ποτέ, indefinitum tempus significans. Asinar. III, 3, 126. *An quid est olim homini salute melius?* Versum 2. citat Nonius p. 31. omissa v. *esse.*

V. 3. *Contra conserta manu.* Vulgo referunt *v. contra* ad sequens *conserta*, ita ut *manu contra conserta* significet: *collatis*

Praestríngat oculorum áciem in acie hóstibus.
Nam ego hánc machaeram míhi consolarí volo,
Ne lámentetur néve ánimum despóndeat,
Quia sé iampridem fériatam géstitem,
Quae mísere gestit fártum facere ex hóstibus.
Sed ubi Artotrogus? *Ar.* Híc est, stat proptér virúm
Fortem átque fortunátum et forma régia,
Tum béllatorem. Márs haud ausit dícere,

---

mutuo signis, commissa cominus pugna. Fortasse tamen rectius *contra* ad verbum *praestringat* referendum, ut *contra* sit fere idem quod *ex adverso*, *e regione.* In sequentibus ordinem verborum mutavimus, iubentibus Prisciani Codd. in lib. de metris Terent. c. 2, tom. II, 408. Kr. pag. 238. ed. meae pro vulgari: *Oculorum praestringat.* Consentiunt cum Prisciano Nonius duobus in locis, p. 84 et p. 373; et Apuleius de Deo Socr. p. 48 Elmenh. et, ut videtur, C. V. Cam. *Praestringere.* Nonius p. 373 interpretatur *obtenebrare.* Sed est *praestringere* primum quidem *anteriore in parte stringere* cf. Plin. H. N. 18, 34; tum *stringendo hebetare et obtundere.* Cf. Plaut. Trucul. II, 6, 11. *Quorum lingua gladiorum aciem praestringit domi* et Merc. V, 3, 7. *Atque oculorum tibi praestringat aciem.* Adde Ascon. Pedian. ad Cic. Epist. ad Fam. XIV, 46. Aliud est *praestinguere*, a verbo *Stinguo* quod significat σβεννύειν, flammam delere, obtenebrare. — In verbis *acie hostibus* hiatus est legitimus.

V. 5. Arma sua parari iusserat miles, mox enim fore, ut pugnandum sit. Sic etiam fieri, ut machaeram sibi consoletur, quae iam iusto diutius ferias egerit. *Se — gestitem.* Coniunctivus ostendit, ipsam machaeram cogitari caussam suam dicentem, unde etiam *se*, quod aliter ferri non posset. *Misere* primus Dousa Expl. Plaut. III, 7. reponi iussit, provocans ad Terentium, qui *misere amare*, *misere cupere*, *misere invidere* saepius dixit. Cf. Bentl. ad Andr. III, 2, 40. Vulgo *misera.* C. V. Cam. *Quem miser agestat.* C. D. *Quae misera gestitet.* *Fartum facere.* Retinuimus hanc lectionem, vel potius revocavimus exsulem, quum recentiores usque ad Bothium editores ad unum omnes *et fratrem facere*, codd. lectionem, Plauto obtruserint. Nam V. C. Cam. *gestat et fratrem.* C. D. *gestitet fratem* a pr. m. sed superscriptum est *r* teste Pareo. Corruptio orta est ex male intellecto scripturae compendio $\overline{frt}$, quod *fratem*, *fratrem*, *fractum*, *fartum* significare potest, quae variationes omnes in libris inveniuntur. *Fartum f.* primus scripsit Muret. V. L. III, 9. Tum Lambinus in suis se libris invenisse testatus est. Qui improbarunt, frustra fuerunt omnes. *Fartum facere ex hostibus* est, ut Lambinus ait, Aristophanicum illud: περίκομμα ἐκ τῶν πολεμίων ποιῆσαι, tractum a fartoribus, qui carnes, unde farcimina, isicia et similia confecturi sunt, in minutissimas particulas consecant. Quae non convenire in militem, et quidem gloriosum, sed parasitorum potius esse, per me licet censeant. Ego crediderim, nihil aptius posse dici ab homine inflatissimo.

V. 9. Parasitum, qui paullum abstiterat, ad se vocat. Is impudentissime adulatur. *Tum bellatorem.* Nihil viderunt, qui haec immutata voluerunt. Dixerat parasitus regem suum *fortem*,

Neque aéquiparare suás virtutes ád tuas.
Py. Quemne égo servavi in cámpis Gurgustídoniis,
Ubi Bómbomachides Clúninstaridysárchides
Erat ímperator súmmus, Neptuní nepos?
Ar. Meminí; nempe illum dícis cum armis aúreis,
Quoius tú legiones dífflavisti spíritu,
Quasi véntus folia aut pániculam tectóriam.
Py. Istúc quidem edepol níhil est. *Ar.* Nihil hercle hóc quidem
Praeut ália dicam, — tú quae nunquam féceris.

---

fortunatum, forma regia hominem. Iam, veluti magnum moliens, addit: *tum etiam bellatorem.* Haec vis particulae *tum* notissima est; frequentior tamen est *tum vero* in eiusmodi formulis. *Dicere* h. l. absolute ponitur pro *loqui.* Sensus igitur est: Mars coram te obmutescat, neque se tecum comparare audeat.

V. 13. Tam stolide gloriantem militem facit poeta, ut ipsum Martem in proelio a se servatum dicat. *Quemne;* eumne, quem; an eum dicis, quem. Hánc interrogandi formulam exemplis illustrat Scioppius susp. lectt. V, 7. Adde infra v. h. sc. 66. *Gurgustidonii* fictum nomen, a gurgustiis deductum, quae sunt obscurae humilesque tabernae, ubi versari turpe erat. Quae sequuntur nomina itidem ad risum conficta esse, sponte patet. *Bombus* raucus est et profundus sonus, veluti cornuum in pugna, apum, cum gregatim volant. Difficilior est vocis *Cluninstaridysarchides* explicatio. Si lectio certa, quod dubito, derivandum a *clunibus*, verbo *instare*, et Graeco vocabulo δυςαρχία, vel δύςαρχος. Totum igitur nomen significat filium eius, qui aegre obedit imperanti, ne clunibus instet; δύςαρχον instare clunibus.

V. 16. Ridicule assentit assentator. *Nempe illum dicis.* Notissima est haec particulae *nempe* vis assentiendi. Cf. Cic. Brutum c. 3. sub fin. ubi est: *nempe eum dicis, inquit, quo iste omnem rerum memoriam breviter — complexus est.* Cf. etiam Dousa Plaut. expl. III, 7. *Quoius* monosyllabum. *Panniculam tectoriam.* Codices V. Cam. D. *peniculom tectorium*, quod nihili esse, iam olim viderunt homines docti. Primus Turnebus felici coniectura restituit, quod dedimus. cf. Dousa Plaut. expl. III, 7. Est autem *pannicula* lanosa coma arundinis, qua integi villaticae aedes solebant, cuius meminit Plinius XVI, 36. *Tegulo autem arundinum domus suas septentrionales populi operiunt* etc. Sed adeatur Turnebus Adv. II, 28.

V. 20. Non satis habet Miles laudum et gloriationis. Nihil est, inquit, quod dicis. Respondet parasitus: recte dicis, nihil hoc quidem, quod dixi, sed sunt alia, multo maiora et graviora. Et subito ad spectatores se convertens pergit: *tu quae nunquam feceris.* Particula *praeut* eodem modo composita est, quo *praequod, praequam, praeterquam, prout* et aliae similes; notat autem, longe *praestare* ea, quibus adiuncta legitur. Prae aliis, ut ista alia nunc dicam. Vt enim *prout* est *pro eo modo quo;* sic *praeut* significat proprie *prae eo quod.* — *Feceris;* non futurum exactum est, sed perfectum coniunctivi. Ilocaliter parasitus tanquam de sua sententia profert, de quibus facile inter omnes constabat. Est enim *quae nunquam feceris,* fere idem quod:

Periúriorem hoc hóminem si quis víderit
Aut glóriarum pléniorem, quam íllic est;
Is mé sibi habeto, et égo me mancupió dabo;
Ni unum épityrum apud illum ésuriem insané bene.

---

quae, ut videtur, nunquam fecisti; was du wahrscheinlich niemals gethan hast. V. 21. Pergit parasitus ad spectatores loqui. *Periuriorem* est *mendaciorem*, ut *periurium* pro mendacio, *periurare* pro *mentiri* saepe apud Plautum reperitur. Saepe in sermone communi vocabula graviora et significantiora pro vulgaribus usurpantur, ex quo fonte omnes μετωνυμίαι derivandae sunt. *Gloriae* vocabulum etiam pro *gloriatione* dici, ostendit ipsum illud adiectivum *gloriosus*, quod est *gloriationis plenus.* In sequentibus vulgo: *Me sibi habeto;* addidi *is*, quod, metro fulciendo necessarium, facile excidere potuit. Alii scripserunt: *Me sibi habeto et ego me illi m.* Versus 24. variis variorum tentationibus obnoxius fuit. Vulgo ex Pflugii prava coniectura: *Epityro, ut apud illum esuriem insane bene.* Nos cum Acidalio fidem habemus Varroni, qui hunc versum citat de L. L. lib. VI, p. 363. ed. Sp. vocataque in auxilium Codicum V. Cam. et D. corrupta lectione integram Plauti manum restituisse nobis videmur. *Ni* dedimus, quum Codd. *nisi*, Varro *si* exhibeant. *Vnum epityrum* Codd. et Varronis consensus firmat; est autem *unum* pro *aliquod*, de qua significatione paullo post videbimus. *Esuriem* non minus lectio apud Varronem *estur* et glossa *edam*, quam Codd. lectio tuetur. Est autem coniunctivus antiquus, ut *dicem* pro *dicam*, *faciem* pro *faciam*. Cf. Sciopp. susp. lectt. V, 7. *Insane* Varronis auctoritate nititur, qui sic interpretatur: *vehementer cum vellet dicere, dixit insane, quod insani faciunt omnia vehementer.* Iam de sensu videamus. *Ni* exceptionem notat. *Vnus* quum saepe pro *aliquis* ponatur, velut apud Cic. de orat. I, 29. *Sicut unus pater familias;* non alienum est, dici etiam h. l. pro *aliquo*, sive *uno alterove*, ut nostrates *einer* pro *irgend einer* ponunt. Sic *una esca* Mostell. III, 2, 2. pro *esca quaedam*, sive *escae aliquid.* Et sic apud Plautum frequenter. *Esurire aliquid* nach etwas hungern. Ridiculus est Bothius, qui h. l. *esurire* pro *edere solere*, tanquam verbum sit frequentativum, dictum putat. Nusquam aliam quam desiderativam vim habet. *Insane bene* esurire, quamquam insolentius dictum videri possit, tamen vix habet, quod offendat. Nam *bene* saepe solam intensionis vim habere, in vulgus notum est; veluti Cic. Epist. ad Fam. V, 12. *Qui semel verecundiae fines transierit, eum bene et gnaviter oportet esse impudentem.* Igitur *bene esurire*, est, quod nos dicimus: *einen guten Hunger haben*, et *insane bene esurire*, einen rasend guten Hunger haben. Ceterum *epityrum* cibi genus ex olivis confecti additisque variis herbis conditi. Cf. Cato d. R. R. c. 119. *Epityrum album, nigrum variumque sic facito. Ex oleis albis, nigris variisque nucleos eiicito. Sic condito. Concidito ipsas, addito oleum, acetum, coriandrum, cuminum, foeniculum, rutam, mentham; in orcam condito, oleum supra fiet. Ita utitor.* Adde Columell. XII, 49, 9. et Schneid. ad Colum. p. 654 seqq. Erat autem genus hoc cibi praecipue frequens apud Siculos, ibique magis quotidiano victui accensebatur, quam deliciis sumtuosis, videturque ad caseum esse comesum, ἐπὶ τυρῷ, unde nomen.

Py. Ubi tu és? *Ar.* Eccum. Edepol, vél elephanto in India
Quo pácto pugno praéfregisti bráchium.
Py. Quid? bráchium? *Ar.* Illud dícere voluí, femur.
Py. At indíligenter híc eram. *Ar.* Pol sí quidem
Connísus esses, pér corium, per víscera,
Perque ós elephanti bráchium transmítteres.
Py. Nolo ístaec hic nunc. *Ar.* Ne hércle operae pretiúm quidem,
Mihi té narrare, tuás qui virtutés sciam.
— Ventér creat omnis hás aerumnas; aúribus
Perhaúrienda súnt, ne dentes déntiant,

V. 25. Parasito, qui ad spectatores loquens se averterat, revocato novam adulandi et irridendi occasionem praebet miles. *Brachium* proboscidem interpretantur, quod apud Lucretium elephanti *anguimani*, et ipsa proboscis *manus elephanti* appellentur. Sed verum vidisse mihi videtur Koepkius, qui vertit: *das Schulterblatt*, armum. Ut enim *armus* aliquoties pro *brachio*, sic credibile est, etiam *brachium* pro *armo* in bestia dictum esse, quod minus etiam offendit apud Comicum. — Displicet militi rei tenuitas, in qua laudanda non versari vult parasitum. Hic igitur pleniore laudat ore, et *femur* brachio substituit. Factum illud satis parvi sibi constitisse, reponit miles. *At indiligenter hic eram;* non admodum laborabam, non viribus nitebar, sive, ut recte Graece reddidit Lambinus: ἀλλ' ἐνταῦθα ἐῤῥαδιούργουν. Bothius soloecismum hic odorans, coniecit: *At indiligenter iceram.* Sed non est, quod sollicitus sit vir doctus. *Eram* enim est *versabar*, *agebam*, unde adverbium apponitur. Cic. Epist. ad Att. XIII, 52. *Delectatus est et libenter fuit;* hoc est: *versatus est, affuit.* Sed Latini etiam, pariter atque Graeci, verbum *esse*, ubi est *comparatum esse*, *affectum esse*, *versari*, beschaffen sein, sich befinden, cum adverbiis componunt. Veluti Menaechm. III, 2, 20. *Minore nusquam bene fui dispendio.* Mercat. III, 3, 22. *Curamus, pulchre ut simus.* Trucul. IV, 2, 28. *De eo nunc bene sumus tua virtute.* Hom. Iliad. IV, 14, et alibi saepissime: ὅπως ἔσται τάδε ἔργα. Eurip. Hecub. 732. ed. Dind. εἴ τι τῶνδ' ἐστὶν καλῶς. Eurip. Heraclid. fin. καθαρῶς ἔσται. Cf. quae supra diximus ad Captiv. IV, 2, 70. Adde Erfurdtii not. ad Sophocl. Antig. 633. ed. Herm. *Operae pretium quidem* cet. Ne operae quidem pretium est, te mihi ista narrare; ego enim virtutes tuas et fortia facta probe scio. Particularum *ne — quidem* maiori intervallo disiunctarum exempla rariora. Cf. Goerenz. ad Cic. de Fin. lib. IV, p. 516.

V. 33. Parasitus rursus ad spectatores se convertit, ut caussam, cur tam impudenter aduletur militi, exponat. *Perhaurienda sunt.* Vulgo et in V. C. Cam. *Peraudienda sunt.* Sed illud iam Pareus e Cod. Dec. reposuerat. Cf. Virg. Aen. IV, 359. *Vocemque his auribus hausi.* Est autem *perhaurire* usque ad finem haurire, perpetuo haurire. *Dentire* vulgari notione est *dentes emittere*, ὀδοντοφυεῖν. Igitur parasitus iocose sibi *dentire dentes* ait, quia, quum nihil iis manducatur, non deteruntur, sed quasi crescere videntur. Aliter locum explicavit Scaliger. Qui quum in fragmento Varronis apud Nonium p. 72. s. v. *algu*, corrupto

Et assentandum est, quícquid hic mentíbitur.
Py. Quid illúd, quod dico? *Ar.* Hem, scío iam, quid vis dícere.
Factum hércle est; memini fíeri. *Py.* Quid id est? *Ar.* Quícquid est.
Py. Habés tabellas? *Ar.* Vís rogare? Habeo, ét stilum.
Py. Facéte advortis ánimum tuum ad animúm meum.
Ar. Novísse mores mé tuos meditaté decet
Curámque adhibere, ut praévolet, quo tú velis.

---

algu danti frigore, invenisset, totum Varronis locum sic scribi iussit: *Teges ruina, ne iacentem sub dio Ambesset algus, dentientem frigore*; dixitque, *dentire* esse *dentes concutere*; μυλιᾶν, mit den Zähnen klappen. Putat igitur Scaliger, hoc sibi velle parasitum: omnia mihi ab isto audienda sunt, ne dentes fame et frigore mihi semper concutiantur. — Pro voce *assentandum* Lambinus volebat *assentiendum*, ita tamen pronunciandum, ut sit quattuor syllabarum. Magis arridet lectio a Maximo Victorino p. 1948. Putsch. Tom. I, 279. ed. m. servata, ubi est: *Assentiendum est, quicquid hic mentibitur;* omisso *Et*. *Mentibitur* forma prisca, ut *servibo*, *scibo* et multa alia.

V. 36. Miles cogitatione defixum fuisse se fingit atque interea oblitum, quod dicturus erat antea. Etiam hoc accommodate ad mores hominis vanissimi pingendos. *Quid illud, quod dico.* Quidnam illud fuit, quod eram dicturus? Was wollt' ich doch gleich sagen. Notissimae sunt formulae: *illud dico*, pro *dicere volui*; *illud dixi* pro *dicturus fui*; *quidnam dixisti* pro *dicere voluisti*, et permultae similes. — *Scio iam, quid vis*; pro eo, quod dicendum erat: *scio — quid velis.* Sed videntur duo membra sermonis in unum hic conflata esse. Itaque primum quidem dicebant: *quid vis? scio.* Deinde, ut fieri solet in sermone communi, uno tenore et coniuncte dicebant *scio quid vis.* Atque eadem est ratio formularum: *Nescio, quid est*; *scin', quid volumus. Loquere, ubi est*; *eloquere, quid tibi est.* Ad eandem normam possunt explicari huiusmodi formulae: *Sentio, quam rem agis*; *video, quam rem agis.* Tenendum tamen, indicativum in his formulis ubique habere aliquam confidentiae, vel certae persuasionis notionem, ut non idem plane significent *scio, quid velis*, et *scio, quid vis.* — *Vis rogare*; visne milites conducere? Milites enim, maxime mercenarii, *rogari* dicebantur, cum scriberentur. Rogabantur autem proprie de sacramento dicendo, unde formula originem duxit. Liv. XXXII, 26. *Cum quinque legatis profectus, obvios in agris sacramento rogatos arma capere et sequi cogebat.* Ad hunc igitur usum *tabellae* etiam et *stilus* spectant. Vult enim miles, ut extrema hac scena patet, in forum accedere ibique voluntarios conscribere. V. 41. Vulgo legitur: *ut praevolet mihi, quo tu velis.* Ubi structura est: *Decet me curam adhibere, ut haec* (cura) *mihi praevolet, quo tu velis* scil. volare vel pervenire. Quae ratio librorum scripturae accommodata est. *Mihi* a metro excluditur. Simili modo legitur Asin. II, 4, 79. *I nunc iam ad herum, quo vocas iam dudum, quo volebas.* — Ceterum quattuor proximos versus 38. 39. 40. 41. post v. h. sc. 71. reiectos volebat Danzius, quod veri specie non caret.

Py. Ecquíd meministi? *Ar.* Mémini. Centum in Cílicia,
Et quínquaginta céntum Sycolatrónidae,
Trigínta Sardi, séxaginta Mácedones,
Sunt hómines, tu quos óccidisti unó die.
Py. Quanta ístaec hominum súmma est? *Ar.* Septem míllia.
Py. Tantúm ésse oportet; récte rationém tenes.
Ar. At núllos habeo scríptos; sic meminí tamen.
Py. Edepól memoria est óptuma. *Ar.* Offa émonet.
Py. Dum tálem facies, quálem adhuc, assíduo edes;
Commúnicabo sémper te mensá mea.
Ar. Quid in Cáppadocia, ubí tu quingentós simul,
Ni hebés machaera fóret, uno ictu occíderes?
Py. At péditatus relíquiae erant, si víverent.

V. 42. Alia sua egregia facinora a parasito memorari vult miles. *Sycolatronidae* fictum vocab. a σῦκος et *latro* compositum. Recte notat Koepkius in notis ad vern. transl. huius fabulae, respicere poetam hac voce fingenda simul ad famosum Sycophantarum nomen. Recenset parasitus numerum hominum a milite uno in proelio occisorum; et interrogatus ab illo, quanta sit summa, immensum auget, laudatus a milite, qui rationem comparere ait. Verba *offa emonet* ad spectatores conversum dicere parasitum, ultro patet. Vulgo: *Offa me monet.* In Codd. V. Cam. et Dec. est: *Offae monet.* Cf. Kampmann. in Annott. in Plauti Rud. pag. 2. Hiatus in brevi syllaba finali voc. *optuma. Monet, memorem facit, memoriam suggerit.* Sic Dousa Plaut. expl. III, 7, producens versum e Curculione: *nil tu me saturum monueris.* — *Dum talem facies.* De industria videtur poeta omittendo pronomine ambiguitatem quaesivisse. Prout enim vel *te* vel *me* subintelligas, vel parasitum, vel se ipsum ridendum praebet miles.

V. 52. Iucundissime ad aures parasito acciderunt, quae miles de mensa sua promiserat. Ergo altius etiam assurgit praeco et impudentius mentitur. *Ni hebes machaera foret — occideres.* Displicet imperfectum tempus Dousae Plaut. expl. III, 7. Unde coniicit *occideras*, pro *occidisses.* Sed recte opponit Sciopp. susp. lectt. V, 7. locum h. sc. supra lectum v. 28. *Pol si quidem conisus esses — transmitteres.* Etiam *foret* pro *esset* persaepe apud Plautum. Velut Bacchid. IV, 8, 75 seqq. qui locus nostro huic simillimus est ideoque totus huc pertinet: *Nam ni illic hodie forte fortuna hic foret; Miles Mnesilochum cum uxore opprimeret sua, Atque obtruncaret moechum manifestarium.* Sed cf. quae supra exposuimus ad Captiv. III, 4, 5.

V. 54. *At peditatus reliquiae erant, si viverent.* Servavi vulgatam lectionem, quae omnibus diligenter pensitatis optime habere videbatur. Militi tamen attribuenda verba existimavi. Bothii emendatio, qui verba eidem tribuit: *At peditis delicia erant; sivi viverent*, et metro laborat, et prorsus arbitraria est. Voc. *peditatus* satis defenditur Codd. lectione *peditas*, quod nihil est, nisi compendium pro *peditatus.* Pro voce *reliquiae* in Codd. est *teluquiae*, quod qui in *reliquiae* mutarunt, pol magis sapierunt, quam Bothius. *Si viverent* pro eo, quod dicendum erat: *nisi et hae* (reliquiae) *occisae essent.* Dixerat Artotrogus: tu quingentos

Ar. Quid tibi égo dicam, quod ómnes mortalés sciunt,
Pyrgópolinicem te únum in terra vívere
Virtúte et forma et fáctis invictíssumis?
Amánt te omnes múlieres, neque iniúria,
Qui sis tam pulcher; vél illae, quae here pállio
Me réprehenderunt. *Py.* Quíd here dixerúnt tibi?
Ar. Rogitábant: Hiccine Achílles est, inquít, tibi? —
Imo éius frater, ínquam. — Innuit áltera;
Ergó mecastor púlcher est, inquít mihi;
Et líberalis. Víde, caesaries quám decet!
Nae illaé sunt fortunátae, quae cum istó cubant!
Py. Itane aíbat tandem? *Ar.* Quaé me ambae obsecráverint,

---

ibi simul occideres, nisi hebes machaera esset. Non igitur hic negat, occisos esse istos quingentos, sed potius affirmat; hoc tantum negat, uno ictu occidi potuisse. Iam reponit miles: nisi isti quingenti et ipsi occisi essent, erant peditatus reliquiae. Totus enim peditatus ita a me attritus erat, ut illi quingenti soli essent reliqui. Es waren dies die Ueberreste des Fussvolkes, wenn sie am Leben geblieben, wenn sie nicht auch noch getödtet worden wären. Sic omnia plana sunt.

V. 58. *Amant te omnes.* Pron. *te* non liquescit. Cf. Asin. II, 2, 33. Cas. I, 1, 2. Ibid. I, 1, 49. Asin. III, 2, 35. 37. *Neque iniuria.* Vulgo *neque hercle iniuria*; sed *hercle* metrum a se segregat. *Vel illae* Vulgo *ut vel illae*, metro turbato. *Ut* nihil aliud quam bis positum *vel*. Nam ita per compendium scribitur *vel*. *Quae* hiat, ut saepe. *Inquit*, una illarum, quod e seqq. patet. *Tibi* familiaris est sermonis, cum aliquem veluti in societatem assumimus vel evocamus. Res nota. Ist dir das nicht ein wahrer Achill? *Innuit altera.* Vulgo *innuit illarum altera.* Sed *illarum* appositum est ab eo, qui versui metueret, non videns, *inquam* ob plenam distinctionem non elidere ultimam. *Ergo* i. e. certo, revera, ut saepe. Cf. Dousa Plaut. expl. III, 7. Addo Cic. pro Quinct. 15. *Ergo hercle cuius bona ex edicto possidentur, huius omnis fama et existimatio cum bonis simul possidetur.* Idem saepe valet in responsionibus. Veluti Terent. Andr. V, 2, 9. *Mihi? Tibi ergo.* Et est haec nativa vocabuli notio. Cf. Handii Tursellin. s. v. *Vide caesaries.* Vulg. *visus*; *caesaries*, ita ut verbum *visus* ad praecedentia referatur. Sed edd. veteres plures *vide*, et Codices: *vida et caesaries.* — Ceterum *vide* pyrrhichius, ut saepe. Cf. Captiv. III, 4, 52. *Itane tandem.* Hoc genus loquendi usurpabant, cum interrogabant ea de re, quae admirationem atque molestiam afferret. Sic Terent. Heaut. V, 2, 1. *Itane tandem quaeso est? — Quaene ambae.* Sic Sciopp. suspectt. lectt. V, 7. quod explicat ipse: *de illisne quaeris, quae ambae rogarunt*; *mirumne est, quod dico, quum illae ambae me obsecraverint.* Atque ita saepe Plautus. Cf. Epidic. V, 2, 54. *Quamne hodie per urbem uterque sumus defessi quaerere?* Curcul. extr. *Quodne promisisti?* Amphitr. II, 2, 65. *Quaene vigilans somniat?* Cf. quae paullo ante diximus ad h. sc. v. 13. Sed in V. C. Cam. et D. legitur *Quae me*, quod restituendum erat. *Illa* e codd. teste Scioppio suspectt. IV, 7. Vulgo *illac.* — Conqueritur miles de incommodis, quae sibi afferat nimia sua pulchritudo. Quibus

Ut te hódie quasi pompam ílla praeterdúcerem?
Py. Nimia ést miseria, púlchrum esse hominém nimis.
Ar. Moléstae sunt mihi; órant, ambiunt, óbsecrant,
Vidére ut liceat; ád sese arcessí iubent:
Ut tuó non liceat óperam dare negótio.
Py. Vidétur tempus ésse, ut eamus ád forum,
Ut ín tabellis quós consignavi híc heri
Latrónes, hibus dínumerem stipéndium.
Nam Réx Seleucus me ópere oravit máxumo,
Ut síbi latrones cógerem et conscríberem;
Regi húnc diem mihi óperam decretum ést dare.
Ar. Age, eámus ergo. *Py.* Séquimini, satéllites.

ACTVS II. SCENA I.

Palaestrio.

Mihi ad énarrandum hoc árgumentum est cómitas,
Si ad aúscultandum vóstra erit benígnitas.
Qui autem aúscultare nólit, exsurgát foras,
Ut sít, ubi sedeat ílle, qui auscultáre volt.
Nunc, qua ássedistis caúsa in festivó loco,

---

subiicit parasitus sibi quoque miseriam inde ortam. In verbis *pulchrum esse* syllaba finalis *um* non eliditur; de qua ratione vide quae diximus ad Plaut. Capt. III, 5, 8. Conferenda etiam sunt, quae exposita sunt in limine operis huius in vet. prosod. In seqq. voc. *ambiunt* disyllabum est, ut supra Captiv. III, 5, 5. *sarriunt*. Ibid. III, 5, 66. *effodiunt;* de quo synizesis genere exposuimus in vet. prosod. qui locus est conferendus.

V. 72. Iam abeundum decernit miles. Vulgo *ibus*, quod quum priorem corripiat, scribendum *hibus*, prima producta, pro *his*. — Ceterum hunc versum citat Nonius iisdem verbis pag. 486; nisi quod *denumerem* in nostris ibi exemplaribus legitur, quod exhibet etiam V. C. Cam. *Nam rex Seleucus.* Hic et qui proxime sequitur versus sic citatur a Servio ad Virg. Aen. XII, 7. *Nam rex Seleucus me opere oravit maximo Ut ei adconducerem milites et conscriberem.* Quae diversitas, si lectio apud Servium certa est, inde orta videtur, quod quum *sibi* ab imperito aliquo in *ei* mutatum esset, versus non amplius constaret, unde mutatione etiam in reliquis opus videbatur.

Act. II. Sc. I. Procedit Palaestrio prologum oraturus, qui totius fabulae enarrationem continet. Prologus post primam demum scenam, ut alibi apud Plautum. De qua re conferatur G. H. B. Wolf. in scripto scholastico de prologis Plautinis anno cIↄIↄcccxII emissa p. 14. *Comitas* proprie h. l. dicitur, de prompta ad loquendum facilitate et hilaritate. *Vestra erit;* pro eo, quod dicendum erat: *vobis erit;* si vos habebitis, praestabitis benignitatem. *Locus festivus* est hilaris, hilarationi animi destinatus. *Festivitas* loco tribuitur etiam a Plinio ep. II, 17. ubi *festiva area;* atque ab ipso Plauto Pseud. V, 1, 9. *Loco*

Comoédiai, quám modo acturí sumus,
Et árgumentum et nómen vobis éloquar.
Alázon Graece huic nómen est comoédiae;
Id nós Latine Glóriosum dícimus.
Hoc óppidum Ephesumst; índe miles, méus herus,
Qui hinc ád forum abiit, glóriosus, ímpudens,
Stercóreus, plenus périuri atque adúlteri,
Ait sése ultro omnis múlieres sectárier.
Is déridiculust, quáqua incedit, ómnibus;
Itaque híc meretrices, lábiis dum ductánt eum,
Maiórem partem vídeas valgis sáviis.
Nam ego haúd diu apud hunc sérvitutem sérvio.
Id vólo vos scire, quómodo ad hunc devénerim
In sérvitutem ab eó, quoi serviví prius.
Date óperam, nam nunc árgumentum exórdiar.

---

festico festire accepti sumus. — *Comoediai.* Sic h. l. ex utroque Camerarii cod. teste Scioppio susp. l. IV, 7. scribendum erat. Ceterum hic genitivus frequentissimus apud Plautum, reponendus etiam aliquot locis, ubi nunc oblitteratus est. *Hoc oppidum Ephesumst.* Ita in codd. Camerar. testante Sciopp. IV, 7. quod similibus exemplis multis defenditur, sicut *mare Oceanum, flumen Rhenum, ostium Eridanum, Hellespontum pelagus.* Cf. Schneider. Formenlehre tom. I, p. 479 seq. Rectius tamen *Ephesum* mutato genere dici putes, ut *Tarentus* et *Tarentum*, *Pergamus* et *Pergamum*, *Saguntus* et *Saguntum*, *Epidamnus* et *Epidamnum*, *Epidaurus* et *Epidaurum.* Cf. idem Schneider. ibid. p. 478 seq. — *Inde* in continuata rerum enumeratione fere idem quod *tum.* Hoc igitur dicit: hoc oppidum Ephesus est; atque hoc primum vos scire volo. Tum miles, herus meus, ait cet. Vulgo legitur *idem est*, quod defenditur a C. Dec. *idem* exhibet V. C. Cam. Alii, velut Dousa, scripserunt *indidem*, h. e. Epheso. *Labiis ductare aliquem* est ore distorto et labiis extrorsum flexis irridere et contemtum significare. Simili modo Gellius XVIII, 4. *Tum ille rictu oris labiorumque ductu contemni a se ostendens.* Atque perpetuus iste labiorum ductus, quo irrident et contemnunt militem meretrices, effecit, ut istae ipsae vitium oris inde traxerint et iam maximam partem valgis sint saviis. *Valga savia* vulgo non recte explicant labia prave distorta. Nam nusquam invenias savia pro labiis. *Savia* proprie accipienda. Ex quo meretrices militem assiduo labiorum ductu rident et contemnunt, ipsa earum *basia* non amplius sibi constant, sed in deterius mutata sunt ac veluti aliam formam acceperunt. Ceterum citatur hic versus a Festo v. *valgus*, ubi vitiose: *vagi salis.* Cf. quae ibi notata sunt a me pag. 746. et a Müllero pag. 374. V. 18. Scioppius susp. l. IV, 7. in membranis esse ait *ad hunc convenerim*, pro vulgato *ad hunc devenerim.* Unde legendum suspicatur: *ad huncce venerim.* Sed *devenerim* legendum. Est enim *devenire* saepe fere idem, quod *tandem ad aliquem venire*; et alios sibi antea fuisse dominos hoc verbo significat Palaestrio. C. Dec. teste Pareo exhibet: *at huc convenirit.* — *Servitutem servire* cf. notata supra ad Capt. II, 3, 31.

Erat hérus Athenis míhi adolescens óptumus;
Is amábat meretricem árte Athenis 'Atticis,
Et illa íllum contra; qui ést amor cultu óptumus.
Is públice legátus Naupactum hínc fuit
Magnái reii públicai grátia.
Intéribi hic miles fórte Athenas ádvenit;
Insínuat sese ad íllam amicam herí mei,
Occépit eius mátri suppalpárier
Vino, órnamentis, ópiparisque obsóniis;
Itaque íntimum ibi se míles apud lenám facit.
Ubi prímum evenit míliti huic occásio;
Sublínit os illi lénae, matri múlieris,
Quam herus méus amabat; nám ĭs illius fíliam
Compégit in navem míles clam matrém suam,

V. 21. Iam argumentum ipsum exorditur prologus. *Arte amare* etiam Plinius dixit epist. II, 13. *Hunc ego, quum simul studeremus, arte familiariterque dilexi.* Ante Camerarium tamen legebatur *aeque.* In Codd. Camerarii legitur *meretrice matre* pro *meretricem arte*, unde *meretricem matre* effecerunt, quae vulgata est lectio. Quam quum in metrum peccare animadvertisset Bothius: *Is amat*, pro *is amabat*, sed male praesens tempus, cum statim dixisset *erat.* Nam quod Bothius firmandae emendationi subiicit: *quasi non amet amplius*, id nihili est. Non enim, *amabat* quum dicit, negat, herum nunc etiam amare, sed simpliciter hoc significat *tum amasse.* Imo male dixisset *amat*, nam nunc eum etiam amare, nihil ad rem. Nos dedimus Scioppii emendationem, quam putamus verissimam, proditam susp. lectt. V, 21. *Amor cultu optimus*, qui ad colendum est optimus. Dicitur enim *cultu optimus*, ut *aequum factu*, *mirabile visu* et complura eiusdem generis. *Magnai reii publicai* Atheniensis. *Magna reipublica gratiast.* V. C. Cam. et Dec. Sed in Dec. est *reipublicam.* In seqq. vulgo *Interibi ut hic*; alii *interim ut hic.* Sed *ut* perperam intruditur, nec habet, quo referatur. De locutione *os sublinere* exposuimus ad Captiv. III, 4, 123. *Quam herus meus amabat.* Bothii rationem, qui etiam h. l. scribit *amat*, versus redarguit. Quae sequuntur, sic sunt pronuncianda: *nám Ys illíus fíliam.* *Nam* non eliditur, ut saepissime. Cf. Merc. II, 2, 54. Trin. I, 1, 3. Eodem modo *Iam* Men. I, 3, 12. Ibid. II, 2, 53. *Quam* Pseud. III, 2, 90. et alibi saepe. — *Compegit* pro vulgato *coniicit* Pistor. retineri iussit, cum in C. Dec. esset *contegit*, et in V. C. *contigis*, ante Camerarium autem hoc ipsum *compegit* in editionibus legeretur. Nimirum *compingere in navem* optime huic loco conveuit, ad vim, qua usus sit miles, significandam et indicandas navis angustias molestiasque. Legitur autem apud ipsum Plautum hoc sensu, velut Menaechm. IV, 3, 17. *in oculos compingere* de re pretiosa, ubi est pro *asservare*, ponere loco munitissimo. Rud. IV, 4, 103. *in angustum locum compingere.* Et notissimum illud: *in carcerem compingere*, quod saepius apud Plautum legitur. *Clam matrem suam.* Pronomen possessivum h. l. contra vulgarem Latinorum consuetudinem usurpatum esse, patet. Nam *mater sua* potius de militis matre, quam de virgi-

Eámque invitam hanc múlierem in Ephesum ádvehit.
Ut amícam herilem Athénis avectám scio;
Ego quántum vivus póssum mihi navém paro,
Inscéndo, ut eam rem Naúpactum ad herum núntiem.
Ubi súmus provecti in áltum, sicut vóluerunt,
Capiúnt praedones návem illam, ubi vectús fui.
Prius périi, quam ad herum véni, quo ire occéperam.
Ille, quí me cepit, dát me huic dono míliti.
Hic póstquam in aedis mé ad se duxít domum;
Video íllam amicam herílem, Athenis quaé fuit.
Ubi cóntra aspexit me, óculis mihi signúm dedit,
Ne se áppellarem; deínde, postquam occásio est,

---

nis, intelligendum. Sed aliquoties ita pronomine *suus* usi inveniuntur Romani, saepius Plautus, sed tantum, ubi, quid spectet pronomen, non dubium est. Et videtur, quod patet e formulis, in quibus inveniri solet, ut *pater suus*, *mater sua*, et eiusmodi aliis, ad familiarem sermonem referenda esse haec ratio. Menaechm. prolog. 19. *uti mater sua non internosse posset.* Asin. III, 1, 26. *Si moriatur mater sua.* Terent. Hecyr. IV, 4, 38. *mater quod suasit sua adulescens mulier fecit.* Cicero. Inv. II, 17. *Hunc pater suus concilium plebis habentem de templo deduxit.* Propert. III, 8, 10. *Increpet absumtum nec sua mater Ityn.* Cf. Sanctii Minerv. II, 12 et ibi Perizonius.

V. 36. *Ut amicam herilem.* Transposui hunc et sequentem versum, Acidalium secutus, quum vulgo inverso ordine legantur. Tum *quantum vivus possum* cum Gronovio scribendum erat. V. C. Cam. *quantum citius p.* C. Dec. *quantum uiuus p.* atque ita corr. in V. C. Cam. Ceteri libri *quantum unus p.*, quod defendit Acidalius. Frustra. Notat autem *quantum vivus possum*, quantum summa virium contentione celerrime possum, ita tamen, ut non emoriar. Was ich aus Leibeskräften kann. — *Sicut voluerunt.* Secutus sum Bothium, qui *sicut* recepit ex editione principe, pro vulg. *idquod; voluerunt* autem certissima emendatione, nescio an sua, dedit, pro vulgato *volunt.* Ceterum *fit quod volunt* V. C. Cam. *sit q. volunt* C. Dec. *Fit* et *sit* male intellecto compendio pro *sicut; quod* ab iis insertum, qui compendium non intelligerent. Ignorabant librarii in v. *voluerunt* posse penultimam corripi. Inde orta depravatio. Cf. quae de huius correptionis usu diximus in v. prosodia. Ceterum formula *ut voluit* frequens apud Plautum, ubi aliquid ex sententia cessisse notatur. Amphitr. I, 1, 80. (85. ed. m.) *Denique ut voluimus, nostra superat manus.* Mercat. I, 1, 93. *Omnes, ut volui, vendidi ex sententia.* Et alibi saepius. *Perii.* Cf. quae notata sunt ad Captiv. III, 5, 32.

V. 43. *Me ad se.* Hiatus in *me*, de quo cf. quae diximus in vet. prosod. et supra ad h. fab. I, 1, 58. *Contra aspicere* est *prope, coram aspicere*, quae notio praepositionis *contra* non rara est; veluti *contra adire* Plaut. Rudent. I, 4, 22. *contra assistere* Pseud. I, 2, 23. *Ex hac domu.* Raro hic ablativus reperitur. Cf. Charis. I, p. 41. ed. Froben. (I, XV, 22. p. 24. ed. meae.) Priscian. VI, 16. tom. I, p. 278. Krehl. Pompei. Comment. p. 219. Adde quae exempla congessit Schneider. Formenl. I, p. 449.

Conquéritur mecum múlier fortunás suas;
Ait, fúgere sese Athénas cupere ex hác domu;
Sese íllum amare, méum herúm, Athenis quí fuit,
Neque péius quemquam odísse, quam istunc mílitem.
Ego quóniam inspexi múlieris senténtiam;
Cepí tabellas, cónsignavi clánculum,
Dedi mércatori, quí ad illum déferat,
Meum herúm, qui Athenis fúerat, qui hanc amáverat,
Ut is húc veniret. 'Is non sprevit núncium;
Nam et vénit et hic in próxumo devórtitur
Apud suúm paternum hóspitem, lepidúm senem.
Itaque ílle amanti suo hóspiti morém gerit,
Nosque ópera consilióque adhortatúr, iuvát;
Itaque égo paravi hic íntus magnas máchinás,
Qui amántis una intér se facerem cónvenas.
Nam unúm conclave, cóncubinae quód dedit
Milés, quo nemo nísi eapse inferrét pedem,
In eó conclavi égo perfodi párietem,
Qua cómmeatus ésset hinc huc múlieri.
Et séne sciente hoc féci; is consiliúm dedit.
Nam méus conservus ést homo haud magní preti,
Quem cóncubinae míles custodem áddidit;
Ei nós facetis fábricis et doctís dolis
Glaucómam ob oculos óbiiciemus eúmque ita

V. 52. *Inspexi sententiam.* Recte annotavit Lambinus, eodem modo *inspicere sententiam* dici, quemadmodum contra dicatur *ostendere alicui suam sententiam*, *aperire sententiam. Dedi mercatori, qui ad.* Hiatui in vv. *qui ad*, de quo vide quae notavi in pros. vet., mederi aggressus est Bothius, qui ita scripsit: *Do mercatori quoidam, qui ad* cet. Sed non opus est hac correctione. Ceterum de temporum consecutione cf. Plaut. Captiv. prol. 7. *Vt amittatur fecit.* Trin. prol. 15. *Dedi — exigat.* Amphitr. I, 2, 26. *Curavit, ut — fieret — ut absolvat.* V. 56. Vulgo: *et is in proxumo hic.* Sed nimirum offendit illud *is* ter in propinquo positum. Unde veteres editiones audiendae sunt, quae tertio loco *is* omittunt, et *hic* transponunt. Non dubium est, eiusmodi pronomina personalia ut alias minores voculas, ut captus ferebat librariorum, vel additas vel detractas saepe esse, in Plautinarum fabularum maxime contextu, ubi saepe ob sermonis quotidiani rationem aut brevior aut iusto uberior oratio esse videbatur. Exempla aliquoties iam dedimus. Ceterum *hic in proxumo* arcte iungenda sunt, ut *hic* sit loci adv. V. 61. *Facerem convenas;* efficerem, ut convenirent. Nihil aliud. *Nisi eapse.* Sic recte emendavit Turnebus. Antea scriptum erat: *nisi ea se inferret pede*, quod defendere studuit Dousa Plautin. expl. III, 8. versu Catulli allato (68, 70): *Quo mea se molli candida diva pede Intulit.* Frustra.

V. 65. *Commeatus.* Cf. supra ad Argum. I, 10. *Glaucomam.* Hunc et seq. versum affert Priscian IV, 2. tom. I, p. 222. Krehl.

Faciémus, ut, quod víderit, non víderit;
Et móx, ne erretis, haéc duarum hodie ín vicem
Et híc et illic múlier feret imáginem,
Atque éadem erit, verum ália esse assimulábitur.
Ita súblinetur ós custodi múlieris.
Sed fóris concrepuit hínc a vicinó sene;
Ipse éxit. Hic ille est lépidus, quem dixí, senex.

ACTVS II. SCENA II.

Periplectomenes. Palaestrio.

Pe. Ni hércle defregéritis talos pósthac, quemque in tégulis
Víderitis aliénum; ego vostra fáciam latera lórea!
Mí quidem iam arbitrí vicini súnt, meae quid fiát domi,

---

nullo discrimine, nisi quod quidam codices male: *ab oculis,* et: *ne videat.* Ceterum *Glaucoma* primae declin. ut *schema, dogma, diadema, syrma.* Cf. quae notavi ad Amphitr. prol. 117. *Glaucoma* autem est vitium oculorum, quo pupula glaucescit, unde visus impeditur. Tum fraudem et omne genus circumductionis notat. *Hodie invicem.* Ita scripsi cum Acidalio Divinatt. p. 279. Vulgo et in C. V. Cam. et Dec. *in* deest. *Bis repeti quidem duarum et iungi cum vicem simul et imaginem, durum est, neque sententia valde bona. Invicem autem i. q. per vices.* Haec Acidalius. *Ita sublinetur.* Vulgo: *ita sublinitum est*, quod pugnat cum structura reliquorum. Nondum enim deceptus erat Sceledrus, sed postmodo fit. Accedit, quod in omni hac oratione futuro tempore loquitur Palaestrio: *obiiciemus — faciemus — feret — assimulabitur.* Necessarium igitur est futurum etiam hoc loco. Neque repugnant Codd. V. Cam. et Dec. ubi *sublitores*; nam in V. Cam. est quidem *sublinitu'st*, sed a sec. m. nam initio fuit *sublitores*, quod fuit *sublitur os*, h. e. *sublinetur os.* Vulgatum defendit Sciopp. suspectt. lectt. I, 12. allato Plauti Mercat. loco II, 4, 17. ubi Codd. Camerar. *sublinire* exhibere dicit. Sed primum ita difficultas temporis non tollitur, ac deinde loco illo Merc. metrum non patitur legi *sublinire*, nisi verba transposueris. Quanquam non nego, *sublinire* Latinum esse. *Foris* nom. sing. ut saepe apud Plautum. Cf. Parei lex. Pl. h. v. *A sene.* Cf. quae paullo post diximus ad v. 5 scenae sequentis.

Act. II. Sc. II. Domo sua exit Periplectomenes, et quum aliquem de servis vicini militis de tegulis in suas aedes introspicientem vidisset, quem probabile erat, vidisse Philocomasium apud amasium suum, vehementer timet, ne res palam fiat. Primum autem servis edicit, ne patiantur porro aliquem in tectum ascendere; deinde cum Palaestrione machinas ad rem porro celandam struit. *Quemque* pro eo, quod usitatius dicitur *quemcunque*, ut saepe *quandoque* pro *quandocunque.* Idem mox recurrit: *quemque a milite hoc videritis. Latera lorea* sunt latera virgis tantopere caesa, ut *cutis* quasi in *lora* scissa videatur. Sic recte Turneb.

V. 3. *Arbitri vicini sunt, quid fiat.* Male Sciopp. suspectt.

'Ita per impluvium íntrospectant. Núnc adeo edico ómnibus:
Quémque a milite hóc videritis hóminem in nostris tégulis
'Extra unum Palaéstrionem, huc déturbatote ín viam.
Quód ille gallinam aút columbam sé sectari aut símiam
Dícat; disperístis, ni usque ad mórtem male mulcássitis!
'Atque adeo, ut ne légi fraudem féccrint taláriae,
'Accuratote, út sine talis dómi agitent convívium.
Pa. Néscio quid maleféctum a nostra huic família est, quantum aúdio;
'Ita senex talós elidi iússit conservís meis.
Séd me excepit; níhili facio, quíd illis faciat céteris.
Adgrédiar hominem. 'Estne advorsum? 'Est quasi.

---

lectt. e Cod. restituendum censet: *A. v. sciunt, quid fiat.* V. C. Cam. a pr. m. *vicis eunt*, sed postea correctum *vicini sciunt*, quod ipsum est in Cod. Dec. *Arbitrum esse* h. l. idem est, quod *arbitrari*, i. e. prospicere, speculari. Cf. quae supra diximus ad Captiv. II, 1, 28. De *impluvio* cf. Varro de L. L. IV, p. 38. Adde Stieglitz. Archaeol. der Baukunst tom. III, p. 172, et nuperrimum librum G. F. F. Ruperti: Handb. der röm. Alterth. tom. I. p. 280 sqq. *A milite* pro genitivo accipiendum videbatur Dousae, sicut in Gallica et Belgica lingua genitivus per praepositionem circumscribitur. Minime vero. *A milite* est, ut saepe, de familia militis, e domo militis. Sic supra scen. antec. v. 76. *Foris concrepuit a vicino sene*, h. e. e domo vicini senis. Adde: *Qui amant a lenone* Pseud. 1, 269. i. e. puellam e domo lenonis. Atque uti dicitur *ad me*, pro eo, quod est *domum meam*; sic contra *a me*, hoc est, *domo mea. Quod ille gallinam — disperistis* — Oratio homini irato conveniens, quae re magis et cogitatione, quam verborum structura cohaeret. Ceterum recte Muretus explicavit: Quantum ad illud attinet, quod is caussari velit, se gallinam cet., quae domo aufugerit, persequi, nullam accipio caussam; actum est de vobis, nisi ad mortem eum verberaveritis. *Legi fraudem facere*, inquit Dousa, est peccare in legem. Non satis recte. Est enim potius: *fraude legem migrare, legem dolo eludere. Lex talaria* non dicitur lex de talorum lusu vetando a civitate promulgata, sed est ratio et norma talis ludendi, lusui praestituta. Hoc igitur dicit facetus senex: Ut in posterum, cum inter convivia talis ludere velint, se invicem defraudare nequeant, adimite iis talos pedum, si tectum nostrum iterum ascendunt. locus est in ambiguitate vocis *tali.* Tum ut grandia et magnifica redderet verba in sententia levi, *legi talariae* scripsit, tanquam sermo esset de publica quadam civitatis lege. Cf. Sciopp. Veris. II, 4. V. 14. *Estne advorsum?* Tenui vulgatam lectionem a Codd. confirmatam. Lambinus tamen in uno cod. invenerat addita in fine versus verba: *collaturus pedem*, sed a manu correctoris. Reliqua alii aliter emendare studuerunt. Nihil opus est emendatione. Hiatus commode se tuentur. *Advorsum esse*, ut *advorsum fieri*, ἐναντίον γενέσθαι, pro *advorsum venire, obviam ire. Quasi* significat: *ut videtur, ut coniicio.* Sic supra Captiv. II, 2, 36. *Videlicet propter divitias inditum id nomen q u a s i est*; ubi hoc notare omisimus. Versus autem hic est iambicus, interpositus trochaicis, ut aliquoties notavimus alibi.

Quíd agis, Periplectómene? *Pe.* Haud multos hómines, si optandúm foret,
Núnc videre et cónvenire, quám te, mavellém. *Pa.* Quid est?
Quíd tumultuás cum nostra fámilia? *Pe.* Occisí sumus!
Pa. Quíd negoti est? *Pe.* Rés palam est. *Pa.* Quae rés palam est? *Pe.* De tégulis
Módo nescio quis ínspectavit vostrórum familiárium
Pér nostrum impluvium íntus apud nos Phílocomasium atque hóspitem
'Osculantis. *Pa.* Quís homo vidit? *Pe.* Túus consérvus. *Pa.* Quís is homo est?
Pe. Néscio; ita abripuít repente sése subito. *Pa.* Súspicor,
'Mé perisse. *Pe.* Ubi abít, conclamo: Heus, quíd agis tu, inquam, in tégulis?
'Ille mihi abiens íta respondit, sé sectari símiam.
Pa. Vaé mihi misero, quoí pereundum est própter nihili béstiam!
Séd Philocomasium híccine etiam núnc est? *Pe.* Quom exibam, híc erat.
Pa. Sís, iube transíre, quantum póssit, se ut videánt domi
Fámiliares, nísi quidem illa nós vult, qui serví sumus,
Própter amorem suum ómnis crucibus cóntubernalís dari.
Pe. Díxi ego istuc, nísi quid aliud vís. *Pa.* Volo. Hoc dícito,
Prófecto ut ne quóquam ingenio dégrediatur múliebri;
'Artem et disciplínam obtineat ét colorem. *Pe.* Quemádmodum?

V. 15. Vulgo: *si optandum fuerit.* V. 17. Repertus nuper ab Angelo Maio in Codice Plauti rescripto. Cf. Osann. Anal. Critic. p. 215. *Tumultuare* quum absolute dicitur, est tumultum excitare, facere. *Tumultuari* in tumultu, in perturbatione esse. *Tumultuare cum aliquo* propr. tumultum facere in aliquem. Sic Livius XXI, 16. *Cum Gallis tumultuatum verius, quam belligeratum est.* — *Nescio* h. l. disyllabum et aliquoties postea; *inspectavit* tribus syllabis pronunciandum, ita ut duo posteriores per synizesin iungantur. V. 21. *Tuus conservus*, unus e tuis conservis. Unde reponit Palaestrio: *quis is homo est?* Vulgo: *tuus conservos est.* V. 23. Verba *in tegulis* abesse dixerat Gronovius a Codd. et editionibus antiquis. Verum leguntur in Codd. V. C. et Dec. et vero etiam reperta sunt ab Angelo Maio in Cod. rescripto. *Quoi pereundum est.* Timet enim ne, si miles rem rescisset, in persequenda simia patefactam, pessimis modis periturus sit. V. 27. *Iube* h. l. ultima producta. *Huc* post *transire*, omisi iubente Codice Maii. *Quantum possit.* Cf. notata ad Trin. III, 3, 37. — V. 30. *Volo. Hoc dicito.* Ultima in *volo* non eliditur. Cf. de hiatu quae praefati sumus in vet. Prosod. V. 31. Omisi praep. *de* ante *ingenio*, quae metrum pessundat, iubente etiam Osanno Anal. cr. p. 216. Ceterum etiam hic versus e Cod. rescripto reductus est ab Angelo Maio. V. 32. Vulgo: *paret artem et disciplinam, obtineat colorem.* Libri veteres fluctuant inter *Earumque* et *Parumque* pro *paret.* Mihi non dubium est, vulgatum *paret* pariter atque Codd. illud *earumque* ex interpretamento orta esse. Nec convenit metro ulla

Pa. 'Ut eum; qui se hic vídit, verbis víncat, ne iste víderit;
Síquidem centiéns hic visa sít, tamen infitiás eat.
'Os habet, linguám, perfidiam, málitiam atque audáciam,
Cónfidentiám, confirmitátem, frauduléntiam;
Qui árguat se, eum cóntra vincat iúreiurandó suo.
Dómi habet animum fálsiloquum, falsíficum, falsiiúrium;
Dómi dolos, domi délenifica fácta, domi fallácias.
Nám mulier olitóri nunquam súpplicat, si qua ést mala;
Dómi habet hortum et cóndimenta ad ómnis moles máleficas.
Pe. 'Ego istaec, si erit hic, núntiabo. Séd quid est, Palaéstrio,
Quód volutas túte tecum in córde? *Pa.* Paulispér tace,
Dúm ego mihi consília in animum cónvoco et dum cónsulo,
Quíd agam, quem dolúm doloso cóntra conservó parem,
Qui íllam hic vidit ósculantem, id vísum ut ne vísum siet?
Pe. Quaére; ego hinc abscéssero abs te huc ínterim. — Illuc, sís, vide,
Quemádmodum astitít, severa frónte curas cógitans!

---

istarum lectionum. Igitur veram restitui, omissa voce ante *artem*, ita ut verbum *obtineat* ad tria substantiva referendum sit. *Obtinere artem et disciplinam* est de artibus consuetis et exercitatione in dissimulando non decedere. *Obtinere colorem*, ut recte Lambinus explicat, non mutare colorem, non erubescere neque pallescere, sed semper eodem vultu esse. In fine versus ante v. *quemadmodum* vulgo legitur *hei*, vel ut alii, *et*, utrumque ortum ex nota personae voci praefixa. V. 33. *Ne iste viderit;* e Cod. Maii est; vulgo *ut ne viderit.* In Codd. V. Cam. et Dec. est: *uincta ne* sive *uinctamne esse viderit.* Ex eodem Cod. est *hic*, quod vulgo desideratur. V. 35. *Os habet;* impudentiam, cuius sedes *fronti* quoque tribuitur. *Linguam*, mentiendi facultatem. *Domi habet*, non aliunde quaerenda sunt; ipsa possidet. *Translatum a consuetudine foris rogandae supellectilis, quam domi desideres.* Gesn. in thes. *Nam mulier olitori.* Imago ducta est a coenae apparatu. Numquam, ait, condimenta ad machinas suas et technas *ab olitore* h. e. aliunde petit. Ipsa enim domi habet paratque, quibus opus est ad decipiendos homines. *Moles maleficas* emendatio est Scioppii susp. lectt. V, 21. e Codd. Addit ipse, *moles* dictas pro machinis, dolis. *Moliri* enim saepe i. q. machinari. Vulgo legitur: *ad omnes mores maleficos.* Sed V. C.
e a
Cam. *ad omnes molis malificos.* Dec. *ad omnes molis milificos.* Cod. Lips. *ad omnes molis melifica.* atque ita Ed. pr. Primus Camerarius vulgatam *ad omnes mores maleficos* introduxisse videtur. V. 44. *Dum ego.* Prius non eliditur. Cf. de elisione in vet. Pros. V. 45. *Contra — parem*, haec iungenda. Est enim *contra* h. l. adverbium, a verbo suo disiunctum. V. 48. Dixerat Palaestrio, se deliberaturum secum, quo pacto conservo suo fucum faciat. Iam secedit paullum Periplectomenes, vel potius procedit in scena ad spectatores propius. Et dum ille tacite cogitat, ipse Periplectomenes vultum, statum et omnes gestus Palaestrionis

Péctus digitis púltat; cor, credo, évocaturúst foras.
'Ecce avortit; níxus laevo in fémine habet laevám manum;
Déxtera digitís rationem cómputat; ferít femur
Déxtrum; ita, veheménter quod facto ópus est, aegre súppetit.
Cóncrepuit digitís; laborat. Crébro commutát status.
'Eccere autem cápite nutat! Nón placet, quod réperit.
Quícquid est, incóctum non exprómet; bene coctúm dabit.
'Ecce autem aedificát; columnam ménto suffulsít suo.
'Apage, non placét profecto mi ílla inaedificátio!
Nam ós columnatúm poetae esse índaudivi bárbaro,
Quoí bini custódes semper tótis horis áccubant.
Eúge, euscheme, hercle, ádstitit, et dúlice et comoédice!
Núnquam hodie quiéscet, priusquam id, quód petit, perfécerit.

---

cogitabundi spectatorum risui depingit. De futuro exacto *abscessero* cf. quae notavimus ad Captiv. II, 2, 64. *Curas cogitans* explicare studet Dousa, collato Virgilii loco e Georg. I, 462. *quid cogitet humidus auster*, ita quidem, ut dicat, *cogitare* esse frequentat. a *cogere; curas cogere* igitur dixerit Plautus veluti in unam compellere, curas una pariter cum supercilio adducere. Male quidem. *Curas cogitare* dicitur ut *fraudem* cogitare, h. e. fraudem animo volvere. Igitur *severa fronte curas cogitare* est agitare secum curas, idque ostendere frontis severitate. *Ecce avortit*, pro avortitur, ut saepe. *Nixus laevo in femine.* Sic puto emendandum esse; vulgo: *nisus laeva, in femine* cet. quibus idem bis dicitur. *Nixus* e Cod. rescripto A. Maii. *Ferit femur.* Ex eodem cod. recepimus, sic per asyntheta commodius orationem decurrere putantes. Vulgo *feriens femur.* In proxime seqq. magna obtinet lectionis varietas. Nos secuti sumus Acidalii sententiam. *Femur ferit*, per desperationem fortasse; adeo *aegre suppetit*, quod vehementer est *facto opus.* Codd. exhibent: *quod acta aegre suppetit.* Vulgo: *quod tactu aegre supp.* Verba *opus est* primus Lambinus videtur recepisse, sed idem ab Acidalio probatus. A. Maii Cod. rescriptus ita scriptum habet: *ita vehementer, sed quod agat aegre suppetit.* Quae non minus sunt vitiosa, quam reliquorum librorum lectiones. *Eccere.* Cf. quae de hac particula diximus ad Trin. II, 2, 111. *Incoctum — coctum;* non crudum sed maturum, bene praeparatum. Translatio facta a cibo, quem coqui ex olla non expromunt, nisi coctum. V. 59. *Poetam barbarum* intelligendum esse Latinum, eumque *Naevium*, auctor est Festus, v. *Barbari*, ed. meae pag. 29. 351. Fortasse Naevius ob maledicentiam, qua Metellos aliosque nobiles Romanos laeserat, illo tempore, cum hanc fabulam doceret Plautus, in custodia publica fuit. Cf. Gellius III, 3. Eum igitur his versibus commendat populi benevolentiae ac misericordiae. *Os columnatum* est os brachio subnixum, in signum moeroris. *Totis horis*, quot horis, omnibus horis, semper. Formula rara. Sed *toti* pro omnibus aliquoties. Sic Stat. Thebaid. I, 81. *totos nepotes.* Virg. Eclog. I, 11. *Undique totis agris.* Cf. Casaubonus ad Spart. Sever. p. 270. *Euscheme*, εὐσχήμως. Cf. Trin. III, 1, fin. *dulice*, δουλικῶς, ut *comici servi solent.* Cf. supra Captiv. IV, 1, 11. Hoc igitur dicit, servum personam servi comici praeclare

Hábet, opinor. 'Age, si quid agis; vígila, ne somnó stude,
Nísi quidem hic agitári mavis várius virgis*
Tíbi ego dicam, fériatus ne sís; heus, Palaéstrio!
Vígilá, inquam! expergíscere, inquam! lúcet hoc, inquam!
Pa. Aúdio.
Pe. Víden' hostis tibi adésse tuoque térgo obsidium? Cónsule!
'Arripe opem auxiliúmque ad hánc rem! Própere hoc, non placidé, decet.
'Antemoeni aliquá nos; tum autem círcumduce exércitum!
Cúrre in obsidiúm perduellis; nóstris praesidiúm para!
'Intercludé inimícis commeátum; tibi muní viam,
Quá cibatus cómmeatusque ád te et legionés tuas
Túto possit pérvenire! Hánc rem age, res subitária est.
Réperi; comminíscere; cedo cálidum consiliúm cito;

agere, egregie repraesentare astutum in Comoedia servum. *Age, si quid agis.* Oratio eorum, qui enixe hortantur et urgent. Saepius sic apud Plautum, veluti Stich. V, 4, 33. et 35. Simili modo dicitur *bibe, si bibis.* Ibid. V, 4, 28.

V. 64. Videbatur Palaestrio quod quaesierat consilium invenisse, quare gestus eius factus quietior tranquille cogitantem repraesentabat. Ergo timere se simulans Periplectomenes, ne animo non satis intento rem agat, hortatur eum, ut vigilet et diligenter cogitet. Ceterum hic locus valde dubius. Primum v. 63. vulgo: *varius virgis: vigila!* metro nullo. Deinde, quae sequuntur vulgo ita leguntur: *Tibi ego dico, au, feriatus ne sis; hem te alloquor Palaestrio.* Sed Codd. V. Cam. et Dec. exhibent: *Tibi ego dico an heriatus ucstis heus te adloqui* (Dec. *atloqui*) *Palaestrio.* Cam. in Cod. V. se legisse testatur: *anheriatus nescis.* Vix dubium est, quin verum viderit Car. Herm. Weisius in nupera Plauti editione, qui vv. *vigila* et *te alloquor* pro interpretamentis habet. *Vigila* ex supp. otiose repetitum vocabulum genuinum expulit. *Te alloquor (alloqui)* ad v. *heus* adiecta postea in contextam orationem illata sunt. Ergo prior versus mancus est; fortasse *ulmeis* scriptum fuit, id quod Weisius non abs re coniecit. Alter versus iustam habet mensuram, si vv. *te alloquor* omittuntur, quod ipsum emendationem confirmat. — *Lucet hoc.* Impersonale addita persona, neutro pronominis; plane ut Germani dicunt *es tagt.* Sic Terent. Heaut. III, I, 1. *Luciscit hoc iam.* Cf. Faernum et Ruhnkenium ad hunc Terent. locum. *Propere hoc decet* omissus in loquendi ardore infinitivus, *agi* vel simile verbum. *Antemoeni aliqua nos;* sic cum Putschio dedi; vulgo enim: *Antevenito aliqua aliquos.* Sed Codd. constanter *ante moenia* exhibent. Reliqua de coniectura dedi, cum vulgo esset *aut tu.* Primum enim *antemunire* iubet, deinde exercitum *circumducere* et in insidiis locare. *In obsidium currere* est properare, ut hostem obsideas. *Perduellis*, pro perduellium, ut *hostis* saepe pro *hostium.* Ceterum *perduellis* h. l. est trisyllabum. V. 70. Pessimo rhythmi genere Guil. Ad. Beckerus, V. Cl., professor Lipsiensis, in scripto peculiari: Antiquitatis Plaut. generatim expl. Part. I. pag. 15. sic pronunciandum hunc versum statuit: *'Interclúdito ínimicís commeátum; tibi* cet.

V. 72. In voce *pervenire* ultima syllaba non eliditur, ob ma-

Quae híc sunt visa, ut vísa ne sint; fácta infecta utí sient.
Mágnam illic, homo, rem íncipissis; mágna moenis moénia!
Túte hoc si unus récipere ad te dícis; confidéntia est,
Nós inimicos prófligare pósse. *Pa.* Dico et récipio
Pe. 'Et ego te impetráre dico id, quód petis. *Pa.* At te Iúpiter
Béne amet! *Pe.* At tu impérti, amice, mé, quod commentú's. *Pa.* 'Tace,
Dum ín regionem astútiarum meárum te induco, út scias
Iúxta mecum méa consilia. *Pe.* Sálva sumes índidem.
Pa. Hérus meus elephánti corio círcumtentust, nón suo,
Néque habet plus sapiéntiae, quam lápis. *Pe.* Egomet istúc scio.
Pa. Núnc sic rationem íncipissam, hánc instituam astútiam,
'Ut Philocomasio hánc sororem géminam germanam álteram,
Dícam Athenis ádvenisse cúm amatore aliquó suo,

---

iorem distinctionem. *Calidum consilium*, quod subito animi fervore paritur, non diu consultum. Sic Plaut. Mostell. III, 1, 31. *calidum mendacium*. Bacch. IV, 4, 4. *calidi doli*. Epid. I, 2, 39. *calidae minae*. V. 75. Pro *incipissis* in Codd. V. Cam. et Dec. invenitur *incipis sed*, et v. 77. pro *posse* ibid. *possit*, sicut v. 84. pro *incipissam*, ibid. legitur *incipissem*. Ex quibus patet, terminationes verborum in Codd. ex non intellectis scribendi compendiis ortas esse. Ad verba *dico et recipio* vulgo additur *ad me*, metro vitiato. Manifestum est, hanc vocem ex supp. huc esse repetitam, ut fieri solet. *Impetrare dico.* Vulgo *impetraturum*. Sed versus praesens requirit, quod iam Gruterus e MSS. Camerarii reposuit. V. 79. *At tu imperti, amice, me quod.* Vulgo: *At imperti, amice, me quod*, omisso *tu*. Sed Codd. V. Cam. et Dec. *Aut inparte mici pare me quod*, in quibus *pare* male repetitum ex supp. Ceterum verbi *impertire* similis structura est in Pseud. I, 5, 41. *Herum saluto primum, ut aequomst; postea Si quid superfit, vicinos impertio.* Struitur autem plerumque cum accusativo rei et dativo personae, item cum accusativo personae et ablativo rei. *Iuxta mecum.* Ex antiquissimo part. *iuxta* usu patet, nil nisi adverbium fuisse, notans *aeque, similiter*. Sic Plaut. Pseud. IV, 7, 62. *iuxta cum ignarissimis nescire*. Pers. II, 2, 67. *iuxta tecum, si tu nescis, nescio.* Adde Pers. IV, 3, 75. *Iuxta tecum aeque scio.* Sallust. Catil. 58, 5. *iuxta mecum omnes intelligitis.* Cf. Kritz. ad l. Sallustii citatum. — *Salva sumes indidem.* Tuto apud me deposueris; non enim ea vulgabo, sed salva et integra tibi servabo. Cf. Trin. I, 2, 108. *Elephanti corio circumtentus.* Crassa cutis et dura signum hebetudinis. Quare quanquam elephantus acutissimi sensus et prudentissimum animal, tamen, quum crassissima eius cutis, *elephanti corium* in proverbium abiit de homine stolido, nil facile astutiarum sentienti. *Geminam germanam alteram.* Nihil horum supervacaneum. Non enim temere tam diligenter loquitur. Ihre andere leibliche Zwillingsschwester. Quanquam sponte intelligitur *geminam* sororem etiam *germanam* esse, tamen, ut rem diserte atque expresse diceret, neque quicquam superesset dubii, ita copiose locutus est. *Cŭm ămātore.* Cf. supra Mil. II, 1, 33. *năm ĭs illius filiam.* Adde Trin. I, 1, 3. Merc. II, 2, 51.

Tám similem, quam lácte lacti est; ápud te eos hic devórtier
Dícam hospitio. *Pe.* Eúge, lepide; laúdo commentúm tuum!
Pa. 'Ut, si illic concríminatus sít advorsum mílitem
Méus conservus, eám vidisse eum álieno osculárier,
'Arguam hanc vidísse apud te cóntra conservúm meum
Cúm suo amatore ámplexantem atque ósculantem. *Pe.* Imo óptume!
'Idem ego dicam, sí me exquiret míles. *Pa.* Sed simíllumas
Dícito esse; et Phílocomasio id praécipiendum est, út sciat:
Né titubet, si quaéret ex ea míles. *Pe.* Nimis doctúm dolum!
Séd videre ambás si in uno míles concilió volet,
Quíd agimus? *Pa.* Facile ést; trecentae póssunt caussae cólligi:
„Nón domi est; abiit ámbulatum; dórmit; ornatúr; lavat;
„Prándet; potat; óccupata est; óperae non est; nón potest";
Quántum vis prolátionum, dúm modo nunc primá via
'Inducamus, véra ut esse crédat, quae mentíbimur.

Men. I, 3, 12. Ibid. III, 3, 3. Pseud. III, 2, 90. *Lacte.* Prisca nominativi forma, de qua retulerunt multi Grammatici. Cf. Nonius p. 483. Priscian. VII, 9. tom. I, p. 323. Charis. pag. 12. et 57. ed. meae. Cledonius p. 1904. Pompeius pag. 233. e Plauti Bacchidibus affert: *Sicut lacte lactis simile.* Exstat similis locus in Menaechm. V, 9, 30. *Neque aqua aquae, neque lacte lacti, mihi crede, usquam similius.*

V. 88. Verbi *hospitio* ultima syllaba non liquescit propter mutationem personae. Quod qui non intelligerent, bis *euge* scripserunt. Cf. supra v. 60. huius scenae. Versu seq. *sit*, ut vulgo, non *siet* legendum esse, docuit Kampmannus Annott. ad Rud. pag. 10. *Arguam hanc vidisse.* Vulgo: *Eum arguam vidisse.* Codd. aliquot et veteres editt. *Eam arguam vidisse.* Pronomen necessarium est. Id opponi debet superiori *eam;* igitur *hanc* scribendum. Atque ita Bothius. *Contra* referendum ad *arguam*, ut structura sit: *ego contra arguam.* Vide supra notata ad h. sc. v. 45. *Imo optime.* Vulgo *imo ut optime.* Cam. ed. *imo ita opt.* Est autem *imo* propria ac nativa significatione nihil nisi *ita.* Cf. Bopp. über einige Demonstrativstämme pag. 21. *In uno concilio;* una, uno in loco, uno in conventu. *Colliguntur caussae* quum multae veluti in unum locum coguntur, ad unam argumentationem conferuntur. Pari modo Trin. III, 3, 63. *Sexcentae ad eam rem possunt caussae colligi.* In seqq. *domi* unius syllabae. *Operae non est.* Falso subintelligi iubent *pretium.* Sed *operae est* dicitur pro eo, quod est *ad operam pertinet*, est inter ea, quibus operam dare possum, vel quae fieri debent; igitur *vacuus sum, mihi otium est.* Sic infra Mil. III, 2, 6. de dormiente: *non operae est Sceledro. Quid iam? Sorbet dormiens.* Unde efficitur, ut formulae: *occupata est, operae non est, non potest* fere idem dicant et specie tantum varias caussas, quas ille fingit, afferant. Ceterum nota discrimen horum: *Mihi operae pretium est,* tanti est; *mihi operae est,* vacat, *mihi opera est*, curo. *Quae mentibitur.* Sic vulgo. At V. C. Cam. *quae mentibimur*, quod verum. *Prima via inducere* est initio statim alicui persuadere.

Pe. Plácet, ut dicis. *Pa.* 'Intro abi ergo et si istic est, múlierem
Iúbe cito domúm transire atque haéc ei monstra, praécipe,
'Ut teneat consília nostra, quemádmodum exorsí sumus,
Dé gemina soróre. *Pe.* Docte tíbi illanc perdoctám dabo.
Númquid aliud? *Pa.* 'Intro ut abeas. *Pe.* 'Abeo. *Pa.* Et quidem ego ibó domum.
'At quam hòminem investígando operam súmam, hanc dissimuláverο.
Quí siet consérvus, qui hodie fuít sectatus símiam.
Nam ílle non potuit, quín sermone suo áliquem familiárium
Párticipaverít de amica herí, vidisse sése eam
Hic in proxumo ósculantem cum álieno adulescéntulo.
Nóvi morem egomét: „Tacere néqueo, quae solús scio.“

V. 103. Rebus ita compositis Periplectomenem haec ad Philocomasium deferre eamque omnia edocere consilia iubet Palaestrio. *Et si istic est, mulierem iube.* Sic ad vestigia Codd. scribendum putavi. Vulgo: *et si istic est mulier, eam iube.* Priores editt. *et si istic est mulier, iube.* Additum postea e Codd. *eam*, quod nihil aliud quam syllaba finalis *em* ad v. *mulier* pertinens. Igitur flagitante etiam versu ita scripsi. *Numquid aliud.* Cf. supra ad Capt. I, 2, 88. *Abeo. Et quidem ego ibo domum.* Sic vulgata, quam h. l. retinendam censui. *Et quidem* notissimi usus formula, quae partim amplificandae sententiae (und zwar, und noch dazu), partim confirmandae (und in der That, wirklich), inservit. Cf. Schütz doctr. part. L. L. p. 175. Adde Hand. Tursellin. sub v. *Et quidem.* Saepe posteriore hac notione ponitur in sermone, quum altera persona aliquid facturam se ostendit, quod altera tanquam confirmans consilium prioris, idem se facturam ait. Igitur apud Plautum Pers. II, 2, 35. talis sermo exstat: *So. Ergo hoc mihi expedi, Quo agis? Pae. quo tu? So. dic tu; prior rogari. Pae. At post scies. So. Ego hinc haud longe. Pae. Et quidem ego haud longe.* Simili modo h. l. ubi Peripl. dixerat: *Abeo*, pariter se facturum ostendit Palaestrio.

V. 108. Domum ergo se iturum dixerat Palaestrio. Ibi se servum, qui in aedes vicini despexerat, investigaturum; sed clam et dissimulata opera, ne quid ille sentiat. *At quam — hanc dissimulavero.* Acidalii est emendatio. Vulgata: *Atque hominem investigando sumam operam, hinc dissimulavero,* et sensu et metro cassa est. *Quin sermone suo aliquem — participaverit.* Vulgo *sermoni suo.* Sed non dicitur Latine: *participare aliquem alicui rei*, sed *alicuius* vel *aliqua re.* Dativum Gronovius versu Lucretiano III, 692. efficere volebat: *ut dentes quoque sensu participentur*; ubi *sensu* pro *sensui* antique dictum putat. Quod quale sit, vel me tacente intelligitur. Tum vulgo: *Qui fuerit conservus, qui hodie siet s.* Emendavit Acidalius ex Cod. V. Cam. *Familiarium* pro vulgato *familiarem* versui explendo scribendum erat. *Tacere nequeo quae solus scio.* Vulgo ex Camerarii coniectura legitur: *Novi morem ego et tacere nostrorum solus scio*, sententia frigida et numero vitiato. MSS. exhibent: *N. m. ego et tacere nequeo solus scio*, unde recte coniecisse videtur Bothius,

Si ínvenio, qui vídit, ad eum víneas pluteósque agam.
Rés parata est; ví pugnandoque hóminem caprre cérta res!
Si íta non reperio, íbo odorans, quási canis venáticus,
'Usque donec pérsecutus vólpem ero vestígiis.
Séd fores crepuérunt nostrae; ego vóci moderabó meae.
Nam íllic Philocomásio custos, méus conservus, ít foras.

ACTVS II. SCENA III.

Sceledrus, Palaestrio.

Sc. Nísi quidem ego hodie ámbulavi dórmiens in tégulis;
Cérto edepol scio, mé vidisse hic próxumae vicíniae
Phílocomasium herílem amicam síbi alienum quaérere.
Pa. Híc illam vidit ósculantem, quántum hunc andiví loqui.
Sc. Quís hic est? *Pa.* Tuus consérvus. Quid agis, Scéledre? *Sc.* Te, Palaéstrio,

---

quod dedimus. Dicit hoc: Novi ego morem nostrorum familiarium; nequeunt tacere, nisi, quae taceant, etiam alii tacenda habeant. Non bene tacetur, quod solus taceas, melius tacetur cum pluribus. Hoc ipsum confitentem alium facit, unde res magis ridicula apparet. Ioci caussa stuporem conservorum tam incredibiliter auget, ut dicat istos ita de semet loqui. Nisi forte legendum censeas: *tacere nequeunt, quae soli sciunt.* — *Ad eum vineas pluteosque agam*; in eum omnes artes machinasque hostiles adhibebo. *Vineae* et *plutei* munimenta obsidionalia, quibus tecti milites ab hostium telis opera faciunt ad muros subvertendos; quorum *vineae* in utramque partem devexitatem tecti habent, plutei in alteram. Cf. Vegetius IV, 15. et Lipsius Poliorc. I, 7. *Usque donec persecutus — ero.* Donec vestigiis inventis venatum instituero. *Persequi* enim non est *assequi*, sed *sequendo pergere.* Sic Epid. I, 1, 93. *Orationem horum placide persequar*; i. e. auscultando sequar. *Philocomasio custos.* Elegans dativi usus; quem non intelligentes sic depravarunt versum: *Nam illic est Philocomasio custos, meus conservus, atque it foras.* Dicitur autem *custos alicui*, ut *praefectus urbi* et similia alia.

Act. II. Sc. III. Iam procedit ille dis iratis natus Sceledrus, qui per impluvium in vicinas aedes forte despiciens Philocomasium, heri amicam, cui custos additus erat, alienum mel lingere animadverterat. Et primum quidem visa secum reputat. *Nisi — in tegulis.* Si vigilans et revera, non somnians, in tegulis fui; nisi somniavi. *Sibi alienum quaerere.* Vulgo metro vitiato: *sibi alium quaerere.* Bentl. ad Terent. Phorm. III, 3, 11. *sibi malam rem quaerere*, quod quam absonum sit ab hoc loco, non est, quod dicam. Quanquam Ritschl. V. C. in Cod. rescr. Ambr. invenire sibi visus est: *sibi malam rem quaerere.* Noli dubitare *alienum* esse veram lectionem. Sic supra *cum alieno oscularier* II, 2, 88. et *cum alieno adolescentulo* II, 2, 112. Tenendum igitur, *alienum* neque pro *peregrino* dici, et esse *alienum amatorem* dictum ut *alienus servus*, *aliena uxor.* Est enim *alienus* qui non meus est, sed alius cuiusdam.

Vólupe est convenísse. *Pa.* Quid iam? aut quíd negoti? fác sciam.
Sc. Métuo. *Pa.* Quid metuís? *Sc.* Ne hercle hodie, quántum hic familiárium est,
Máxumum in malúm cruciatum ínsiliamus. *Pa.* Tú sali
Sólus; nam ego istam ínsulturam et désulturam níl moror.
Sc. Néscis tu fortásse, apud nos fácinus quod natum ést novum.
Pa. Quód id est facinus? *Sc.* 'Impudicum. *Pa.* Túte sci solí tibi;
Míhi ne dixis; scíre nolo. *Sc.* Nón enim faciam, quín scias.
Símiam hodie súm sectatus nóstram in horum tégulis.
Pa. 'Edepol, Sceledre, homó sectatus níhili nequam béstiam.
Sc. Dí te perdant! *Pa.* Te ístuc aequom; quóniam occepisti éloqui.
Sc. Fórte fortuná per impluvium húc despexi in próxumum;

V. 7. Metuere se ait Sceledrus, ne ex eo, quod viderit, summa oriantur mala sibi et familiae. Tum rem ipsam Palaestrioni narrat. *Maximum in malum cruciatum.* Qui *cruciatumque* addita copula scripserunt, versui metuentes, frustra fuerunt; *in maximum malum cruciatum* dicitur ut *in maximam malam crucem*, quod innumeris locis legitur apud Plautum. *Insilire in cruciatum*, ut *insilire in crucem* dictum esse volunt pro eo, quod est *tolli in crucem.* Sed haud dubie non nisi translate usurpatur, ut *insilire in crucem* iculariter pro *incurrere malum, periculum* cet. dicatur. Quamquam *Crucisalus* Bacch. II, 3, 128. proprie videtur dici; sed ibi paronomasia in causa fuit, ut sic proferretur. *Insultura et desultura.* Recte monuerunt interpp. allusum hic esse ad *desultores.* Sed quid hoc quidem loco ista allusio, non ducent. Haud dubie desulturam nominat, quam statim insulturam dixerat, ut rem atrocem ioculari vocabulo usus eo gravius significet. Nam quum desultoriae arti lusus cuiusdam et levitatis notio subiecta sit, vocabulum illud rei significatae contrarium notat. Est autem ea vis contrarii in oratione ludicra, ut rem, quam notat, graviorem et atrociorem faciat. Igitur haec sic dicuntur, tanquam si protulisset: Ego istas tuas res ludicras, qualis illa insultura et desultura est, non magnopere desidero. Formula *nihil moror* utuntur Romani, quum aliquid contemnere, non curare, aut non magnopere desiderare se indicant. Ceterum *nam* in hoc v. non liquescit. Cf. quae notavimus supra ad II, 2, 86. Quod qui non viderent, in fine versus *nihil hoc moror* scripserunt, metro pessundato. *Tute sci soli tibi.* Sic et versu et sensu flagitante scripsi, quum vulgo esset: *Tute scis soli te tibi. Scis* pro *scias* positum voluerunt. *Te* post v. *soli* ad sententiam et numeros supervacuum. *Solite* scripsit Bothius, nemini, credo, persuasurus. Simili modo *solite* pro *soli* erratum est Amphitr. I, 1, 136. ubi vide quae notavi.

V. 16. *In proxumum.* Sic recte e codd. Camerarii reponi iussit Scioppius susp. lectt. IV, 7. Antea praepositio omittebatur. Addit ille: *qui enim impluvium proximum dici queat, non video. In proximum autem eleganter pro eo quod est in aedes*

'Atque ego illi aspicio ósculantem Phílocomasium cum áltero
Néscio quo adulescénte. *Pa.* Quod ego, Scéledre, scelus ex te aúdio?
Sc. Prófecto vidí. *Pa.* Tun'? *Sc.* Egomet duóbus his oculís meis.
Pa. 'Abi, non verisímile dicis néque vidisti. *Sc.* Núm tibi
Líppus videor? *Pa.* Médicum istuc tibi mélius percontárier.
Vérum enim tu istanc, sí te di amant, témere haud tollas fábulam:
Tuís nunc cruribús capitique fraúdem capitalem hínc creas;
Nám tibi iam, ut pereás, paratum est dúpliciter, nisi súpprimis
Tuúm stultiloquiúm. *Sc.* Qui vero dúpliciter? *Pa.* Dicám tibi.
Prímumdum, si fálso insimulas Phílocomasium; hoc périeris.
'Iterum, si id verum ést, tu eii cústos additus périeris.
Sc. Quíd fuat me, néscio; haec me vídisse, ego certó scio.
Pa. Pérgin', infelíx? *Sc.* Quid tibi vis dícam, nisi quod víderim?
Quín etiam nunc íntus hic in próxumo est. *Pa.* Eho, an nón domi est?
Sc. Víse, abi intro túte; nam ego mihí nil credi póstulo.
Pa. Cértum est facere id. *Sc.* Híc te opperiar; eadem illi insidiás dabo,

---

vicinas, sive proximas. Sicut infra II, 4, 13. *quem dixti tute vidisse in proximo hic, sceleste, me osculantem. Et supra in argumento huius fabulae v.* 8. *in proximo devortitur.* — *Cum altero* pro: *cum alio.* Vide notata supra ad Captiv. Argum. 2.

V. 20. Credere se posse negat Palaestrio, quod viderit Sceledrus. *Abi* duarum brevium. V. ad Captiv. II, 1, 24. *Fabulam tollere* dicitur h. l. ut *filium tollere, infantem recens natum tollere*, quod patrum est, qui infantem agnoscunt et educari volunt. Igitur *haud temere tollas fabulam* significat: non sine iusta ratione, nec nisi urgente necessitate huius fabulae auctorem te profiteare. Noli evulgare hanc rem. Fortasse tamen *fabulam tollere* dicitur ut *clamorem tollere, ein Gewäsch erheben. Fraudem — creas*; periculum obiicis. *Fraus* enim pro *periculo*, in quod fraude inducimur, saepe. Cf. Servius ad Virg. Aen. X, 72. ubi sic: *in fraudem in periculum. Ita enim in iure lectum est: fraudi erit illa res, i. e. periculo.* — *Primumdum.* cf. not. ad Captiv. I, 2, 71. *Iterum* altero loco. *Primum quidem decipi, incommodum est; iterum, stultum; tertium, turpe.* Sic Cic. de inv. I, 39. Verba *tu eii* tres efficiunt syllabas. Quod qui evitare volebant, scripserunt: *tu custos additus ei p. Quid fuat me*; quid me futurum sit. *Esse* cum ablativo in hac structura eodem sensu, quo *facere, fieri* cum ablativo iungitur. *Erit me* igitur fere idem quod *fiet me*; es geht mit mir vor, geschieht mit mir.

V. 32. Sceledrus visam apud vicinum Philocomasium etiam-

Quám mox horsum ad stábulum iunix récipiat se a pábulo.
Quíd ego nunc faciám? Custodem me ílli miles trádidit.
Núnc si indicium fácio, interii; sí taceo, interií tamen,
Si hóc palam fuerít. Quid peius múliere atque audácius?
Dúm ego in tegulís sum; illac haec se hóspitio eduxít foras.
'Edepol facinus fécit audax! Hóccine, si milés sciat;
Crédo hercle, has sustóllat aedes tótas atque hinc ín crucem.
Quídquid hercle est, mússitabo pótius, quam intereám male.
Nón ego possum, quae ípsa sese vénditat, tutárier.
Pa. Scéledre, Sceledre! *Sc.* Quís homo interminat? *Pa.* 'Estne alter te audácior?

---

num intus apud illum esse putabat. Unde Palaestrio in rem inquisiturum se ait et domum militis intrat. Dum hic abest, secum loquitur Sceledrus deliberans, quid agendum. *Eadem* ablat. significans *una, simul.* Ut enim *unus* saepe pro *idem,* veluti *una res* Captiv. III, 1, 28.; ita contra *idem* saepe pro *unus.* Et frequentissimus est usus huius ablativi *eadem* apud Plautum. Cf. Parei lex. Plaut. h. v. Cf. quae notavimus supra ad Captiv. II, 3, 99. *Eadem percontabor, ecquis adulescentem noverit.* — *Insidias dabo;* adversus illam in insidiis ero, insidians exspectabo. *A pabulo.* Quod pasta domum redeunt armenta, festive usurpavit de muliere, ab amatore, tanquam a pabulo, domum redeunte. *Dum* non eliditur. *Illaec hac se hospitio eduxit foras.* Haec lectio antiquorum est librorum apud Lambinum Vulgata depravato versu: *Illaec h. se h. edit foras.* Non displicet Lipsii emendatio: *I. h. s. h. dedit foras.* Interim *eduxit* praetuli, quod allusum videtur ad custodiam, qua tenebatur mulier. Sic Cic. Tuscul. I, 29. *Cum facile posset educi e custodia.* — *Has sustollat aedes.* De semet ipso μεταφορικῶς loqui Sceledrum existimabat Dousa. Sed recte monuit Acidalius, *aedes* h. l. ut alibi *domus*, pro familia i. e. servis omnibus dici. Locus similis est Trucul. II, 8, 7. *Quantillo mihi opere nunc persuaderi potest, ut ego suffringam his talos totis aedibus.* Sed in ludicra tantum oratione *aedes* pro familia dici posse videtur, ut h. l., ubi comica tantum ratione loquitur: *totam hanc domum evertet.* — *Quidquid hercle est.* Vulgo difficiliori numero: *Hercle quidquid est.* Nisi forte *quidquid est* pro dactylo et is pro trochaeo. Nam ita saepe *adest, potest, quid est* pro pyrrhichiis inveniuntur. Cf. Trin. prol. 3. Pseud. II, 2, 38. Ibid. III, 2, 55. Sic etiam *opust* pyrrhichius Poen. I, 3, 35. *Quae ipsa sese venditat;* quae se prostituit. *Vendere se* enim de meretricibus se venalem sistere, omnibus sese offerre.

V. 42. Palaestrio intra domum offendisse se Philocomasium gravibus cum minis nunciat Sceledro. *Quis homo interminat.* Sciopp. susp. lectt. IV, 7. in Codd. esse ait *interemat*, negans, vulgarem *interminat* ferri posse, quippe ubi nemo interminatus sit. Sed fallitur ille quidem. Nam interminatio sono tantum vocis constare potest, neque verba minantia addere necesse est. Quare facile Sceledrus minis se peti exaudire potuit. Praeterea minae sequuntur gravissimae, unde Palaestrionem iam appellationem illam minaciter protulisse et pronunciasse abunde patet. Recte igitur se habet vulgata *interminat.* Activi usus exemplum

Quís magis dis inimícis natus, quám tu, atque iratís? *Sc.* Quid est?
Pa. Iúben' tibi oculos écfodiri, quíbus id, quod nusquam ést, vides?
Sc. Quíd? nusquam? *Pa.* Non égo tuam empsim vítam vitiosá nuce.
Sc. Quíd negoti est? *Pa.* Quíd negoti sít, rogas? *Sc.* Cur nón rogem?
Pa. Nónne tibi istanc praétruncari línguam largiloquám iubes?
Sc. Quamóbrem iubeam? *Pa.* Phílocomasium eccám domi, quam in próxumo
Vídisse aibas te ósculantem atque ámplexantem cum áltero.
Sc. Mírum est, lolio víctitare té tam vili trítico.
Pa. Quíd iam? *Sc.* Quia luscítiosus. *Pa.* Vérbero, edepol tú quidem
Coécus, non luscítiosus; nam eám quidem eccillám domi.

---

certum quamvis desideratur, tamen Horatii locus, ubi participium passivi est, verisimile reddit, etiam activum fuisse in usu. Epod. V, 39. Verba *estne alter te audacior*, vulgo sic proferuntur: *est te alter audacior*, unde levi mutatione versum restitui. *Alter* pro alio quovis. cf. Captiv. arg. 2. *Dis inimicis, dis iratis* nati dicuntur homines aut invenusti, aut miseri et infelices. V. 45. Vulgo: *Non ego nunc emam vitam tuam.* Sed V. C. Cam. et Dec. apud Par. *non ego mutuam ea ipsi tuitam.* Quae dedi, dudum emendaram certissima coniectura. *Empsim* antiqua forma pro *emerim.*

V. 50. Palaestrio Sceledrum, hic illum, parum recte vidisse insimulat. *Mirum est* cet. Quasi dicat: si triticum carum esset, non esset mirum, te lolio vivere. Nunc vero, quum tam vile sit triticum cet. Constat, *lolium* propter vapores acres, quos in cerebrum tollit, non solum ebrietatis speciem quandam creare, sed oculos vitiare eorumque aciem obtundere. Cf. Ovid. Fast. I, 691. Haec Lambin. Adde Serv. ad Virg. Ecl. V, 37. Ceterum hic Plauti versus citatur a Fulgentio in exempl. serm. ant. p. 562. ubi etiam v. *luscitiosus* explicatur. Sic enim ille: *Luscitiosos dici voluerunt, interdiu parum videntes, quos Graeci μύωπας* (alii νυκτάλωπας) *vocant.* Qui parum vident, etiam falso videre solent, unde efficitur, ut luscitiosus, ut Graecorum νυκτάλωψ, etiam eum significet, qui videndo fallitur, ut h. l. cf. etiam Festus in *luscitio* et *luscitiosus* (pag. 90. 108. 182 ed. meae); et Non. p. 135. Syllaba v. *luscitiosus* ab initio secunda producitur. *Quid iam* est, cur hoc dicis, quid hoc nunc? Cf. quae infra notata sunt ad II, 5, 59. *Verbero;* vulgo *vae verbero*, contra metrum et vett. editt. quae *vae* omittunt. Codd. *reberbero.* Vulgata e vitio scripturae orta, repetita perperam verbi initiali syllaba. *Nam eam quidem eccillam domi.* Sic metro postulante cum Bothio scribendum erat. Vulgo: *illam quidem eccam.* Sed V. C. Cam. et Dec. *nam illam quidem illa domi.* Vetustissimae editt.: *nam illam quidem vidi domi*, quod ortum ex interpretatione. Ceterum formula *eccillam domi* Plautus saepe usus repe-

Sc. Quíd? domi? *Pa.* Domi hércle vero. *Sc.* Abi, lúdis me, Palaéstrio.
Pa. Túm mihi manus sunt ínquinatae. *Sc.* Quídum? *Pa.* Quia ludó luto.
Sc. Vaé capiti tuó! *Pa.* Tuo istuc, Scéledre, promittó fore,
Nísi oculos orátionemque áliam commutás tibi.
Séd fores crepuérunt nostrae. *Sc.* At égo illas observó foris.
Nám nihil est, qua hinc húc transire ea póssit, nisi recto óstio.
Pa. Quín domi eccam; néscio, quae te, Scéledre, scelera súscitant.
Sc. Míhi ego video, míhi ego sapio, míhi ego credo plúrimum:
Mé homo nemo déterruerit, quín ea sit in his aédibus.
Híc obsistam, ne ímprudenti huc éa se surrepsít mihi.
Pa. Méus illic homo est; déturbabo iam égo illunc de pugnáculis. —
Vín' iam faciam, utí stultividum té fatearis? *Sc.* Age, face.
Pa. Néque te quicquam sápere corde, néque oculis utí? *Sc.* Volo.
Pa. Némpe tu istic ais ésse herilem cóncubinam? *Sc.* Atque árguo
Eám me vidisse ósculantem hic íntus cum alienó viro.
Pa. Scin' tu, nullum cómmeatum hínc esse a nobís? *Sc.* Scio.
Pa. Néque solariúm neque hortum, nísi per impluviúm? *Sc.* Scio.
Pa. Quíd nunc, si ea domi ést, si facio, ut eam éxire hinc vidéás domo?

---

itur. Veluti Pers. II, 2, 65. Aulul. IV, 10, 51. — V. 54. *Tum mihi manus sunt.* Ordo vulgaris: *tum mihi sunt manus inquinatae* ob metrum mutandus erat. *Quidum* cf. not. ad Captiv. I, 2, 72. *Nihil est qua.* In his et similibus *nihil* adverbium est, pro *non.* Sic *nihil est, quomodo*; *nihil est, qui*; *nihil est, quapropter* et eiusmodi alia recte dicuntur. *Rectum ostium* opponitur postico et intelligitur *anticum.* cf. Stieglitz. Archaeol. der Baukunst, III, p. 169.

V. 59. Dixerat Sceledrus, se fores observaturum, ne transire posset Philocomasium in aedes proximas. Respondet Palaestrio: quin domi est; nescio, quid te impellat, ut in sententia tua perseveres. *Suscitare* est impellere, exagitare. Similiter Menaechm. II, 2, 47. *Nescio quod te urget scelus, qui huic sis molestus.* V. 61. *Me homo*, hiatus. *Surrepsit*, coniunctivus pro *surripuerit.* Cf. supra ad Captiv. I, 2, 45. *Meus illic homo est;* cepi eum, captum, circumventum teneo. Haec secum Palaestrio. *Ais* hic monosyllabum. *Cum alieno viro.* Cf. supra ad huius sc. v. 3. In voce *commeatum* ultima non eliditur. Cf. Hermann. Elem. doctr. metr. p. 88. Quod qui non admisit, Bothius dedit: *hinc esse et a nobis.* Male. *Et* plane otiosum. *Solarium* locus ubi apricari solebant in aedibus, qui et *heliocaminus.* Cf. I. A. Ernesti prolus. de Horologio. Lips. 1744. et interpp. ad Sueton. Claud. 10.

Dígnusne es verbéribus multis? *Sc.* Dígnus. *Pa.* Serva istás fores,
Né tibi clam se súbterducat ístinc atque huc tránseat.
Sc. Cónsilium est ita fácere. *Pa.* Pede ego iam íllam huc tibi sistam ín viam.
Sc. 'Agedum ergo face! — Vólo scire, utrum ego íd, quod vidi, víderim,
'An illic faciat, quód facturum dícit, ut ea sít domi.
Nam égo quidem meos óculos habeo néc rogo utendós forís;
Séd hic illi suppárasitatur sémper; hic ei próxumust;
Prímus ad cibúm vocatur; prímo pulmentúm datur.
Nám illic noster ést fortasse círciter triénnium,
Néque quoiquam, quam ílli, in nostra mélius famulo fámilia.
Séd ego, quod ago, id me ágere oportet: hóc observare óstium.
Híc obsistam; hac quídem pol certo vérba mihi nunquám dabunt.

ACTVS II. SCENA IV.

Palaestrio, Philocomasium, Sceledrus.

Pa. Praecépta facito ut mémineris. *Ph.* Totiés monere mírum est.

V. 73. Satis confidenter Palaestrio promittere poterat, se facturum, ut Philocomasium iam e Militis domo prodiret. Propterea Sceledrum ianuam vicini diligenter observare iubet, ne surrepat illa; ipse vero rursum intro abit, ut illam a milite exire iubeat. *Pede — sistam.* Vulgo: *pedes — sistam*, quod alii *per aedes* mutatum voluerunt, alii explicarunt, peditem id facturum esse; verum vidit Acidalius, cuius emendationem recepimus. Sic enim Acidalius: *Pede aut pedibus scribendum puto, ut iocetur in loquendi modo, quo alias capite vel ore sistere dixit.* Sic ille. Cf. notata supra ad Captiv. IV, 2, 13. *Nec rogo utendos foris.* Non commodato opus est; ipse possideo, ipse oculis valeo. Cf. de hoc loquendi genere Lambin. ad Asin. II, 2, 53.

V. 77. Sceledrus, ut homines infimi generis solent, qui, quod male ipsos habet, ubique proloquuntur, etiam nulla data occasione, postquam solum se videt, multa de principatu illius inter servos et meliore, quo ille habeatur, loco conqueritur. Nemo tamen facile intelligat, quomodo, quae dicit, huc pertineant. *Illi* domini amicae. V. 80. *Quam* non eliditur. *Sed ego, quod ago.* Vulgo intruditur *hoc* post *ego*, omittitur tamen in vett. editt. recte. Ceterum *quod ago, id me agere oportet* significat: quod agendum proposui, id recte et diligenter agere oportet.

Act. II. Scen. IV. Exit domo Militis Philocomasium, ut Sceledro ostendat, se nusquam alibi fuisse. Egreditur simul Palaestrio, qui eam, quod dicendum faciendumque esset, edocuerat. Ac ne nunc quidem monere desinit. Versus sunt iambici tetrametri catalectici, de quibus cf. Hermann. Elem. doctr. metr.

Pa. At métuo, ut satis sis súbdola. *Ph.* Cedo vél doctum, edocébo.
Meminí malas, ut sínt malae; mihi sólae e quo supérfit.
Pa. Age, iám nunc insiste ín dolos! Ego ábs te procul recédam. —
Quíd ástas, Sceledre? *Sc.* Hanc rém gero. Habeo aúris; loquere quídvis.
Pa. Credo égo istoc exempló tibi esse eundum áctutum extra pórtam,
Dispéssis manibus pátibulum quom habébis. *Sc.* Quamnam ób rem?
Pa. Respícedum ad laevam! quís illaec mulier ést? *Sc.* Proh di ímmortales,

---

p. 146. *Cedo vel doctum edocebo.* Sic Bothius. Codd. V. Cam. *vel doce me docebo;* Dec. *vél dice me docebo;* unde Gruterus: *vel decem docebo.* Sed frequens est Plauto locutio *doctum docere;* veluti Poen. IV, 2, 58. Adde Erasmi Adagg. I, 2, 12. Vulgo *vel doctas docebo* cum Cam. — V. 3. *Memini malas, ut* cet. Probe memoria teneo, quomodo subdulae mulieres agere soleant; inde est, quod ego malitiarum abunde possideo. Sic enim verba: *mihi solae e quo superfit*, explicanda sunt. *Solae* dativus pro *soli*, ut *alterae*, *aliae*, *totae*, *ullae*, *nullae*, *illae*. Cf. Priscian. VI, 1. tom. I, p. 220 seq. et Donat. ad Terent. Eunuch. V, 6, 3. *E quo* est unde, qua re. Similiter *ex hoc* apud Cic. Tuscc. dispp. III, 3. *Ex hoc et illa iure laudantur.* Deinde *superfieri* pro *superesse* aliquoties apud Plautum, veluti Epid. III, 2, 10. Pseud. I, 5, 41: Stich. IV, 2, 12. Trin. II, 4, 109. Hoc igitur vult: unde fit, ut mihi soli malitia superfiat, vel, quod eodem redit, ut ego sola superem dolis ceteras. *Insiste in dolos.* Male explicant *haere in dolis, persequere dolos.* Est *ingredere dolos, suscipe.* Sic *viam insistere* pro eo quod est *ingredi.*

V. 5. Discedit iam a muliere Palaestrio et Sceledrum, ianuam vicini adhuc oculis constanter observantem, respicere iubet. *Hanc rem gero.* Facio, quod antea imperasti. Cf. supra notata ad Captiv. II, 3, 84. In verbo *gero* ultima non coalescit. Sceledrus ad Palaestrionis vocem se non convertens, manibus diductis astabat, habitu fortasse, quo solent captantes et comprehensuri, ne scilicet sibi elaberetur Philocomasium. Quare subiungit Palaestrio: credo ego, isto habitu, quo nunc astas, te brevi extra portam iturum et cruci affixum iri, quum miles, quid turbarum dederis, rescierit. *Istoc exemplo*, isto modo. Cf. supra ad Captiv. III, 5, 33. Ceterum A. Gellius vv. 6. et 7. excitavit lib. XV, 15. ut ostenderet, *dispessis* pro *dispassis* et hoc pro *dispansis* dici, his verbis usus: *Itaque Plautus in Milite glorioso, a littera in e mutata, per compositi vocabuli morem, dispessis dicit pro eo quod est dispassis.* In Codd. V. Cam. et Dec. legitur *dispsis* sic per notam scriptum. *Extra portam* solebant apud Romanos de servis supplicia sumi. Sic Tacitus Ann. XV, 60 *iuxta urbem* agnoscit *locum servilibus poenis sepositum.* Cf. Lipsius libro de cruce III, 13. *Portam* autem illam *Metiam* fuisse sive *Esquilinam*, idem Lipsius annotavit ad Taciti locum cit. Ultima in *quamnam* non eliditur.

Heri cóncubina est haéc quidem. *Pa.* Mihi quóque pol ita vidétur.
Age, núnc ïam, quando lubet. — *Sc.* Quid ágam? *Pa.* Peri perprópere!
Ph. Ubi istíc bonus servus, própudi qui me máxume innocéntem
Falso ínsimulávit? *Pa.* Hém tibi! hic mihi díxit. *Ph.* Tibi? — Quem díxti
Tu té vidisse in próxumo hic, sceléste, me osculántem?
Pa. At cum álieno adulescéntulo dixít. *Sc.* Dixi hercle véro.
Ph. Tun' mé vidisti? *Sc.* Atque hís quidem oculis. *Ph.* Pól, carebis, crédo,
Qui plús vident, quam quód vident. *Sc.* Nunquam hércle deterrébor,
Quin víderim id, quod víderim. *Ph.* Ego stúlta moror múltum,
Quae cum hóc insano fábulem, quem pól ego capitis pérdam.
Sc. Nolí minitari; scio crucem futúram mihi sepúlcrum:
Ibi meí maiores súnt siti, patér, avos, proavos, ábavos.
Non póssunt mihi mináciis tuis hísce oculi fodíri.

V. 11. Sceledrus conspecta Philocomasio vehementer miratur, et a muliere male exagitatur. *Propudi qui me maxime innocentem.* Vulgo *qui propudii me*, sine metro. Primum *propudi* scribendum erat, quia, ut constat, genitivus in *ii* usque ad Propertium, qui primus usurpasse videtur, non in usu erat Romanis. Cf. Bentl. ad Terent. Andr. II, 1, 20. Lingius de hiatu in vv. Pl. p. 36. Consequens erat ut *propudi* transponeretur. Prima syll. in *propudium* corripitur etiam in Bacchid. IV, 1, 7. *Récede hinc dierécte; ut pulsat própudium. Maxime innocentem* est innocentissimam, quod moneo, quia video aliter acceptum esse. V. 15. *Pol, carebis, credo.* Illis oculis, credo, carebis, qui plus vident, quam quod vident. Effodientur tibi isti oculi scelerosi. *Pol* addidi versus causa, haustum existimans a praecedenti nota personae. Vulgo enim ictibus adversis: *Atque his quidem oculis. Ego stulta moror multum.* Sic Cod. Dec. Vulgo: *ego stulta et mora multum*, atque ita V. C. Cam. a pr. m., quod postea correctum: *ego stulta moror multum.* Non absimile vero est, quod Danzius indicat, a Plauti manu profectum: *Ego mora moror multum.* Sic enim loquitur Plautus; ut *tace tacitus* Poen. IV, 2, 84. *Scit sciens* Poen. V, 2, 78. et similia multa. *Capitis perdere* efformatum ad analogiam istorum: *capitis damnare, capitis accusare.* Cf. Asin. I, 2, 6. *Capitis te perdam ego et filiam.* Bacch. III, 3, 86. *Egone illam mulierem capitis non perdam? Hisce oculi* coniungendum qui nuper putavit scripsitque *hice oculi*, erravit dupliciter. Primum nihil est, quod suos oculos tam manifeste demonstret; nulli enim alii possunt intelligi, nisi ipsius. Et si vel maxime ita iungendum, *hisce* non esset nisi antiqua forma nominativi plur. satis illa testata. Cf. Priscian. XII, 5, tom. I, pag. 554. ed. Kr. ubi dicit Gramm. in v. *hisce* (sic

Sed paúcis verbis té volo, Palaéstrio. — Obsecro, únde haec
Huc éxit? *Pa.* Unde, nísi domo? *Sc.* Domo? *Pa.* Mé
vide. *Sc.* Te vídeo;
Nisi mírum est facinus, quómodo haec hinc pótuerit transíre;
Nam cérto neque solárium est apud nós neque hortus úllus,
Nec fénestra, nisi clatráta. — Nam certo égo te hic intus vídi.
Pa. Pergín', sceleste, inténdere et hanc argúere? *Ph.* Ecastor érgo

---

enim ibi legendum) euphoniae caussa *s* interpositum esse. Cf. quae notavimus ad Captiv. prol. 35. Adde infra Milit. II, 6, 6.

V. 23. Ut par est, nullo modo sibi persuadere potest Sceledrus, Philocomasium domo Militis exiisse. Quapropter e Palaestrione dubius animi quaerit, unde tandem illa huc venerit. Respondet Palaestrio: *domo;* Sceledrum autem etiamnum dubitantem fidem sibi habere iubet his verbis: *me vide.* Hac formula utuntur Romani, cum alterum fiduciam habere et affirmanti credere iubent. Ea Plauto maxime familiaris est. Veluti Trin. III, 3, 80. *Nihil est de signo quod vereare; me vide.* Mercat. V, 4, 53. ubi is, qui dixerat *me vide*, subiungit: *non mihi credis?* Simili notione legitur *me spectes* Asin. III, 3, 90. Sceledrus vero, verba lepide proprie accipiens, respondet: *Te video;* h. e. video te quidem, sed quid hoc est? Quid hoc ad faciendam fidem? Quibus maxime apposita sunt, quae sequuntur; ita enim cohaerent: *Te quidem video, sed mirum tamen est facinus* cet. *Nisi*, ut saepe, pro *sed*, ut Graecorum πλήν. De qua notione cf. Parei lexic. sub h. v. Vulgo tamen hic locus sic legitur: *Obsecro unde Exit haec huc? Pa. Unde nisi domo? Sc. Domo? Pa. Me vidente. Sc. Video. Nimis mirum est facinus.* In verbis *obsecro, unde haec huc exit* ordinandis secutus sum Bothium, cuius rationem versus requirit. Alterum *domo* unius syllabae accipiendum. Verba *me vidente* iam Gruterus emendanda viderat, qui e Codd. Pall. *me viden'? Te video*, scribi iussit, hactenus recte, nisi quod notissimam illam formulam latere non intellexerat. *Nimis* debetur Gruteri eiusdem coniecturae, unde manifeste patet, illam formulam ab eo non animadversam. Codd. V. Cam. et Dec. *nisi* exhibent; vett. editt. vocem omittunt. Ultimam in v. *vide* productam, quod apud Scenicos veteres aut nunquam aut raro fieri recte ostendit Lingius in lib de h in vv. Pl. p. 34 sqq, excusamus a mutatione personarum, quam ipsam excusationem admittit Lingius. — De *solario* conf. V. Cl. Ruperti: Handbuch der Röm. Alterthümer I. p. 283. et Guil. Ad. Beckeri, V. Cl., Gallus I. p. 94 sq. — In voce *fenestra* non dubito primam esse acuendam. Quod Bothius voluit *festram*, nisus Festi verbis his (p. 68. ed. m.): *Festram antiqui dicebant quam nos fenestram;* id non ita comparatum esse iudico, ut inde aliquid ad hunc locum aliter scribendum praesidii peti possit. Sed cf. quae de hoc genere diximus in vet. pros. *Intendere et hanc arguere.* Pro *et*, quod MSS. et vett. editt. exhibent, vulgo *atque*. Ceterum *intendere* secundum Donatum ad Terent. Eunuch. III, 3, 19. proprie significat: *crimen in adversarium iacere.* Commodius tamen explicavit Gesnerus in thesauro: *accusationem, veluti arcum, tendere in aliquem.* Sic Quinctil. III, 6, 85. *Accusatori nihilo plura intendenda sunt, quam ut probet, factum esse, hoc esse factum, non recte factum, iure se intendere.*

Mi haud fálsum evenit sómnium, quod nóctu hac somniávi.
Pa. Quid sómniasti? *Ph.* Ego éloquar. Sed, amábo, advortito ánimum.
Hac nócte in somnis méa soror gemina ést germana vísa
Venísse Athenis ín Ephesum cum súo amatore quódam;
Hi ambo hóspitio huc in próxumum devórti mihi sunt vísi.
Pa. Palaéstrionis sómnium narrátur. — Perge pórro.
Ph. Ego laéta viso, quía soror venísset, propter eándem
Suspícionem máxumam sum vísa sustinére.
Nam argúere in somnis mé meus mihi vísust familiáris,
Me cum álieno adulescéntulo, quasi núnc est, osculátam,
Quum illa ósculata méa soror gemina ésset suumpte amícum.
Ita me ínsimulatam pérperam falsum ésse somniávi.
Pa. Satin' éadem vigilanti éxpetunt, quae in sómnis visa mémoras?
Heus, hércle, praesentia ómnia; abi íntro et comprecáre.

V. 33. Philocomasium a Palaestrione edocta, quam ille technam invenerat, tamquam somnium suum narrat. Igitur Palaestrio ad spectatores conversus, sibi deberi hoc somnium, se auctorem esse, testatur. Unde intelligitur primum *Palaestrionis somnium* scribendum esse pro vulgato *Palaestrioni s.*, quod vidit Dousa Plaut. expl. III, 9.; tum versui Palaestrionis nomen praefigendum esse, quod monuit Acidalius Divv. 4. Vulgo Sceledri nomen praefixum est, sed haec Palaestrionis consilio geri nescit Sceledrus. *Ego laeta viso.* Volebat Gronovius: *Ego laeta visu;* sed *viso* exhibet Cod. Lips. quod licet a correctore profectum, tamen verum videtur, idque maxime propter v. *visa* in seq. versu repetitum. *Suspicionis* vocabulum alteram ab initio syllabam, ut semper apud Scenicos, producit. *Quasi nunc est.* Sic testante Scioppio susp. lectt. IV, 7. in Codd. Idem veteres editt. exhibent, nisi quod hae etiam *esse* servant, hoc modo: *quasi nunc est, osculatam esse.* Sed intelligitur inde, quomodo orta depravatio. Vulgo enim: *quasi nunc, esse osculatam.* Recte explicat Scioppius: *sicut nunc se res habet*, sicut nunc revera accidit. Cf. Merc. I, 2, 92. et IV, 2, 4. *Perperam falsum.* Sic MSS. Editt. veteres omittunt *falsum*, unde Danzius, omisso hoc pro *esse* scripsit *fuisse*, quod non displicet. Sed amat Plauti sermo eiusmodi adverbiorum connubia. Veluti Cas. III, 6, 17. *Propere cito introite et cito deproperate.* Bacch. III, 1, 7. *Me continuo contuli protinam in pedes.* Pseud. I, 4, 17. *Herum eccum video huc, una Simonem simul* cet. Et id genus alia. *Vigilanti expetunt.* Vulgo e Scioppii coniectura susp. lectt. V, 3. prodita: *in vigilantes*, contra metrum. Quare vetustissima lectio revocanda fuit. Praepositio *in* abest a Codd. Pal. ubi *vigilantis* scriptum legitur. *Expetit mihi et in me* dicitur de iis rebus, quae homini accidunt, vel merito aliquo, ut poena, vel culpa nulla admissa. Es trifft mich. Est autem eo sensu intransitivum, ut *competere.* — *Praesentia* dicuntur quae vaticiniis respondent, praesentem habent exitum, et opponuntur *praedictis* et *futuris.* Was eintrifft. *Omnia* ultimam non elidit in versus asynarteti caesura. *Abi intro;*

Narrándum ego istuc míliti censébo. *Ph.* Facere cértum,
Neque mé quidem patiár probri falso ímpune insimulátam.
Sc. Timeó, quid rerum gésserim; ita dórsus totus prúrit.
Pa. Scin', té periisse? *Sc.* Núnc quidem est domi cérto. Certa rés est,
Nunc nóstrum observare óstium, ubi ést. *Pa.* At, Sceledre, quaéso,
Ut ád id exemplum sómnium quam símile somniávit
Atque, út tu suspicátus es eam vídisse osculántem!
Sc. Me eám non vidisse árbitraris? *Pa.* Naé tu, hercle, opínor
Resipísces; si ad herum haec rés pervenerít, peribis púlchre.

---

ad somnia expianda et placanda. Comprecari enim nihil est aliud, nisi mola salsa aut ture deprecari pacemque a Prodigiali Iove Diisque Averruncis ambire. Sic Plaut. Amphitr. II, 2, 107. *Recte dicit, ut commeminit, somnium narrat tibi. Sed te, mulier, postquam experrecta es, Prodigiali Iovi Aut mola salsa hodie, aut ture, comprecatam oportuit.* Et Tibull. I, 5, 13. *Ipse procuravi, ne possent scaeva nocere Somnia, ter salsa deveneranda mola.* Haec et plura praeclara de somniis expiandis Dousa Plaut. Expl. III, 9. Adde Casaub. et Schwarz. ad Theophr. XVI, 2. Broukhus ad Tibull. III, 4, 9.

V. 44. Abiit Philocomasium. Nunc sibi timere incipit Sceledrus. *Dorsus.* Versus hic citatur a Nonio, pag. 203. M. ubi hoc exemplo ostendit, masculinam etiam formam v. *dorsum* in usu esse. Cf. Poen. V, 5, 36. In voce *gesserim* ultima non eliditur, unde alii *hic* intruserunt, quod a MSS. abest, neque vero etiam apud Nonium legitur. Versus enim iambici tetr. catal. cum hiatum tum brevem syllabam in fine quarti pedis admittunt. De qua re cf. Hermann. Elem. doctr. metr. p. 149 seq. *Nunc quidem est domi certo.* Additum *est* ab Acidalio, recte. Non assentimur Bothio, qui haec verba Palaestrioni tribuit. Nam introierat Philocomasium, minitans, se rem Militi indicaturam. Quare Palaestrio de Sceledro iam actum esse asseverat. Ille vero stupidus satis habet, quod nunc demum certo domi esse eam scit. Quare iam ostium Militis observare vult ne se insciente rursum transeat in aedes vicinas. *Ubi est.* Vulgo *ubiubi sit.* Codd. Pall. *ubi isset.* Recte Acidalius, quod dedimus. Nam nunc quidem non amplius dubitat Sceledrus, ubi sit illa, quum ipse mulierem domum Militis intrantem vidit. *Ut ad id exemplum;* verba ita ordinanda: *ut ad id exemplum, atque ut tu suspicatus es, eam vidisse osculantem, somnium perquam simile somniavit.* Ad id exemplum, ad eum modum. Verba *atque ut tu suspicatus es* pendent ab illis: *ad id exemplum.* Ad eum modum, quo tu s. e. *Quam simile* est multum simile. Ceterum *atque ut* abundanter; *ut* poterat omitti, quod rarissime apponitur. *Me eam non vidisse arbitraris* cet. Hic et proximi duo versus multum exagitavere Criticos et interpretes. Codd. V. C. et Dec. teste Pareo: *Ne tu hercle opinor obsecro respicis* (antea *resipiscis) si ad erum haec res prius ob oculos* (haec ex seq. versu vitio scribae huc translata, et initio aberat *si) creuerit* (postea *pervenit) peribis p.* Nos

Sc. Nunc démum experior, mi ób oculos calíginem obstitísse.
Pa. Dudum édepol hoc planúm quidem; quae hic úsque fuerit íntus.
Sc. Nihil hábeo certi, quíd loquar. Non vídi eam, etsi vídi.
Pa. Nae tu édepol stultitiá tua nos paéne perdidísti!
Dum té fidelem fácere hero voluísti, absumtu's paéne!
Sed fóres vicini próxumi crepuérunt; conticíscam.

ACTVS II. SCENA V.

Philocomasium, Palaestrio, Sceledrus.

Ph. Inde ígnem in aram, ut Ephesiae Diánae lautas laúdes
Gratísque agam eique ut Arabico fumíficem odore amoéne,
Quae me ín locis Neptúniis templísque turbuléntis

---

veterem lectionem, exhibuimus, nisi quod *obsecro* tanquam imperiti glossam, quam metrum a se segregat, omisimus, et *resipisce* (alii *respice*) in *resipisces* mutavimus et *peribis* pro *peristi* scripsimus. Hoc sensu: Tu vero, ut spero, ad te redibis. Sed non nisi sero. Nam si herus rescierit hanc rem, actum de te erit. V. 51. Pro *obstitisse* in Codd. Pall. teste Pareo legitur: *obtigisse*, id quod editum legitur in edd. aliquot vett. veluti Cam. Par. aliis. Sed ex Servii Codice Fuldensi dudum est restitutum *obstitisse*, quod verum. Cf. Servii editionem a Lione curatam tom. I, pag. 47. ubi e Cod. Fuld. ad Aen. I, v. 233. haec enotata sunt: *Sane multi ob Italiam, iuxta Italiam antiquo more dictum accipiunt, ut sit: pars orbis clauditur, quae circa Italiam est; ob enim veteres pro iuxta ponebant. Plautus in Milite: nunc scio mihi ob oculos caliginem obstitisse* cett. — *Quae hic usque fuerit* cet. *Quae* pro *quippe quum haec.* Nam haec quidem semper domi fuit. *Fores* monosyllabum.

Act. II. Sc. V. Iam Philocomasium domo vicini exit, intus per parietem transgressa. Quae res tantopere conturbat animum miseri Sceledri, ut, qui ipse sit, denique nesciat. Et primum mulier, tanquam brevi ante navi advecta sit, Dianae Ephesiae gratias agit, quod incolumis mare evaserit. *Inde ignem.* Haec intro ad ancillam loqui se fingit. *Lautas laudes.* Sic Dousa restituit, quum antea *latas laudes* legeretur. Alii *lauta laudes,* tanquam ad solemnem lavationem respiciat. Sed *lautae laudes,* sunt magnificae, sumtuosae, sacra multo sumtu facta. *Templa turbulenta;* intelligitur mare. Templum enim dici omnem locum, qui circumquaque conspectui patet, omne, quaqua contuemur, spacium, notissimum est. Unde *contemplari.* Tum *templum* locus auspiciis capiendis destinatus, cuius fines, rebus quibusdam prospectum terminantibus, veluti arboribus, ab oculis designantur. Porro omnem omnino locum sacrum notat. Hoc tamen loco, ut aliquoties apud Plautum, omnem locum sive spacium significat, adiecta tamen augustae cuiusdam et magnificae speciei notione. Sic *coeli templa* apud Lucretium, *Acherusia templa* apud Ennium et Lucretium de locis infernis dicuntur. Adde Plaut. Rud. IV, 2, 4. ubi *Neptuni templa* itidem, ut h. l. de mari.

Servávit, saevis flúctibus ubi sum áfflictata múltum.
Sc. Palaéstrio! o, Palaéstrio! *Pa.* o, Scéledre, Sceledre, quid vis?
Sc. Haec múlier, quae hinc exít modo, estne herílis concubína
Philocómasium, an non ést eà? *Pa.* Hercle opínor; ea vidétur.
Sed fácinus mirum est, quómodo haec hinc pótuerit transíre,
Si quídem ea est. *Sc.* An dubium íd tibi est, eam ésse hanc? *Pa.* Ea vidétur.
Adeámus, appellémus. *Sc.* Heus, quid istúc est, Philocomásium?
Quid tíbi istíc hisce in aédibus debétur? quid negóti est?
Quid núnc taces? Tecúm loquor. *Pa.* Imo édepol tute técum;
Nam haec níl respondet. *Sc.* Te álloquor, vití probrique pléna,
Quae círcum vicinós vages. *Ph.* Quicúm tū fabuláre?
Sc. Quicúm, nisi tecum? *Ph.* Quís tu homo es, aut mécum quid negóti est?
Sc. Mén' rogas, hem, quí sim? *Ph.* Quin ego hóc rogem, quod nésciam?
Pa. Quís ego sum igitur, si húnc ignoras? *Ph.* Míhi odiosus, quísquis es,
Et tu et hic. *Sc.* Nos nón novisti? *Ph.* Neútrum. *Sc.* Metuo máxume.
Pa. Quíd metuis? *Sc.* Enim né nos nosmet pérdiderimus úspiam;

V. 10. Mulierem appellat Sceledrus perquam familiariter. Illa tamen tacet, utpote peregrinam se et, quid ille sibi velit, ignaram fingens. Post mirabunda rogat, quicum ille fabuletur. Verba: *Te alloquor-vages* citantur a Nonio. p. 467 ubi tamen *vagas.* Vulgo *vaga es.* Cod. Dec. coniunctivum tuetur, qui necessarius; indicat enim caussam, cur vitii probrique plenam censeat. V. 16. *Men' rogas, hem, qui sim.* Acidalius corrigendum censuit: *Men' rogas, homo qui sim,* propterea, quod Philocomasium rogaverit: *Quis tu homo es.* Codicum lectio non erit mutanda. Sic Cistell. IV, 2, 27. *hem, quidest?* Stich. II, 2, 48. *hem, quid?* Ibid. V, 2, 12. *hem, quid est?* Ita enim ibi legendum. Casin. II, 2, 17. *hem, quid est?* Poen. V, 2, 86. *hem, quid ego audio?* Asin. II, 4, 39. *hem, non?* Aulul. V, 5. *hem, herumne adspicio meum?* His locis omnibus *hem* mirabundae aut indignabundae interrogationi servit. De formula *qui sim* adeant tirones Zumptii libr. Gramm. §. 134. not. Inde ab hoc versu mutatur numerus atque ab iambicis ad trochaicos transit. *Quin* nativa sua potestate h. l. ponitur, qua significat: *cur non.* Nam *quin* compositum ex *quine*, i. e. cur non. *Enim ne nos nosmet perdiderimus.* Alterum *nos* metro postulante additum a Bothio. *Enim* praeponitur, ut aliquoties apud Plautum. Ceterum *in responsionibus colloquentium refertur* (ut apud Graecos γάρ frequen-

Nám neque te neque mé novisse ait haéc. *Pa.* Perscrutari hóc volo,
Scéledre, nos nostri án alieni símus; ne clam quíppiam
Nós vicinorum ímprudentis áliquis immutáverit.
Sc. Cérte equidem nostér sum. *Pa.* Et pol ego. Quaéris tu muliér malum.
Tíbi ego dico: heus, Phílocomasium! *Ph.* Quaé te intemperiaé tenent,
Quí me perperám perplexo nómine appellés? *Pa.* Eho,
Quís igitur vocáre? *Ph.* Glycere nómen est. *Sc.* Iniúria es;
Fálsum nomen póssidere, Phílocomasium, póstulas.
Pa. At dice, istuc núm decet? Et meo heró non facis iniúriam?
Ph. Egone? *Pa.* Tute. *Ph.* Quaé heri Athenis Ephesum adveni vésperi
Cúm meo amatore, ádulescente Athéniensi? *Pa.* Díc mihi,
Quíd hic tibi in Epheso ést negoti? *Ph.* Géminam germanám meam
Híc sororem esse índaudivi; eam véni quaesitúm. *Sc.* Mala es.

---

tissimo usu) *ad omissam brevem sententiam, cuius caussam affert, quae tamen facile intelligi potest. Veluti Terent. Ad. IV*, 6, 23. *Quid ipsae? quid aiunt? Quid illas censes? Nihil enim.* Verba sunt Schützii in doctr. part. L. L. p. 158. quem vide. Adde Plaut. Cas. II, 5, 15. Most. III, 1, 24. Praeterea cf. Hand. Tursellin. tom. II, pag. 380. — V. 21. *Ne clam quippiam.* Sic Bothium secuti dedimus. Vulgo: *ne dum quispiam. Dum* h. quidem l. nihili est. *Quispiam* vel ob sequens *aliquis* ferri nequit. Profectum ab eo videtur, qui neutrum *quippiam* non intelligeret. Est autem *aliquatenus, aliquo modo.* Veluti Terent. Hec. III, 2, 14. *Nam si remittent quippiam Philumenam dolores.* V. 24. Vulgo: *tibi dico heus*, ubi medii vocabuli ultima non eliditur ob sequentem exclamationem. De quo hiatus genere cf. Lingius in lib. de hiatu in vv. Pl. p. 44 seqq. Sed Cod. V. Cam. *ego* interponit, quae lectio praeferenda. *Intemperiae.* De propria huius vocis notione vide quae supra diximus ad Captiv. IV, 4, 3. Adde, quod etiam ad animum traducitur, cum quis sui est intemperans, impotens. Igitur intemperiae notant insaniam. Cf. Aulul. I, 1, 32. *Quis-vocare.* Nonius p. 197. *Quis et generi feminino attribui posse, veterum auctoritas voluit. Livius: Mulier quisquis es, te volumus. Caecilius: Quaeso igitur quisquis es, mea mulier. Pacuvius: Quisquis tu es mulier, quae me insueto nuncupasti nomine. Ennius: Et quis illaec est, quae lugubri succincta est stola?*

V. 26. *Iniuria es.* Sic restituit Dousa Plaut. Expl. III, 10. Vulgo *iniuria est.* V. 28. *At dice, istuc num decet, et meo hero non facis iniuriam?* Sic dedi, apices Codd. secutus, qui exhibent: *At dice testu non dicat ei et meo aero non f. ini.* Vulgo: *at istuc non decet, et meo hero facis iniuriam*, quibus ad versum fulciendum Camerarius *adeo* post *meo* intrusit. V. 33. *Indaudivi.* Versus hanc scripturam requirit. Vulgo *inaudivi.* Sic *indaudivi* Captiv. prol. 30. *indaudisse* Aul. II, 2, 88. *indaudivi* supra Mil.

Ph. 'Imo ecastor stúlta multum, quaé vobiscum fábuler.
'Abeo. *Sc.* Abire nón sinam te. *Ph.* Mítte! *Sc.* Manufestáriast
Rés; non mitto. *Ph.* At iám crepabunt míhi manus, malaé tibi,
Nísi me omittis. *Sc.* Quíd, malum, astas? quín retines altrínsecus?
Pa. Níl moror, negótiosum mi ésse tergum. Quí scio,
'An ista non sit Phílocomasium atque ália eius similís siet?
Ph. Míttis me, an non míttis? *Sc.* Imo vi átque invitam ingrátiis,
Nísi voluntate íbis, rapiam té domum. *Ph.* Hosticum hóc mihi
Dómicilium est, Athénis domus. *Sc.* Et híc herust. *Ph.* Ego istánc domum
Néque moror neque vós, qui sitis hómines, novi néque scio.
Sc. Lége agito; te núsquam mittam, nísi das firmatám fidem,
Te húc, si omisero, íntro ituram. *Ph.* Ví me cogis, quísquis es.
Dó fidem, si omíttis, istuc me íntro ituram, quó iubes.
Sc. 'Ecce mitto. *Ph.* At ego ábeo missa. *Sc.* Mulíebri fecistí fide.
Pa. Scéledre, manibus ámisisti praédam; tam ea est, quám potis,

---

gl. II, 2, 58. *indaudiverit* Mostell. III, 1, 11. *indaudiverim* Stich. I, 2, 19.

V. 37. Sceledrus vi rem gerere aggreditur et manu mulieri iniecta retinet abeuntem. Eam altrinsecus apprehendere iubet Palaestrionem, qui recusat. *Nihil moror, negotiosum mihi esse tergum.* Nolo ego tergo meo negotia facessere et molestias creare. Est enim *nihil moror*, non curo, non magnopere desidero. *Hosticum hoc mihi domicilium est.* Palmaria haec est Lipsii emendatio Antiqq lectt. I, 11. Vulgo inepte, *ostium.* V. Cod. Cam *hostium.* Addit Lipsius: *Hosticum* id est, *peregrinum. Nam hostis antiquitus qui nunc peregrinus.* Cf. Varro de L. L. IV, p. 6. et Fest. v. *hostis* ibique interpp. pag. 76. et 450 ed. m. Quae sequuntur: *Sc. Et hic herus*, de Bothii sententia dedi. V. C. Cam. *domus est Acherusa.* C. Dec. *d. est Achorus.* Male vulgo: *est ac herus* continuato Philoc. sermone; quod multiplici ratione improbandum est. Primum *ac* locum non habet ante *h.* Tum *herum* se habere dicere nequit mulier, quam infra Periplectomenes ingenuam ac liberam esse dicit. Cf. infra III, 6, 10. Danzius de suo: *domus atque res*, nullo metro. — Facete mulierem domum suam Athenis praedicantem ita interpellat, ut herum ei oggerat militem, qui hic habitet in proximo, non Athenis. *Lege agito;* ius experitor; actionem mihi intendito, si iuri tuo confidis.

V. 47. Prehensam mulierem omiserat Sceledrus, accepta fide, sponte intro ituram. At missa aufugit. Quo facto ridet Palaestrio Sceledrum, quod praedam manu emiserit, ipse tamen se, quin Philocomasium sit, non dubitare ait. *Tam ea est, quam potis.*

Nóstra herilis cóncubina. Vín' tu facere hoc strénue?
Sc. Quíd faciam? *Pa.* Ecfer mihi machaeram huc íntus. *Sc.* Quid faciés ea?
Pa. 'Introrumpam récta in aedis; quémque hic intus videro
Cúm Philocomasio ósculantem, eum égo obtruncabo extémpulo!
Sc. Vísane est ea ésse? *Pa.* Imo edepol pláne ea est; sed quómodo
Díssimulabat! 'Abi, machaeram huc écfer! *Sc.* Iam faxo híc erit.
Pa. Néque eques neque pedés profecto quísquam tanta audácia,
Qui aéque faciat cónfidenter quídquam, quam, quae múlieres
Fáciunt! Út utrobíque oratiónem docte édidit!
'Ut sublinitur ós custodi caúto, conservó meo!
Nímis beat, quod cómmeatus tránstinet trans párietem!
Sc. Heús, Palaestrió, machaera níhil opús. *Pa.* Quid iám? Quid est?
Sc. Dómi eccam herilem cóncubinam. *Pa.* Quíd? domi? *Sc.* In lectó cubat.
Pa. 'Edepol nae tu tíbi malam rem répperisti, ut praédicas.

Tam certo illa mulier Philocomasium est, quam certissimum esse potest. Sic Stich. III, 2, 1. *Tam confido, quam potest;* h. e. certissime confido. *Intus* apud Plautum etiam in enunciatis, quibus motus de loco significatur, invenitur. Igitur *intus efferre, intus evocare*, usu protrita sunt. *Quemque* quemcunque. Cf. supra ad II, 2, 1.

V. 54. Abiit Sceledrus, iussus machaeram efferre, qua Palaestrio aedes vicini invadere et Philocomasii amatorem se obtruncare velle simulat. At ille, ut par est, mulierem domi Militis offendit. Quare tandem labare incipit Sceledrus, sed impensius etiam timere. *Docte edidit*, hiatus legitimus. Cf. Ling. de hiatu p. 16 seqq. Quare nihil mutandum. *Nimis beat* impersonale ut *iuvat. Commeatus transtinet trans parietem.* Transtinet intransitivo sensu, ut pertinet. Est autem *transtinere* pertinere trans aliquid, hoc est, continuari, uno tenore perduci. Sic dici possit: *pons transtinet trans flumen*, h. e. ad alteram ripam continuus est. Eodem fere sensu *continere* apud Plaut Stich. III, 1, 44. *utraque commeatus continet*, i. e. continuatur. Sic recte Gronovius. Igitur *transtinet trans parietem* est: transitum praebet per parietem. V. 59. *Quid iam;* orationem continuari iubet et diligentius exponi, si quid alter non recte intellexit, aut amplius edoceri et caussas nosse vult. Cf. supra II, 4, 51. et paullo post h. sc. v. 62. Tum Vulgo legitur: *Quid iam? aut quid opus est,* quae lectio, si *nihil* in antecc. servatur, metro non convenit. Nec sententia apta est. Nam quid est, quod quaerat Palaestrio, quid sit opus, quum ipse paullo ante machaeram efferri iusserit? Ergo non dubium videtur, quin voculae *aut* et *opus* sint ab in-

Sc. Quíd iam? *Pa.* Quia hanc attíngere ausus múlierem hinc e próxumo.
Sc. Mágis hercle metuó. Sed nunquam quísquam faciet, quín soror
'Ista sit germána huius. *Pa.* Eam pol tu ósculantem hic víderas.
'Et quidem palam ést, eam esse, ut dícis. *Sc.* Quid propiús fuit,
Quam út perirem, sí locutus éssem hero? *Pa.* Ergo, sí sapis,
Mússitabis. Plús oportet scíre servum, quám loqui.
'Ego abeo abs te, né quid tecum cónsili commísceam;
'Atque apud hunc eó vicinum; tuaé mihi turbae nón placent.
Hérus si veniet, sí me quaeret; híc ero, hinc me arcéssito.

ACTVS II. SCENA VI.

Sceledrus, Periplectomenes.

Sc. Sa'in' ábiit ille, néque heri iám negótium

---

terprete adiectae. *Sed nunquam quisquam faciet quin.* Magis quidem nunc metuo, quam antea; sed hoc unum nunc curo, hoc unum teneo et satis scio, esse hanc Philocomasii sororem. V. 66. Vulgo: *si locutus fuissem*; sed C. V. Cam *si locutus essem*, quod verum est. Nam sic sibi respondent tempora: *peream si locutus sim, perirem si locutus essem, periissem si locutus fuissem.* Tum vulgo: *Ego abeo a te*, pro quibus in Cod. V Cam. *Ego abeo te*, sed *te* expunctum est. In Cod. Dec. *Ego abeo* omissis *a te.* Corruptioni locum dedit litterarum similitudo *abeo* et *abs*, quorum alterum a negligente librario omissum. Ergo rescripsi *abs te.* Ad proxime superiorem versum cf. Epid. I, 1, 58. *Plus scire satius est, quam loqui, servum hominem.*

V. 68. Abit Palaestrio, ne videatur tam pravi facinoris particeps fuisse. *Atque apud hunc eo vicinum.* *Eo* ab h. l. vulgo abest, omissum ab iis, qui *ire apud aliquem* dici non posse putarent. Bothius de coniectura: *atque ad hunc ibo vicinum.* Sed cf. Pompeius commentum artis Don. p. 395. ubi citatur fragm. ex Sallustio: *Conisturgim apud legiones venit*, quod mire explicatum ab Aspero Gramm. idem refert Pompeius. Eodem modo vetus inscriptio, quam Gesnerus in thesauro v. *apud* profert: *ut ego possim dulcius et celerius apud eum pervenire* Probabile est, in familiari maxime sermone, inprimis autem quum significandum esset *aliquem convenire, alicuius domum venire*, hanc formulam in usu fuisse. Nec dubito, quin etiam alia reperiantur exempla, aut neglecta adhuc aut oblitterata. Sic etiam nostratium quidam provinciales: *bei einem gehn, bei einem kommen.*

Act. II. Sc. VI Rursum subdubitanti Sceledro supervenit Periplectomenes, liberalis ille hospes, et miserum Sceledrum vehementer exagitat, quod suam hospitam ludificaverit et violenter tractaverit. Primus versus vulgo depravatis numeris legitur: *Satin' abiit ille neque herile negotium.* Quid corruptioni

Plus cúrat, quasi non sérvitutem sérviat?
Certó quidem illa hic núnc intust in aédibus;
Nam egomét cubantem eám modo offendí domi.
Certum ést nunc observátioni operám dare.
Pe. Non hércle hisce hominés me marem, sed féminam,
Vicíni rentur ésse servi mílitis;
Ita mé ludificant. Meámne hic in via hóspitam,
Quae heri húc Athenis cum hóspite advenít meo,
Tractátam et ludificátam, ingenuam et líberam?
Sc. Perii hércle; hic ad me récte abit rectá via.
Metuo, íllaec mihi res né malo magnó fuat;
Quantum húnc audivi fácere verborúm senem.
Pe. Accédam ad hominem. Tún', Sceledre, hic, scelerúm caput,
Meam lúdificasti hóspitam ante aedis modo?

---

locum dederit, facile intelligitur; *iam* cum compendio esset scriptum, male ad voc. superius tractum est. *Quasi*, quod legendum esse pro vulgato *quám si* versus praecipit viditque Acidalius, post comparativum etiam locum habere, hoc exemplum non dubium ostendit Aulul. II, 2, 54. *Tú me bos magis haúd respicias, gnátus quasi nunquám siem.* Adde Trin. II, 1, 43. Accedit, quod *quasi* codd. Pall. exhibent a pr. m. Tum *servitute serviat* vulgo; sed iam Cam. recte edidit *servitutem s.* V. 3. Vulgo: *illa haec nostra intus est.* Sed testatur Pareus, in C. V. Cam. legi: *illa hinc nunc i.* in Dec. *illa hic nunc i.* Quare iam Pareus recte edidit *illa hic nunc intus. Nam egomet* restitui Bothium secutus; vulgo inepte: *Nam ego et*, quod saepius in *egomet* mutandum esse apud Plautum iam alii viderunt. *Egomet* autem est *ego ipse.* Cf. Priscian. XII, 5. tom. 1, p. 553. *Non hercle hisce homines* cet. Priscian. XII, 5. tom. 1, p. 554. refert, antiquos nominativum huius pron. euphoniae caussa interposito *s*, *hisce* protulisse in testimonium citans locum Terent. Eunuch. II, 2, 38. Grammaticorum commentum esse illud *hisce*, paullo calidius pronunciavit Bentleius ad hunc Terentii locum. Cf. quae supra notavimus ad Captiv. prol. 35. Ceterum similis sententia reperitur Bacch. IV, 8, 4. *Non me arbitrantur militem, sed mulierem Qui me meosque non queam defendere.*

V. 11. Iam ad se appropinquantem Periplectomenem cernit Sceledrus. Vulgo: *hic ad me recta habet rectam viam.* Quomodo dici possit: *recta rectam viam habere*, et quid hoc sit, non intelligo. Ego ad Codd. et vett. editt. scripsi: *recte abit recta via.* Codd. enim Pall. exhibent: *recta abit recta via*, quod primus Camerar. mutasse videtur. *Recte* est *certo, sine dubio,* quam vim aliquoties habere *recte*, non dubium est. Sic nos: er kommt richtig gerade auf mich los. — *Quantum verborum;* quantum conlicere licet ex iis; quae senem loqui audivi. In v. *ludificasti* ultima non eliditur. Non tamen omittendum est, in V. C. Cam. legi: *ludificavisti*, quod si admittitur, hiatus tollitur. *Latrocinari*, λατρεύεσθαι, dienen, latronem, i. e. militem mercenarium esse. Festus pag. 88. ed. m. *Latrones eos antiqui dicebant, qui*

Sc. Vicíne, ausculta, quaéso. *Pe.* Ego ausculteém tibi?
Sc. Volo me éxpurgare. *Pe.* Túne te expurgés mihi,
Qui fácinus tantum támque indignum féceris?
An, quía latrocinámini, arbitrámini,
Quidvís licere fácere vobis, vérbero?
Sc. Licétne —? *Pe.* At ita me dí deaeque omnés ament,
Nisi mihí supplicium vírgarum de té datur
Longúm diutinúmque a mane ad vésperum;
Quod meás confregisti ímbrices et tégulas,
Ibi dúm condignam té sectaris símiam;
Quodque índe inspectavísti meum apud me hóspitem,
Ampléxam amicam quom ósculabatúr suam;
Quodque cónrubinam herílem insimulare aúsus es
Probrí pudicam méque summi flágiti;
Tum, quód tractavisti hóspitam ante aedís meas;
Nisi míhi supplicium stímuleum de té datur:
Dedécoris pleniórem herum faciám tuum,
Quam mágno vento plénum est undarúm mare!
Sc. Ita súm coactus, Périplectomene, ut nésciam
Utrúmne postuláre prius te aequom siet

---

conducti militabant, ἀπὸ τῆς λατρείας. Cf. not. ad Trin. II, 4, 201. *Licetne.* Interpellat orationem Periplectomenis, licetne, dicens, me expurgare? Sed iratior etiam pergit senex et mira verborum congerie et praeclare ficto ad iracundiam sermonis flumine in servum invehitur. *Supplicium virgarum*, poenae virgis inflictae, caesio virgis facta. *Datur mihi de te.* Ut *poenas dare* dicitur is, qui punitur, sic h. l. *supplicium datur de te* est sumitur de te, *mihi* in meam gratiam, mea caussa. Cf. infra v. 31. Ceterum quod vulgo hic legitur *supplicium virgarum*, ob pravam ictus collocationem Bentleius mutavit in *virgeum*, probantibus Reizio et Hermanno. Sed vide quae diximus in vet. pros. de hoc loco. V. 25 *Ibi dum sectaris.* Sic e Servio ad Virg. Georg. IV, 296. exhibui. Scribendum saltem fuisset *sectatus's* pro *sectatus es.* Sed eleganter praesens h. l. ponitur, quia occasionem notat, qua tum praesente et intercedente res accidit. Sic Terent. Heaut. III, 1, 83. *Somnum hercle ego nocte oculis non vidi meis dum id quaero, tibi qui filium restituerem.* Idem Andr. I, 1, 7. *Dum studeo obsequi tibi, paene illusi vitam filiae.* Idem Phorm. I, 2, 26. *Seni fidelis dum sum, scapulas perdidi.* — *Amplexam amicam.* Male scripserunt *amplexum*, masculino genere, pro quo h. l. potius *amplexus* scribendum fuisset. Sed *amplexam* passiva notione est. Cf Priscian. VIII, 4 Tom. I p. 368.; ubi aliquot exempla proferuntur *Nisi mihi supplicium* cet. Vulgo: *nisi tibi supplicium stimuleum datur*, et sententia et metro laborante. Vid. paullo ante versum huius scenae 22. Verae autem lectionis vestigium in Mss et editt. vett. comparet, ubi: *Nisi tibi supp. stim. dedatur.* Emendavit Bentleius ad Terent. Adelph. IV, 2, 52. Ceterum stimulorum usus in servis puniendis notus est.

V. 34. Iam vero Sceledrus, in angustias redactus, timens perniciem, magis etiam deluditur. V. 35. *Utrumne* cet. Vulgo legitur

An mé expurgare hoc tíbi videatur aéquius,
Si istaéc non est haec, néque quae visa sít mihi.
Sicút etiam nunc néscio, quid víderim,
Ita ístaec huius símilis est nostraé tua,
Siquídem non eadem est. *Pe.* Víse ad me intro, iám scies.
Sc. Licétne? *Pe.* Quin te iúbeo; et placide nóscita.
Sc. Ita fácere certum est. *Pe.* Heús, Philocomasiúm, cito
Transcúrre curriculo ád nos; ita negótium est.
Post, quándo exierit Scéledrus a nobís, cito
Transcúrrito ad vos rúrsum curriculó domum.
Nunc pól ego metuo, né quid infuscáverit;
Si hic nón videbit múlierem, aperitúr dolus.
Sc. Pro di ímmortales, símiliorem múlierem

---

ex Lipsii emendatione: *Vtrumne postulare tecum aequom siet, An me expurgare hic tibi videatur aequius, Nisi istaec non est haec, neque ista sit mihi.* Sed Codd. ita exhibent: *Vtrum me* V. C. Cam. et Dec. *aequom sit* V. C. Cam. *aequom'st* Dec. Tum versus: *Nisi istaec* cett. anteponitur superiori *An me* cet. in utroque Pall. Deinde *Me expurg* Cod. Dec. *Mea expurg.* C. V. Cam. omisso *An.* Pro *ista sit* in Codd. Pall. invenit Pareus *ista'st* sed Cam. edidit *ista sit.* In Cod Lipsiensi legitur: *aequom est, ipsa est* et *videtur.* Hermannus locum tractavit in Elem. doctr. metr. p. 132. Mihi quidem Lipsius transponendo versiculos veram emendandi viam ingressus esse videtur, in qua tamen vv. *Nisi istaec non est haec* sententiae adversantur. Sententia enim est: Ita sum in angustias redactus, ut ambigam, utrum te accusem an tibi me expurgem. Posteriori enunciato addit condicionem hanc: *si erro neque ista est illa, quam me vidisse opinor* h. e. *concubina heri mei.* Verba: *neque quae visa sit mihi*, quam facile potuerint in vulgatam *neque ista sit mihi*, transire, non est quod dicam. Coniunctivus *visa sit mihi* opinionem indicat. In vv. *postulare prius tecum aequom* ortum est *tecum* ex solita scriptura *te accum.* — *Postulare aliquem* est accusare, notum in iure verbum, de quo adeunda sunt lexica. — *Placide noscita*; secure poteris et sine metu rem cognoscere. *Curriculo currere*; familiare Plauto, pro celeriter currere; Cf. Most. II, 1, 15. *Ita negotium est.* Ita comparata res est, ita postulat res, ita opus est. Unde, ut hoc obiter addam, intelligitur, quae nativa sit vis formulae *opus est.* Itaque formulae: *opus est, usus est, usus venit, negotium est* fere synonymae sunt, et proprie *e re nata ita fieri debere, rem ita postulare* significant. Atque *opus est hac re* pr. opus versatur in hac re, τὸ πρᾶγμα ἐν τούτοις ἐστίν. Ceterum exempla formulae *ita negotium est* quaere apud Plautum. Pers. IV, 6, 11, Bacch. IV, 4, 103. et saepe alibi. *Ne quid infuscaverit.* Ne quid Philocomasium eorum, quae ei praecepta et praemonstrata sunt, turbaverit vel oblita sit. *Infuscare* pr. est fuscum reddere, clarum aliquod et dilucidum reddere obscurum et turbidum. Plin. Hist. Nat. IX, 29, 45. *Infuscata absconduntur.* Virg. Georg. III, 433. *Sanie infuscatur arena.*

V. 48. Periplectomenes postquam Sceledrum intromisit, accurrit domum Militis, et Philocomasium in aedes suas propere transire, statim tamen, postquam Sceledro visa sit, redire ad

Magisque eándem; utpote quae nón sit eadem, nón reor
Deos fácere posse. *Pe.* Quíd nunc? *Sc.* Commeruí malum.
Pe. Quid ígitur? ean'-est? *Sc.* 'Etsi ea est; non ést ea.
Pe. Vidístin' istam? *Sc.* Vídi et illam et hóspitem,
Compléxam atque osculántem. *Pe.* Ean' est? *Sc.* Néscio.
Pe. Vin' scíre plane? *Sc.* Cúpio. *Pe.* Abi intro ad vós domum.
Contínuo; vide, sitne ístaec vostra intús. *Sc.* Licet.
Pulcre ádmonuisti. Iám ego ad te exibó foras.
Pe. Nunquam édepol hominem quémquam ludificárier
Magís facete vídi et magis mirís modis.
Sed éccum egreditur. *Sc.* Périplectomene, te óbsecro
Per deós atque homines pérque stultitiám meam
Perqué tua genua — *Pe.* Quíd obsecras me? *Sc.* Inscítiae
Meae ét stultitiae ignóscas. Nunc demúm scio,
Me fuísse excordem, coécum, incogitábilem;
Nam Phílocomasium eccam íntus. *Pe.* Quid nunc, fúrcifer?
Vidístin' ambas? *Sc.* Vídi. *Pe.* Herum exhibeás volo.
Sc. Meruísse equidem me máxumum fateór malum,
Et tuaé fecisse me hóspitae aio iniúriam;
Sed meam ésse herilem cóncubinam cénsui,
Quoi mé custodem herus áddidit milés meus:
Nam ex úno puteo símilior nunquám potis
Aqua aquái sumi, quam haéc est atque ista hóspita.
Et mé despexe ad té per impluviúm tuum
Fateór. *Pe.* Quidni fateáre, egomet quod víderim?
Et ibi ósculantem méam illam et complexam hóspitam

Militem iubet. Quo facto Sceledrus offendit Philocomasium in aedibus vicini, quantumvis illam pedem limine non extulisse certo sciat. Rediens igitur Sceledrus in summam admirationem conversus dolum illum de duabus mulieribus tandem credere incipit. Res confit, quum senex servum mox domum Militis intrare iubet, ubi mulierem interea per parietem reversam iterum offendit. *Complexam* recte, ut supra *amplexam*, passive. Correxerunt *complexum*, quo non est opus. Refertur enim *complexam* ad pronomen *illam*, quae primaria est in supp. notio. Fuerint fortasse, qui legi velint: *vidi ego illam ab hospite complexam, atque osculantem.* Sed optime se habet MSS. lectio, quae sic est explicanda, tanquam legatur: *vidi illam complexam atque osculantem cum hospite.* — V. 55. *Intus. Sc. Licet.* Vulgo *intus domum. Sc. Licet.* Sed Codd. Pall. et editt. vett. v. *domum* alibi collocant, quod testatur etiam Sciopp. susp. lectt. II, 15. Recte monuit Bothius, sic vagari solere glossemata, quare *domum* eiecimus, versu etiam iubente. *Licet* in responsionibus assensum significat; nos: *es mag sein, gut.* *Iam* non eliditur. *Obsecras* primam correptam habet. Cf. Most. II, 2, 75. ubi *Séd obsecro* legendum. — V. 66. Imminentem perniciem iam deprecatur Sceledrus. *Nam ex uno puteo.* Cf. Menaech. V, 9, 30. — V. 71. *Et ibi osculantem* cet. Sic verisimili, ut opinor, coniectura

Vidísti? *Sc.* Vidi; cúr negem quod víderim?
Sed Phílocomasium mé vidisse cénsui.
Pe. Ratúsne me istic ésse hominem minumí preti,
Si ego mé sciente páterer, viciné meo
Eam fíeri apud me tam ínsignite iniúriam?
Sc. Nunc démum a me insipiénter factum esse árbitror,
Quum rém cognosco; at nón malitiosé tamen
Feci. *Pe.* 'Imo indigne; nám hominem servúm suos
Domitós habere opórtet oculos ét manus
Oràtionemque. *Sc.* 'Ego, nae, si post húnc diem
Muttívero, etiam quód egomet certó sciam;
Dato éxcruciatum me. 'Egomet me dedám tibi.
Nunc hóc mi ignoscas, quaéso. *Pe.* Vincam animúm meum,
Ne málitiose fáctum id esse abs te árbitrer.
Ignóscam tibi istuc. *Sc.* 'At tibi di faciánt bene!
Pe. Nae tu hércle, si te dí amant, linguam cómprimes
Posthác; etiam illud, quód scies, nescíveris;
Neu víderis, quod víderis! *Sc.* Bene mé mones.
Ita fácere certum est. Séd satine oratús's? Abit.

---

restitui hunc et sequentem versum, quos mutilos e Cod. rescripto Ambrosiano produxerat Ang. Maius. Hic ita scriptos exhibuit:

Et ibi osculantem meum . . . . hos . . . .
Video ut videtur negem quo . . . .

Sed teste Ritschelio V. Cl. in cod. Ambr. rescripto legitur: *Vidisti — Vidi. cur negem quod viderim.* Haec posteriora: *cur negem quod viderim* dudum ego coniectura assecutus, hos versiculos sic olim scribendos existimabam:

Et ibi osculantem meam illam vidisse hospitam?
Sc. Vidi ut videtur; cur negem quod viderim?

Alterum versum Sceledro adtribuendum esse, ut qui h. l. repetat, quod supra v. 51. dixisset, Osannus vidit Anal. critt. p. 216. Nunc vero post Ritschelii inventum sic legendos existimo versus, ut exhibui. *Quod viderim*, quod vidi, ut opinor. — V. 77. Vulgo: *Ratusne me istic hominem esse omnium minimi pretii*, quae quum in metrum peccarent, vario modo correxerunt. Nos v. *omnium* omisimus. *Istic* intelligitur Sceledrus. V. 79. *Eam fieri*; pro his in Codd. Pall. legitur: *Em fieri*, in Cod. Lips. et Edd. vett. *Inferri*. *Em* et *im* vetustae sunt accusativi formae pronominis *is*, quarum alterutra restituenda huic loco videtur. V. 83. *Imo indigne.* Indignum enim est, a servo accipere iniuriam. *Nam* non eliditur. Vulgo *namque*, sed e correctione. *Ego nae.* Vulgo *egone?* quod nihili ad sententiam. Quod dedimus, debetur Weisio. *Muttire* sono fremebundo aut oris strepitu se mutum ostendere, aut labris clausis sonum quendam edere, a Graeco μύειν. *At tibi di* Sic Herm. emendavit Elem. doctr. metr. p. 133. ne quattuor breves concurrerent, quod vitarunt Scenici illo versus loco. In vv. *di amant* monosyllabum non liquescit. *Neu videris.* Vulgo *n e;* sed continuatur prohibentis oratio.

V. 93. Dubitat Sceledrus, utrum satis oraverit senem, ut sibi ignoscat. Hoc igitur quaerit, dum abeuntem videt. Neque

Sc. Numquíd nunc aliud mé vis? *Pe.* Ne me nóveris. —
Sc. Dedit híc mihi verba. Quám benigne grátiam
Fecít, ne iratus ésset! Scio, quam rém gerat:
Ut míles, quom extemplo á foro adveniát domum,
Domi cómprehendat. Una hic et Palaéstrio
Me habént venalem; sénsi et iamdudúm scio.
Nunquam hércle ex ista nássa ego hodie escám petam;
Nam iam áliquo aufugiam et me óccultabo aliquót dies,
Dum haec cónsilescunt túrbae atque irae léniunt.
Iam núnc satis pipulo ímpio meruí mali. —

---

vero etiamnum satis supplex fuisse sibi videtur Sceledrus, quapropter denuo officiose alloquitur Periplectomenem: *Numquid vis?* Vulgo legitur: *sed satine oratus abis*, pro quibus Acidalius: *sed satine oratus? Pe. Abi. Sc. Numquid* cett. Non vero abit Sceledrus, sed Periplectomenes, quare longe accommodatior est Codd. lectio: *abit*, non mutata persona, oratione tamen melius distincta. Iam abiturum se simulat Periplectumenes. Sceledrus autem non ex animo illum sibi ignovisse putat, quare occultare se per aliquot dies, dum ira heri leniatur, constituit. *Venalem aliquem habere*, ut *vendere aliquem*, aliquoties est incautum opprimere, inscium prodere. Recte comparat Taubmannus nostrum: verrathen und verkauft. *Nunquam hercle* cet. citat Festus in *Nassa*, pag. 108. 180. ed. m. Addit interpretationem: *Nassa est piscatorii vasis genus, quo cum intravit piscis, exire non potest.* Est igitur proverbium eorum, qui insidias timent et evitare student. *Leniunt* cf. Aul. Gell. XVIII, 12. Verba activa intransitive poni, maxime apud poetas, notissima est observatio. Sic frequens illa formula *terra movet*, ut aliae, et *tempestas sedavit*, *venti posuere*, *volventibus annis*, *insinuat pavor*, *nox humida coelo praecipitat*, *palliolum rugat*. Plaut. Cas. II, 3, 30. Haec Taubmannus ad hunc locum. Ratio est, quod res patiens eadem et caussa efficiens, agens cogitatur, vel certe altera ab altera cogitatione non satis discernitur. Sic igitur et poeta nostras: *da giesset unendlicher Regen herab.* — *Iam nunc satis pipulo* cet. Sic de palmaria Bothii emendatione exhibendum erat. Vulgo: *nam iam nunc satis et plus nimio merui mali.* Primum vocc. *nam iam* alterutrum deesse solet in MSS. et vett. editt. Tum pro vv. *et plus nimio*, exhibent: *populo impio*, quod in *pipulo impio* mutandum praeclare vidit Bothius. *Pipulum*, priscum vocabulum, *convicium*, flagitium, quod alicui publice occentatur. Glossar. Isidori apud Gothofr. et Excerpta Pith. apud eundem: *Pipulo, convicio, ploratu;* et *pipulare, resonare.* Sic enim haec legenda. Unde *pipulo aliquem poscere*, formula in prisco Romanorum iure frequentata, publico convicio existimationem alicuius laedere. Heinecc. antiq. Romanar. IV, 4, 2. Haubold. de ritu obvagulationis pagg. 9. 24. *Poscere*, ut *postulare* aliquem est accusare, crimen in aliquem coniicere. Igitur in fragmento Gn. Mattii apud Gell. XX, 8. *Deín coquenti cúncta vasa deiectat Nequámce scitaménta pipuló poscit.* Unde simul intelligitur, *pipulum* primam producere; versus enim sunt choliambi. Affertur etiam locus ex Plaut. Aulul. III, 2, 32. *Te iám nisi réddi Mihi vása iubés, pípulo differam hic ante aédis.* Qui ritum obvagula-

Vèrúm tamen, de me quícquid est, ibo hínc domum. —
Pe. Ille hínc abscessit. Sát edepol certó scio,
Occísam saepe sápere plus multó suem,
Quom mánducatur. 'Usque adhuc actum ést probe;
Nimiúm festivam múlier operam praébuit.
Nam illíus oculi atque aúres atque opínio
Transfúgere ad nos, ne íd quod vidit, víderit.
Redeo ín senatum rúrsus; nam Palaéstrio
Domí nunc apud me, Scéledrus nunc autém foras.
Frequéns senatus póterit nunc habérier.
Ibo íntro; ne, dum absim, ílli sortití fuant.

ACTVS III. SCENA I.

Palaestrio, Pleusides, Periplectomenes.

Pa. Cóhibete intra límen etiam vós parumper, Pleúsides.
Sínite me prius pérspectare, ne úspiam insidiaé sient,
Cóncilium quod habére volumus; nam ópus est nunc tutó loco,

---

tionis huc immiscuerunt, vehementer erraverunt, refutati ab Hauboldo l. c.

V. 105. Iam degresso Sceledro redit Periplectomenes, qui abire se simulaverat, et consilia iam conferenda esse indicat de iis rebus, quae porro agendae sint. Verba: *Quom manducatur*, varie tentata sunt a viris Criticis, quum in scriptis libris varie legantur, et sequens hemistichium absonam iis habeat sententiam. Sed mutanda non erant, quippe, ni legantur, manca sententia versus antecedentis. Igitur Acidalium secutus transposui versus. Vulgo enim sic se excipiunt versus. *Occisam — Cum manducatur, ne id, quod vidit, viderit. Nam illius — Transfugere ad nos. usque adhuc actum est probe. Nimium festivam* cett. — *Illi sortiti fuant.* Vulgo: *Illis sortito fuam*, quod nihili ad sententiam. Cod. V. Cam. *multi sortito fuam* Dec. *multi sortito fuam.* Neutrum verum esse potest. Acidalius corrigere conatus est sic: *illi in sortito sient.* Sed ne hoc quidem sufficit. Non enim dicitur *in sortito esse* pro *sortiri*, nec *sortito* sed *sortitu* vel *sortitione* dicendum. Quare, nisi gravius mendum latet, scribendum videtur: *illi sortiti fuant. Sortiri* est provincias inter se distribuere, facta h. l. translatione a solemni provinciarum sortitione apud Romanos. Metuit igitur Periplectomenes, ne, dum foris cunctetur, illi intus provincias dolorum et machinarum in decipiendo Milite adhibendarum inter se distribuant, sibique nihil loci in re gerenda relinquatur.

Act. III. Sc. I. Palaestrio, Pleusides et Periplectomenes consilia conferunt, quomodo Militem circumveniant et Philocomasium ab eius potestate vindicent. Primum ingreditur Palaestrio speculaturus, an omnia in tuto sint. *Concilium quod habere volumus;* attractione satis frequenti, pro eo, quod dicendum erat: ei concilio, quod habere volumus, vel, quae usitatior est structura: *ne, quod concilium habere volumus, ei uspiam insidiae*

'Vnde inimicus né quis nostri spólia capiat cónsili;
'Unde inimicus né quis nostra spólia capiat aúribus.
Nám bene consultúm consilium súrpitur saepíssume,
Sí minus cum cura aút κατὰ λόγον lócus loquendi lértus est.
Nám bene consultum ínconsultum est, si ínimicis sit úsui,
Néque potest, quin, si íd inimicis úsui est, obsít mihi;
Quíppe si resciverint inimíci consiliúm tuum,
'Tuópte tibi consílio occludunt línguam et constringúnt manus,
'Atque eadem, quae illís voluisti fácere tu, faciúnt tibi.
Séd speculabor, né quis aut hinc á laeva aut a déxtera
Nóstro consilió venator ássit cum auritís plagis.
Stérilis hinc prospéctus usque ad últimam plateam ést probe;
'Evocabo. Heus, Périplèctomene et Pleúside, progrédimini!
Pe. 'Ecce nos tibi obédientis. *Pa.* Fácile est imperium ín bonis.
Séd volo scire, eodém consilio, quód intus meditatí sumus,
Sí gerimus rem. *Pe.* Mágis ad rem esse nón potest utíbilius.

---

sint. — *Unde inimicus.* Hi duo versus sic vulgo leguntur: *Vnde inimicus ne quis nostris spolia capiat consiliis, Vnde inimicus ne quis nostra spolia capiat auribus.* Codd. nihil exhibent varietatis atque utrumque versum constanter tuentur. Qui propter similitudinem alterutrum pro spurio indicaverunt, non meminerunt loci plane similis Captiv. V, 4, 25. ubi pariter versus gemini leguntur: *Nunc demum in memoriam redeo, quom mecum recogito; Nunc edepol demum in memoriam regredior, audisse me.* Ad quem locum cf. quae notavi. *Nostra spolia*, spolia de nobis. Similiter supra II, 1, 2. *Vostra erit benignitas*, pro: *vobis erit b. Spolia* autem *auribus capere* significat sermones auribus aucupare. — Versus 6. et 7. ex Acidalii coniectura h. l. interpositi sunt, quum vulgo duobus versibus inferius legerentur. *Bene consultum consilium*, Scioppii est emendatio susp. lectt. II, 15., qui bene vidit, vulgatum *bonum consilium* glossam esse. Et vett. editt. exhibent: *nam bene consultum surripitur saepissime.* — Κατὰ λόγον. Codd. *catalogus* vel *catalogo*, omissa voce *locus* propter similitudinem. Recte Salmasius coniecisse videtur, quod dedimus. Est autem κατὰ λόγον recte et cum ratione, non temere. Vulgo *cate locus l. lectus est.* Weisius dedit: *caute locus l lectus est.* — *Cum auritis plagis*, pr. plagis aures habentibus. Iocular iter pro eo, quod dicendum erat: cum auribus plagarum instar ad capiendum intentis. *Sterilis prospectus* est, quam *puram plateam* dixit Horatius Epist II, 2, 71. Ut enim *sterilis ager*, ubi nihil frugum conspicitur, *steriles manus*, in quibus nihil est, quae nihil afferunt; sic. h. l *plateae prospectus sterilis* hominibus vacuum significat. — Iam evocat Palaestrio reliquos, qui in consilium adhibendi sint. *Si gerimus rem*, pro utrum *geramus rem.* Si cum indicativo, ut Graecorum εἰ in eodem significatu. Exempla, ubi *si* pro utrum, multa congessit Pareus in lexico Plautino. Instar omnium est illud Horatii Epist. I, 7, 39. *Inspice si possum donata reponere laetus.* — *Utibilius* scripsi cum Buthio, versu postulante, pro vulgato *utibile.* Depravatio inde orta, quod non caperent abundantiam Plauti propriam: *magis*

Pa. 'Imo quid tibi? *Pl.* Quódne vobis pláceat, displiceát mihi?
Quís homo sit magis méus quam tu es? *Pe.* Lóquere lepide et cómmode.
Pa. Pól ita decet hunc fácere. *Pl.* At hoc me fácinus miserum mácerat
Meúmque cor corpúsque cruciat. *Pe.* Quíd id est, quod cruciát? Cedo.
Pl. Mé tibi istoc aetátis homini fácinora puerília
'Obicere, neque té decora néque tuis virtútibus;
'Ea te expetere; ex ópibus summis meí te honoris grátia
Míhique amanti ire ópitulatum atque éa te facere fácinora,
Quae ístaec aetas fúgere facta mágis quam sectarí solet.
Eám pudet tibi me ín senecta obícere sollicitúdinem.
Pe. Nóvo modo tu, homo, amás, si quidem te quícquam, quod faxís, pudet.
Níhil amas; umbra és amantum mágis, quam amator, Pleúsides.
Pl. Hánccine aetatem éxercere mei me amoris grátia!
Pe. Quíd ais tu? Tam tíbi ego videor óppido Acherúnticus?
Tám capularis támve tibi diu vídeor vitam vívere?
Nam équidem haud sum annos nátus praeter quínquaginta et quáttuor;
Cláre oculis videó, sum pernix mánibus, sum pede móbilis.

---

utibilius. Cf. quae supra notavimus ad Captiv. III, 4, 111. *Quodne;* cf. supra ad Mil. I, 1, 66. *Magis meus, quam tu es.* Male haec tentata a Bothio. Is, *in consiliis,* inquit, *examinandis amicitia nihil valet.* Sed *meus* h. l. non ad amicitiam, sed ad commodum referendum. Igitur *quis homo sit magis meus,* est: quis magis in rem meam facere et consulere possit. Quod iam ab aliis intellectum recteque provocatum ad Cas. III, 1, 74. ubi *omen nostrum,* pro eo, quod in rem nostram. Ceterum Cod. V. Cam. a pr. m. *Quis h. sit magis ms quamvis loqui,* a. m. sec. *Q. h. s. magis me usquam loqui.* Cod. Dec. *Q. h. s. magis meus quam us loqui.* Ex quibus fecit Lambinus: *Pe. Quis homo scit magis unquam, quam tu, loquier lepide et commode.* Frustra.

V. 22. Pudet Pleusidem, quod Periplectomenem, senem venerabilem, amoris sui gratia, in res tam indignas et ludicras implicuerit. *Te decora,* decentia. Adiectivum casum verbi ascivit. *Novo* monosyllabum est. V. 32. Vulgo *me mei amoris.* Codd. Pall. ignorant *mei.* Legendum *mei me.* V. 33. Pro *tam* vulgo: *itan';* nos Nonii scripturam, qui hunc versum pag. 4. laudat, exhibuimus, ad vitandum hiatum. Idem Nonius exhibet *Acheruntius. Capularis,* vicinus capulo, ut explicat Servius ad Virg. Aen. VI, 222, ubi hic locus citatur; cf. idem ad Aen. XI, 64. *Albus capillis.* Vulgo: *albus capillus.* Sed loquitur Palaestrio digito in senem intenso, non in eius capillum, quod seqq. docent.

Pa. Si álbus capillis híc videtur, neútiquam ab ingenio ést senex.
'Inest in hoc amússitata súa sibi ingenua índoles.
Pl. Pól id quidem experiór ita esse, ut praédicas, Palaéstrio.
Nám benignitás quidem huius óppido adulescénluli est.
Pe. 'Imo, hospes, magis quóm periclum fácies, magis noscés meam
Cómitatem ergá te amantem. *Pl.* Quíd opus nota nóscere?
Pe. 'Ut apud te exémplum experiundi hábeas, ne petás foris.
Nám nisi qui ipse amávit, aegre amántis ingenium ínspicit;
Séd ego amoris áliquantum habeo humórisque etiam in córpore,
Néque dum exarui éx amoenis rébus et voluptáriis.
Vél cavillatór facetus vél conviva cómmodus
'Item ero, neque ego unquam óblocutor sum álteri in convívio;
'Incommoditate ábstinere me ápud convivas cómmode
Cómmemini, et meae orátionis iústam partem pérsequi,

Neutiquam ab ingenio est senex. Ita Scioppius rescribi iussit. Vulgo: *neutiquam ingenio.* Sed Codd. Pall. *neutiquam ibi ing.* unde Bothius efficere voluit *neutiquam ibi ingenium est senex.* Nihil dico de *sene ingenio*, quod Bothio defendendum relinquo. *Ab*, Scioppii coniecturam, confirmat Nonius, qui h. v. p. 456, citat. De praepositione *ab* in eiusmodi formulis supra egimus ad Captiv. II, 3, 11. Alia exempla congessit Sciopp. susp. lectt. V, 3. *Inest in hoc.* Versum h. citavit Nonius p. 9. *Amussis est aequamen, levamentum, i. e. apud fabros tabula quaedam, qua utuntur ad saxa coagmentanda.* Varro in Quaestt. Plaut. apud eundem Non. l. c. *Sua sibi* cf. supra ad Captiv. I, 1, 13. Syllaba in *experior* ultima producitur. Cf. quae notavimus supra ad Captiv. IV, 2, 11. Ibid. III, 3, 15.

V. 42. Dixerat senex, magis experturum suam comitatem Pleusidem, si periculum magis facere velit. Cui iuvenis: cur opus est, ut noscam, quod iam dudum scio? Senex vero caussam subiicit: ut in te ipse expertus sis, si quid tale ipse aliquando aliis praestare velis; ut in temet habeas exemplum, quod imitari possis. *Exemplum experiundi*, experimentum. Ut ipse in te scias factum olim comitatis ac benignitatis experimentum, quod tu, senex factus, in aliis imitari possis. *Nam nisi qui ipse.* Sic Gruterus ad vestigium MSS. Vulgo ex Camerarii emendatione: *Nam qui ipse haud amavit.* Sed *haud* a Codd. abest. — Sequenti versu primum pro vulgato *et* recte scribitur *sed.* Est enim oppositio ad superiora. Alii *at.* Tum *aliquantum* in Codd. Pall. pro vulgato *aliquantulum*, quod in metrum peccat. Deinde vulgo: *meo etiam corpore.* Sed *meo* versus respuit, neque comparet in vett. editt. In *voluptariis* quarta a fine urgente accentus vi in antep. corripitur. Incommoditas est ἀηδία, vitium illud, quo aliis semper molesti sumus, et fastidium creamus. Sunt enim homines, qui eam habent in congressibus et in vitae quotidianae usu scaevitatem ac sinisteritatem, ut aliis semper taedium creent.

'Et meam partem itidém tacere, quom áliena est orátio.
Mínume sputatór, screator, sum, ítidem minume múccidus;
Póst Ephesi sum nátus; non enim in 'Apulis, non 'Animulae.
Pl. 'O lepidum semísenem, si, quas mémorat, virtutés habet,
'Atque equidem plane éducatum in nútricatu Vénerio!
Pe. Plús dabo, quam praédicabo, ex mé venustatís tibi.
Néque ego ad mensam públicas res clámo, neque legés crepo,
Néque alienum ego únquam scortum súbigito in convívio;
Néque praeripio púlpamentum, néque praevorto póculum,
Néque per vinum unquam éx me exoritur díscidium in convívio;
Sí quis ibi est odiósus; abeo dómum, sermonem ségrego;
Vénerem, amorem amoénitatemque áccubans exérceo.
Pl. Tuí quidem edepol ómnes mores ád venustatém valent.
Cédo tris mi homines aúrichalco cóntra cum istis móribus!
Pa. 'At quidem, illoc aetátis qui sit, nón invenies álterum
Lépidiorem ad omnés res, nec, qui amícus amico sít magis.
Pe. Túte me ut fateáre faciam esse ádulescentem móribus;
'Ita apud omnes cómparebo tíbi res benefactís frequens.
'Opusne erit tibi ádvocato trísti, iracundo? 'Ecce me.

Meam partem tacere. Cf. supra ad Captiv. III, 3, 11. Differt *muccidus* a *mucido.* Muccidus est, cui sordes narium defluunt. *Non enim in Apulis.* Sic MSS. et veteres editt. Vulgo *enim* abest. *Animulae.* Sic legendum cum Scioppio e vestigio MS. Cam. qui *inimula* exhibet, pro quo vulgo *in Umbria* excuditur. Tum Philargyrius ad Virg. Georg. II, 134. satis testatur, *Animulae* se legisse. *Animula* autem, ut Festus (pag. 21. et pag. 335. ed. m.) ait, *urbs parvarum opum in Apulia.* Hoc igitur dicit lepidus senex: Postremo, ut paucis dicam, Ephesius sum, non Apulus, neque Animulanus. Ephesum elegantiis omnium generum floruisse, Apulos contra rusticos illepidosque habitos, vulgo constat. Animulam post Apulos haud dubie propterea diserte nominat, quod eius cives ob stupiditatem et rusticitatem prae aliis Apulis famosi. — *Semiscnem* omnes MSS. et editt. vett., si quaedam vitia scripturae excipias, tuentur. Contra metrum Lipsius antiquam formam *senicem* reposuerat, quod recentiores secuti sunt. — V. 56. Iam virtutes suas ilocaliter recenset singulas venustus senex. — V. 57. *Neque ego* cet. non est in MSS. inventus, sed a Goldasto et Colero e Servio (ad Aeneid. I, 738.) huc reductus. *Segregare sermonem* est finem facere loquendi, se ipsum a colloquio segregare. cf. Poenul. I, 2, 136. *Aurichalco contra;* aequo pondere aurichalci. Da mihi tres istis moribus praeditos, et ego tibi aequi ponderis, atque illi trahunt, aurichalcum appendam. *Illoc aetatis.* Neutrum ablativi, pro illac aetate, quod eorum caussa notavi, qui h. l. *illuc* scribunt. *Advocati* dicuntur amici, qui in caussa quadam in auxilium vocati aut de iure respondent interrogati, aut praesentia sua caussam nostram tuentur, suam nobis operam commodantes. Cf. Ascon. ad Cic. Div. in Verrem II, 4. Adde Terent. Phormion. II, 1, 82. *Inde ibo ad forum atque aliquot mihi ami-*

'Opusne leni? Léniorem díces, quam mutum ést mare;
Líquidiusculúsque ero, quam véntus est favónius.
Vél hilarissumúm convivam hinc índidem expromám tibi,
Vél primariúm parasitum atque óbsonatorem óptumum;
Tum ád saltandum nón cinaedus málacus aeque est átque ego.
Pa. Quíd ad illas artís optassis, si óptio eveniát tibi?
Pl. Huíc pro meritis út referri páriter possit grátia
Tíbique, quibus nunc me ésse experior súmmae sollicitúdini.
'At tibi tanto súmtui esse, míhi molestum est. *Pe.* Mórus es;
Nam ín mala uxore átque inimico sí quid sumas, súmtus est;
'In bono hospite átque amico quaéstus est, quod súmitur,
'Et quod in divínis rebus súmas, sapientí lucro est.
Deúm virtute tránseuntem accípere apud me est cómitas.

---

eos advocabo, ad hanc rem quí adsient, ut ne imparatus sim, si adveniat Phormio. Cf. etiam ridiculae advocationis exemplum, quod apud eundem est Terent. ibid. II, 4 — *Liquidiusculusque.* Vox comica indicat, totam orationem ὑπερβολικῶς, non serio et simpliciter dici. Citat vero hunc versum Nonius pag. 334. *Hinc indidem* de persona, ut *inde* et *unde*, quod supra notavimus ad Captiv. Prol. 30. *Tum ad saltandum* cet. Citat Nonius p. 5. Adde Sciopp. susp. lectt. II, 15. *Malacus* Graecum a Plauto civitate Latina donatum, saepe legitur apud Plautum. *Malacum pallium* quod infra h. sc. 93. legitur, etiam in Bacch. I, 1, 38. habetur. Et similia saepe alibi.

V. 75. Quaerit Palaestrio e iuvene, quid, si optio daretur, praeter illas virtutes seni amplius esse optaret; quid amplius senem habere vellet. Respondet Pleusides: nihil, nisi ut gratia ei referatur. Pergit: idem tibi opto; utrique enim vestrum tanta negotia facesso. Molestum etiam est, quod tibi, Periplectomene, tanto sumtui sum. Senex vero, nihil est, quod timeas, nullus enim est iste sumtus. *Sumere* pro impendere, consumere; ex qua verbi notione *sumtus* dicitur. — *Deum virtute transeuntem* cet. Gruterus e ductu MSS. pro vulgato: *Deum virtute euntem (ut euntem* alii) *hospitio accipere*, restituit hoc modo: *D. v. ut transeuntem hospitio accipiam.* Vereor ne nimium viderit Gruterus. Et quidem v. *transeuntem* etiam apud Nonium est p. 415. *Vt* vero, quae vocula apud Nonium desideratur, corruptelae ansam praebuisse videtur, orta ex male intellecto compendio $\bar{t}$, vel $\bar{tr}$, i. e. *trans.* Unde sequitur, pro *accipiam* veterem lectionem esse asciscendam *accipere;* Nonius *accipi.* Infinitivus pro gerundii genitivo, ut supra notavimus ad Captiv. II, 3, 63. *Hospitio* aperte glossa ad v. *accipere.* *Transire* dicimur, ubi in longiore itinere per oppidum proficiscimur, aut devertentes aliquamdiu, aut non commorantes. Igitur *transeuntes* sunt: durchreisende Fremde, quod nos dicimus. Habebant autem, ut constat, veteres in provinciis et singulis fere oppidis suum quisque hospitem, apud quem, si quando iter illuc ferret, devertere solebant. Hunc igitur morem respiciens ait Periplectomenes: Deûm beneficio factum est, ut satis comiter possim accipere hospites meos transeuntes. De formula *deum virtute* cf. supra ad Captiv. II, 2, 74.

'Es, bibe, animo obséquere mecum atque ónera te hilaritúdine.
Líberae aedes, líber sum autem ego; mé volo uti líbere.
Nám mihi deum virtúte, dicam, própter divitiás datas
Lícuit uxorém dotatam génere summo dúcere;
Séd mihi nolo oblátratricem in aédis intromíttere.
Pl. Cúr nevis? nam prócreare líberos lepidum ést onus.
Pe. Hércle vero; vérum liberum esse, id multo est lépidius.
Pa. Tú homo et alterí sapienter pótis es consulere ét tibi.
Pe. Nám bona uxor si éa deducta est úsquam cuiquam géntium,

V. 83. *Es, bibe* cet. a Nonio citatur p. 120. *Animo obsequi* seiner Neigung willfahren. *Animus* enim apud Plautum agendi quamlibet cupidinem notat ac tum *menti* opponitur. Cf. infra ad Trin. II, 2, 29. — *Onera te hilaritudine.* Cf. quae notavi supra ad Captiv. III, 1, 5. et ibid. IV, 2, 47. ubi est *laetitia onerare.* Adde ibid IV, 1, 7. ubi est *amoenitate onerare.* In quibus formulis v. *onerare* nullam nisi *explendi* significationem habet. *Liberae aedes* cet. Sic secundum Bothium metri caussa restituimus. Vulgo: *Liberae sunt aedes — me uti volo libere. Autem* non copulandi, ut volunt, in eiusmodi structura, sed iterandi vim habet, et plerumque idem quod antea dictum repetit, et ad aliud transfert. Exemplorum copiam praebet lexicon Parei. Est autem haec nativa huius vocis potestas, qua respondet Graecorum particulae αὖ, ex qua *autem* derivandum est. Sic in vernacula lingua particula *aber* proprie iterativam habet notionem, quae nunc etiam superest in *abermals.* Conf. Hand. Tursell. I. p. 572. *Se uti.* Passive h. l. dictum *uti*, ut sit sententia: volo, ut alii me libere utantur, ut quisque me et meis libere fruatur. Cf. Priscian. VIII, 6, tom. I, p. 380., qui *uto* et *utor* dici testatur. Adde Novii fragm. apud Gellium XV, 13. *Quia supellex, quae non utitur, emitur tamen.* Legenda etiam, quae Gellius l. c. exponit. *Cur nevis.* Ita Palmerius, numero molliore. Vulgo: *non vis. Lepidum est onus.* MSS. et vett. editt. *lepidus sonus,* unde Lipsius coniecit, quod dedimus. Bothius: *lepidum est opus*, secundum Toupium, quo nihil est opus. Non absimiles sunt locutiones, ubi *onerare* de re iucunda dicitur, ut *laetitia onerare* et similes. Cf. laudata supra ad Captiv. III, 1, 5. *Hercle vero; verum.* Sic dedimus ex Camerarii editione; vulgo *verum* deest sublata distinctione. Bothius volebat: *Hercle vero liberum esse me, id* cet. Sed multo probabilior est Camerarii lectio, propterea quod *verum* absorptum esse a superiori vocula credibile est. *Tu homo;* sic Codd. et vett. editt. Vulgo *tute.* Sed de hiatu ante vocem *homo* solemni cf. Lingius in lib. de hiatu in vv. Plaut. p. 53. *Si ea deducta est* cet. Sic de Danzii coniectura valde probabili scripsimus. Vulgo abest *cuiquam*, quod ab voce *usquam* absorptum est. Veteres editiones locum sic exhibent: *Si ea quidem deducta est usquam gentium*, ubi v. *quidem* plane absona est atque inutilis. Structura talis est: nam si deducta est usquam ad quemquam bona uxor, ubi eam possim invenire? pro eo, quod dicendum erat: nam ubi possim invenire bonam uxorem, si ea usquam deducta est ad quemquam.

'Ubi eam possiem ínvenire? Vérum egon' eam ducám domum,
Quaé mihi nunquam hoc dícat: „Eme, mi vír, lanam, unde pállium
Málacum et calidum cónficiatur túnicaeque hibernaé bonae,
Ne álgeas hac híeme" (hoc nunquam vérbum ex uxore aúdias);
Vérum, priusquam gálli cantent, quaé me somno súscitet,
Dícat: „Da mihi, vír, Calendis meám quod matrem iúverit;
Dá, qui farcit; dá, qui condit; dá, quod dem Quinquátribus
Praécantatricí, coniectrici, háriolae atque harúspicae.
Flágitium est, si níhil mittetur, quó supercilió spicit.
Túm piatricém clementer nón potest quin múnerem.

Usquam non est *alicunde*, ut quibusdam visum est, sed *aliquo*, aliquem in locum. Sic Cic. Philipp. I, 1. *Nec vero usquam discedebam.* Vide quae de v. *nusquam* supra notavimus ad Captiv. I, 2, 70. De v. *malacum* cf. supra ad v. h. sc. 73. *Calendis meam quod matrem iuverit.* Intelliguntur Calendae Martiae, quo die Matronalia celebrabantur, eratque solemne matronis, munera sibi invicem mittere. Cf. quae Mitscherlichius collegit ad Horat. Carm. III, 8. *Da qui farcit.* Recte hic Bothius indicativum restituit, etiam metri caussa. *Da qui farcit* non est, da mihi aliquem, qui mihi farcimina farciat, sed *da mihi fartorem.* In Codd. V. Cam. et Dec. legitur mendose: *Da qui faciat* (sic) *condiat, da q. d. Q.* — *Quinquatrus, quinquatres*, et *quinquatria*, dies Minervae sacri, quibus lustrationes institui solebant, celebrati post diem V. Id. Mart. i. e. a. d. XIV. Cal. Apr. Cf. Ovid. Fast. III, 809. Add. Sosip. Charis. p. 45. ed. m. Interpp. ad Sueton. Domit. 4. Creuzer. Symbolik II, p. 814 seqq. et qui ibi citati sunt scriptores. Festus p. 218 ed. m. haec: *Quinquatrus appellari quidam putant a numero dierum, qui fere his celebrantur. Qui scilicet errant, tam hercule, quam qui triduo Saturnalia et totidem diebus Compitalia; nam omnibus his singulis diebus fiunt sacra. Forma autem vocabuli eius, exemplo multorum populorum Italicorum, enunciata est, quod post diem quintum Iduum est is dies festus. Ut apud Tusculanos* T r i a t r u s *et* S e x a t r u s *et* S e p t e n a t r u s *et apud Faliscos* D e c i m a t r u s. — *Praecantatrix*, mulier, quae carminibus, incantationibus mala amoliri credebatur. *Coniectrix*, quae interpretabatur somnia. *Hariola*, quae divini alicuius numinis instinctu correpta fata praedicit. *Haruspica*, ἱεροσκόπος, quae e sacris divinatur. Ita haec discriminantur. Femininis utitur poeta, quia harum artium officia sexibus distincta erant, ut v. c. viri coniectoribus, mulieres coniectricibus uterentur. *Flagitium est, quo — spicit.* Turpe est, quam irata me aspiciat; quo vultu me intueatur. Es ist eine Schande, wie zornig sie aussieht, mich ansieht, *Supercilia* tollere iratorum. Cf. Catull. LXV, 46. Versum hunc citat Festus in v. *spicit*, pag. 257. ed. m. ubi huius simplicis verbi etiam alia exempla inveniuntur. Adde eundem Festum in v. *Spiciunt* pag. 264. ed. m. *Tum piatricem* cet. Piatrix die infantis lustrico sive nominali, quo nomen infanti indebatur (ὀνομαστήρια Graeci vocant), lustrandi partes habebat. Festus pag. 198. ed. m.: *Piatrix dicebatur sacerdos, quae expiare*

Iámpridem, quia níl abstulerit, súscenset ceráriá.
Tum óbstetrix expóstulavit mécum, sibi missúm parum.
Quíd? Nutrici nón missurus's quícquam, quae vernás alit?
Haéc atque huius símilia alia dámna multa múlierum
Mé uxore próhibent, quae huius símilis sermonés serat.
Pa. Dí tibi propitií sunt hercle; nám si semel amíseris
Líbertatem, haud fácile te in eum rúrsus restitués locum.
Pl. 'At illaec laus est, mágno in genere et ín divitiis máxumis
Líberos hominem éducare, géneri monumentum ét sibi.
Pe. Quándo habeo multós cognatos, quíd opus sit mihi líberis?
Núnc bene vivo et fórtunate atque út volo, atque animo út lubet;
Bóna mea in mortí cognatis dícam, inter eos pártiam.
'Illi apud me edúnt; me curant; vísunt, quid agam, ecquíd velim.
Príusquam lucet, ádsunt; rogitant, nóctu ut somnum céperim.
Eós pro liberís habebo, quí mihi mittunt múnera.'

---

erat solita, quam et sagam et simpulatricem vocant. — *Clementer non potest, quin.* Ita haec iungenda sunt, ut illa: *honeste non potest quin.* Sensus est: non potest, si clementer agere volumus, fieri, quin cet. *Cerariam* Dousa III, 11. esse vult mulierem, quae cereos ad sacrificiorum solemnitates rite patrandas suppeditare consverit. *Cerei* autem lychni genus, quo utebantur beatiores. Cf. Festum h. v. p. 42. ed. meae. Alii h. l. *geraria* legendum censent, interpretantes ancillam, quae in ulnis suis gestitet puerum, ὠλενοτρόφος. *Quae vernas alit;* vernarum nutrix. Conferre iubemur Boettigerum ad Horat. Od. III, 23, 7. *Sermones serere* eodem modo dicitur, ut *pugnam pugnare*, *servitutem servire.* *Sermo* enim a *serendi* vocabulo deducitur, unde item *series* et *serta*, et quod Graecis est εἴρειν, ἐρεῖν. Est igitur *sermones serere* non *spargere voces,* sed *verba facere.* — *Nam si semel.* Vulgo: *Nam si istam semel;* sed pronomen a metro respuitur. *Haud facile te in eum* cet. Vulgo: *H. f. t. in eundem*, repugnante metro et sententia. Nam *eundem* duarum brevium esse posse, nullo, opinor, exemplo constat. Et *in eum locum* est *in libertatem*, pro quo *in eundem* dici nequit, quum sequatur *rursus restitues.* — *Quid opus sit.* Coniunctivus recte se tuetur, quamvis aliquot vett. editt. *opus fit.* Hoc enim vult: cur censeam mihi opus esse. *Bona mea in morti.* Vulgo metro nullo et inficeto verborum ordine: *Mea bona mea morte cognatis dicam.* Nec dici posse puto *morte* pro *in morte.* Ut enim differunt *tota vita* et *tota in vita*, sic aliud est *morte*, aliud *in morte.* Forma ablativi *morti* defenditur locis similibus apud Plautum multis, ut *furfuri* Captiv. IV, 2, 27. *Fusti* Ibid. IV, 2, 116. *Carni* Ibid. IV, 4, 6. *Parti* Menaechm. III, 2, 14. Pers. I, 2, 20. — *Dicam*, addicam, promittam. Aul. II, 4, 14. *Nempe huic dimidium dicis.* — Pro *habebo* vulgo *habeo*, quod metro non sufficit. Tum, *quam mittunt munera* pro vv. Codd. Pall. *Quin mihi m m.* Vulgo *Ad exta abducere* est invitare ad exta sacrificiorum, vocare ad epulas sacras. *Convi-*

Sácruficant? dant índe partem míhi maiorem, quám sibi;
'Abducunt ad éxta me; ad se ad prándium, ad coenám, vocant.
'Ille miserrumúm se retur, mínumum qui misít mihi.
'Illi inter se cértant donis; égomet mecum mússito:
„Bóna mea inhient, dúm certatim nútriant et múnerent.“
Pa. Nímis bona ratióne nimiumque ád te et tua multúm vides,
'Et tibi sunt gemini ét trigemini, sí te bene habes, fílii.
Pe. Pól, si habuissem, sátis cepissem míseriarum líberis.
Cóntinuo excruciárer animi, sín forte fuissét febris;

---

via rem sacram olim comitabantur; aut si nollent convivium celebrare, e victima partes ad amicos mittebant. Casaub. Ceterum de accentu in *abducunt* cf. notata in vet. pros. *Mussitare* h. l. est depressa et clandestina voce loqui, secum loqui, ne alii audiant. Inde etiam *tacere*, ut Terent. Ad. II, 1, 53. *mussitanda iniuria est.* — *Bona mea inhient* cet. Haec partim Lipsii emendationem exhibent, quam perfecit Bothius, ut mihi videtur. Quum enim Lipsius e libris Vaticanis restituisset: *certatim nutricant et munerant;* Bothius vulgatum *dona* post v. *certatim* non sic temere abiiciendum esse, recte censuit, cui *dum* subesse suspicatus est. Nec metrum constat, nisi ante *certatim* syllabam interponas. *Nimium multum* frequens apud Plautum formula, qua etiam Cicero usus est pro Cluentio c. 128. *Multum videre* est recte sapere, quod verum est, abunde intelligere. Opp. *parum videre*, i. e. non satis intelligere. Vulgata: *nimisque aperta tu multum vides* Camerario debetur, cui nemo assentietur. *Si te bene habes.* Voluit ita hunc versum exhiberi Acidalius: *Ei* (scil. cognati) *tibi sunt gemini et trigemini, si te bene habent, filii.* Sed primum *et* bene sequentia superioribus annectit. Tum vulgata *si te bene habes* nihil habet offensionis. Sensus est: si tantopere te beatum sentis, quid opus est liberis?

V. 125. Hunc versum Angelus Maius reduxit e Codice rescripto. *Excruciari animi* est dubia mente vexari et perturbari. Solent Romani iis vocabulis, quae dubium, incertum, inter spem metumque fluctuantem animi affectum significant, sedem affectus genitivo casu addere. Sic *discrucior animi* Terent. Adelph. IV, 4, 1. *Excruciat me animi Antipho.* Idem Phorm. I, 4, 10. Sic *vagus animi* Catull. LXIII, 4. Et *dubius consilii, mentis; suspensus, incertus sententiae* Liv. IV, 57. aliaeque eiusmodi formulae persaepe leguntur. Sed fines huius locutionis paullo amplius proferendi sunt. Genitivus apud Latinos, frequentius apud Graecos, omnem, remotiorem inprimis, rationem, qua se habet praedicatum ad subiectum, indicat. Singularis tamen Latini sermonis ratio est, quod adiectiva quaedam statum animi et affectum significantia genitivum obiecti, h. e. rei, a qua afficimur, asciscunt. Igitur *cupidus, studiosus, curiosus, amans, certus* et *incertus, dubius, vagus*, aliaque similia aut genitivum rei, de qua, aut genitivum rei, qua laboramus, requirunt. Atque ita non solum *incertus sum animi*, sed etiam *incertus sum veri* dicitur, Liv. IV, 23. *incerta salutis* Ovid. Heroid. XXI, 31. Dicitur tamen etiam, et usitatius, *incertus de aliqua re.* Cf. Zumpt. Gr. §. 437. Iam etiam verba ad eandem rationem strui, nihil

Cénserem emorí, cecidissetne ébrius aut de equo úspiam;
Métuerem, ne ibi défregisset crúra aut cervicés sibi.
Pa. Huíc homini dignum ést divitias ésse et diu vitám dari,
Qui ét rem servat ét qui bene habet, suísque amicis ést volup.
Pl. 'O lepidum caput! 'Ita me di deaéque ament, aequóm fuit,
Deós paravisse, úno exemplo ne ómnes vitam víverent,
Sícut merci prétium statui, pró virtute ut véneat,
Quae ímproba'st, pro mércis vitio dóminum pretio paúperet;
'Itidem divos díspertisse vítam humanam aequóm fuit;
Quí lepide ingeniátus esset, vítam longinquám darent.
Qui ímprobi essent ét scelèsti, iis ádimerent animám cito.
Si hóc paravissént, et homines éssent minus multí mali,
'Et minus audactér scelesta fácerent facta; et póstea,

---

mirum est. Cf. Plaut. Epid. I, 2, 35. *Desipiebam mentis.* — *Febris fuisset;* intellige *filio;* si forte incidisset in febrem. Ceterum aut legendum: *si forte fuisset*, aut *sin* accipiendum pro *si ne*, hoc est εἰ μή, *ob nicht;* et *sin forte*, εἰ μήπως, *ob nicht vielleicht.* Quae significatio licet nativa, tamen rara est. *Si* in interrogatione non rarum apud Plautum, veluti supra III, 1, 19. *volo scire si.* Poenul. prol. 12. *exspecto si.* Et saepe alibi. *Cecidissetne*, pendet ab *emori*, quo in vocabulo vis dubitandi inest unde sequitur particula dubitativa. Existimarem mihi moriendum esse; ita anxie dubitarem, an filius cecidisset. — Qui vulgo sequuntur versus:

Tum ne uxor mihi insignitos pueros pariat postea,
Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut paetum, aut broncum filium;

non leguntur in Codicibus, non in editt. vett. neque vero etiam in Codice rescripto Ambrosiano, sed e Festo huc traducti sunt a Bern. Sarraceno, qui tamen in vetere aliquo codice se invenisse testatus est. Citat Festus (pag. 278. et pag. 746. ed. m.) eos e Scytha liturgo, deperdita Plautina fabula. Apud Festum etiam initium eorum paullo aliter legitur: *Sin (sit) ea mihi ins.*

V. 128. *Diu* monosyllabum. *Qui bene habet*, beatus est, καλῶς ἔχει; qui quamquam rem servat, tamen non cruciat se, ut avari solent, sed genio indulget. Ad verbum *statui* ex superioribus repetendum est: *aequum fuit.* Hoc enim dicit Pleusides: sicut aequum est, merci pro virtute precium statui et improbae mercis damnum in mercatorem recidere, sic non minus iustum esset, si Dii rem ita comparassent, ut homines illiberales atque illepidi miseram ac brevem vitam, contra viri boni, commodi ac liberales vitam longinquam ac beatam viverent; ita omnes pro merito suo praemium acciperent. — Ceterum veteres editt. *statuit* et *statuunt* et Non. p. 415. versum sic citat: *Sicut merci pretium statuit, pro v. u. v.* — V. 133. *Quae improba est merces.* Sic Acidalius. Vulgo: *Quae improba est, pro mercis.* Codd. Pall. *Si pro mercedis vitio dom. pr. p.* Hoc est, si recte intelligo Pareum: *Quae improbast, pro merc. v.* cet. Charisius p. 22. ed. meae *merces* pro *merx* nominativo dici, e Sallustio annotavit. Citat etiam hunc versum Nonius, sed nullo discrimine a vulgata lectione, quam servavi.

Quí probi essent hómines, esset hís annona vílior.
Pe. Quí deum consília culpet, stúltus inscitúsque sit,
Quíque eos vituperét. Nunc iam istis rébus desistí decet,
Nám volo obsonáre; út, hospes, tuá te ex virtute ét mea
Meaé domi accipiám benigne lépide et lepidis víctibus.
Pl. Níl me poenitét, iam quanto súmtui fuerím tibi.
Nam hóspes nullus tám in amici hospítium devortí potest,
Quín, ubi triduum ibí continuum fúerit, iam odiosús siet;
Vérum ubi dies decém continuos íllius iterastí domum;
Tamétsi dominus nón invitus pátitur, servi múrmurant.
Pe. Sérvientes sérvitutem ego sérvos induxí mihi,

V. 140 Dixerat Pleusides, non ex merito Deorum beneficia inter homines distribui sibi videri. Ad quae Periplectomenes: non vituperanda sunt Deorum consilia; neque omnino nunc iam disputandi tempus est, sed obsonandi. Coniunctivus in vv. *culpet — sit — vituperet* ponitur, ut rem universe dici, nec responsum pertinere ad Pleusidem, urbane significetur. Est enim pro eo, quod dicere voluit: Si quis forte est — qui vituperat, is nescio an stultus sit. *Nil me poenitet — quanto.* Non parum mihi videtur, quantum sumtus adhoc in me fecisti. Haud parvum iudico sumtum esse, quo tibi constiti; non est, quod amplius facias. Cf. notata ad Trin. II, 2, 44. *Tam in amici.* Nemo ad tam amicum devenerit, ad tam coniunctum sibi hominem. *Tam* non liquescit *Ibi* additum a Bothio versui fulciendo et explendae sententiae, quae manca est, h. l. ultimam producit, ut Asinar I, 1, 113. *Ibo, átque ibī manébo apud argentárium.* Adde Rud. prol. 55. Plerumque enim corripit, ut *ubi.* — *Illius iterasti domum.* Camerarius hunc versum de coniectura ita dederat: *Verum ubi dies decem continuos immorabitur.* Sed Codd. et edit. Mediol. cum aliis haec monstra exhibent: *ite astodorum illus.* Aliae vett editt. *iterasti domum illos*, aliae *ire ad eundem instat.* Quod dedimus, ex Parei emendatione recepimus, nisi quod ille: *iterasti domum illius*, quae recte transposita sunt a Bothio. *Domum iterare* est repetere, ut apud Horat. Carm. I, 7, fin. *Cras ingens iterabimus aequor* Hospites, qui domum alicuius deverterunt, interdiu exspatiati, coenae tempore repetere solent domum hospitis

V. 149. Questus erat Pleusides, quod, si vel maxime domini liberales sint, servi tamen saepe hospitibus molestos et incommodos se gerant. Respondet Periplectomenes, suae domi rem aliter esse comparatam. Vulgo legitur: *Servientes servitute ego servos introduxi mihi;* metro nullo. Cui lectioni assentiunt Codd. Pall. qui exhibent: *servienti servitute ego servos* i. e. *servientis servitutem.* Omnis corruptela orta videtur ex v. *introduxi*, quod *induxi* cum legeretur, hoc pro compendio verbi *introduxi* habitum est. Alii *servos* omiserunt tanquam interpretamentum, alii *servos* pro monosyllabo esse opinati sunt. Errant, qui putent *inducere* semper apud Plautum esse *cogitare.* Cf. Trucul II, 6, 68. De formula *servitutem servire* cf. supra notata ad Captiv. II, 2, 208. et II, 3, 31. *Cum malo* aliquid facere dicuntur, qui ita faciunt, ut sibi malum i. e. poena, inde nascatur. Hoc loco

Hóspes, non qui mi ímperarent, quíbus ego essem obnóxius.
Si íllis aegre est, míhi quod volupe est, meó remigio rém gero;
Támen id, quod odio ést, faciundum est cúm malo atque ingrátiis.
Núnc, quod occepi, óbsonatum pérgam. *Pl.* Si certum ést tibi,
Cómmodulum obsoná, ne magno súmtu; mihi quidvís sat est.
Pe. Quín tu istanc órationem hinc véterem atque antiquam ámoves?
Nám proletarió sermone núnc quidem, hospes, útere:
Nam hí solent, quando áccubuere, ubi coéna apposita est, dícere:
„Quíd opus fuit hoc, hóspes, sumtu tánto nostra grátia?
„Insanivisti hércle; nam idem hoc hóminibus sat erát decem."
Quód eorum caussa óbsonatum est, cúlpant et comedúnt tamen.
Pa. Fít pol illud ad íllud exemplum. Ut dócte et perspecté sapit.
Séd iidem homines núnquam dicunt, quámquam adpositum est ámpliter:

---

poena intelligitur ea, quam qui iussa facere nolint servi subire debeant, et tamen facere. *Commodulum* nativa signif. h. l. dici puto, *cum modulo*, ita ut ne modus excedatur, was recht ist. Deminutivum, quod Camerarius e MSS. dedit, nihil nisi dicentis urbanitatem et facilitatem ostendit. Formulam *mihi quidvis sat est* in talibus solemnem et usitatam fuisse, testatur etiam hic Turpilii locus, quem ex eius Lindia servavit Priscian. de metr. Terentii c. 2. ed. meae p. 244.

Profecto ut quisque minimo contentus fuit,
Ita fortunatam vitam vixit maxime;
Ut philosophi aiunt isti, quibus quidvis sat est.

Veterem atque antiquam. Sic saepe hae voces coniungi solent, sed differunt. *Antiqua* sunt, quae ante fuerunt; *vetera*, quae diu fuerunt. *Nova* sunt, quaè non ante fuerunt, quae nunc primum proveniunt; *recentia*, quae nondum diu exstiterunt, adhuc novitatis specie se commendant. Itaque *antiqua* opponuntur *novis*, *vetera* recentibus. Sic apud Plinium Epist. III, 6. *Aes antiquum* (de signo Corinthio) quale nunc non conficitur, alt und ächt; *vetus* quod multos iam annos in usu fuit. Apud eundem Plinium Paneg. XI, 4. *homines veteres et antiqui* laudantur, ubi veteres sunt, qui diu est cum viverent; *antiqui*, quales non amplius inveniuntur. Sic *antiqui mores* in laude ponuntur, simplices, maiorum virtuti convenientes; *veteres* vero etiam in vitio poni possunt, inveterati. Cf. quae infra diximus ad Trin. II, 2, 106. Ergo h. l. *oratio vetus atque antiqua*, diese veraltete und ehedem gewöhnliche Sprache. *Sermo proletarius* est plebeius, vulgaris. *Proletarii* enim tenuissimam plebis Romanae classem conficiebant, quippe qui nihil praeter prolem in rem conferrent publicam.

V. 157. Notat Periplectomenes mores eorum convivarum, qui modestiam prae se ferentes et sumtum convivii deprecantes,

„Iúbe illuc demi; tólle hanc patinam; rémove pernam; níl moror.
„Aúfer illam offám penitam; próbus hic conger frígidus;
„Rémove, abi, aufer!“ Néminem eorum haec ásseverare aúdias;
Séd procellunt se ét procumbunt dímidiati, dum áppetunt;
Pa. Bónus bene ut malós descripsit móres! *Pe.* Haud centésimam
Pártem dixi atque, ótium rei sí sit, possim exprómere.
Pa. Igitur, id quod ágitur, ei hic prímum praevortí decet.
Núnc huc animum advórtite ambo. Míhi opus est operá tua,
Périplectomene; nám ego inveni lépidam sycophántiam,
Qui ádmutiletur míles usque caésariatus, átque uti
Huíc amanti ad Phílocomasium hanc éfficiamus cópiam, ut
Hínc eam abducát habeatque. *Pe.* Dári istanc rationém volo.
Pa. At ego mi anulúm dari istum tuúm volo. *Pe.* Quam ad rem úsui est?
Pe. Quándo habebo, igitúr rationem meárum fabricarúm dabo.

---

magnopere tamen epulas inhient et largiter sibi ingerant. *Offa penita*, offa porcina cum pene, i. e. cauda, quae pars suis a Romanis in deliciis habita esse videtur. *Probus hic conger frigidus;* frigidus melioris saporis. Tolle iam istum congrum; crastino die, ubi frigidus factus, melior erit. *Dimidiati* superiore toto corpore proni in cibos, in mensam, prae nimio appetendi studio. *Haud centesimam partem, atque.* Quum dicere vellet: non eo modo dixi, quo possim, non similiter dixi, atque possim; manente in mutata oratione comparationis vi, etiam particulam retinuit comparativam *atque*, de qua vide quae diximus ad Captiv. II, 2, 105. V. 169. Vulgo: *quod agitur hic, primum.* Codd. Pall. *quod agitur et hic primum,* pro quo scripsit Bothius: *ei i pr.* Verum erat: *quod agitur, ei hic pr.* admisso hiatu. De formula *alicui rei praevortere* cf. notata supra ad Captiv. II, 3, 100. *Admutiletur usque.* V. supra ad Captiv. II, 2, 19. *Copiam efficere ad aliquem* recte dici videtur pro *copiam adeundi aliquem facere.* Tum vulgo: *ac Philocomasio.* Codd. Pall exhibent: *ab Philocomasio*, ex quibus Gronovius fecit *ad Philocomasium*, membranas et vett. editt. secutus, ut ait. Eodem ducit lectio codd. *Igitur* in apodosi fere idem est, quod *tum*, quicum etiam saepe coniungitur in eiusmodi oratione. Retinet vero etiam sic vim aliquam illativam vel consecutivam, quae eius propria est. Quando habebo, inde sequetur, ut tibi dem. Sic plane utimur nostro *so* in apodosi. Cf. Schütz. de L. L. part. sub h. v. ibique exempla. Neque absona a vero est coniectura, qua adducimur, ut statuamus, v. *igitur* pr. esse tertiam verbi alicuius, quod consequentiam notaret, personam; ut nativa huius vocis notione fere idem sit, quod *sequitur.* Ceterum cf. Festum (p. 78), qui sic: *Igitur nunc quidem pro complectionis significatione valet, quae est ergo; sed apud antiquos ponebatur pro inde et postea et tum.*

Pe. 'Utere, accipe. *Pa.* 'Accipe a me rúrsum rationém doli,
Quam ínstitui. *Pe.* Ambo pérpurgatis tíbi operam damus aúribus.
Pa. Hérus meus ita mágnus moechus múlierum est, ut néminem
Fuísse adaeque néque futurum crédam. *Pe.* Credo ego istúc idem.
Pa. 'Itaque Alexandri praestare praédicat formaé suam;
'Itaque omnis se ultró sectari in 'Epheso memorat múlieres.
Pl. 'Edepol quid tu de ísto multa? Scío te non mentírier.
Pe. 'Et ego, ita esse, ut dícis, teneo púlcre; proin, Palaéstrio,
Quám potis, tam vérba confer máxume ad compéndium.
Pa. 'Ecquam tu potés reperire fórma lepida múlierem,
Quoí facetiárum cor corpúsque sit plenum ét doli?
Pe. 'Ingenuamne, an líbertinam? *Pa.* Aequi ístuc facio, dúmmodo

---

V. 180. Evocaverat Palaestrio Pleusidem et Periplectomenem, ut cum iis consultaret de insidiis militi struendis. Quae res quum ob sermonem inter iuvenem et senem omissa esset, servus iam exponere incipit, quid facto opus esse censeat *Credo istuc idem.* Prorsus temere fecit, qui h. l. pro *idem* scribi voluit *item.* Nam *istuc idem* est: idem, quod tu; sed *istuc item* est: eodem modo, quo tu; quod asseverare supervacaneum est. Usitata autem est coniunctio v. *idem* cum pronominibus demonstrativis. Veluti Cic. post red. in Sen. 32. *Ipse ille animus idem meus.* Idem Verr. II, 68. *Huic eidem.* Cic. ad Attic. XII, 33. *Quod idem.* Plaut. Mil. paullo superiore versu h. sc. *idem hoc.* Atque alibi saepissime. *In Epheso* non plane idem dixerim esse quod *Ephesi. Omnes in Epheso* est o. in tota Ephesi urbe; ac ne dici quidem recte possit: *Omnes Ephesi.* Non tamen est dubium, quin antiquiores Romani scriptores, maxime qui familiari sermonis genere usi sunt, oppidorum nomina et apposita praepositione et demta ea extulerint sine ullo discrimine. Sic igitur supra Mil. II, 5, 31. *Quid hic tibi in Epheso est negoti?* Et superius II, 4, 31. *Venisse Athenis in Ephesum.* Et saepius apud Plautum. Cf. Priscian XV, 2. tom. I, p. 618. — V. 184. In diversa abeunt hic libri. Camerarius MSS. apices secutus dedit: *Edepol quin te de isto multi cupiunt non mentirier;* in quibus explicandis frustra torserunt se interpretes. Mediol. sic versum exhibet: *Edepol quidem de isto multo multa scio te non m.* Aliae: *Edepol quid de isto multa? scio te n. m.* Unde recte Taubmannus coniecit, tribuenda haec, ne idem bis ab eodem dicatur, Pleusidi, quippe qui morae impatiens nolit servum diutius odiosae sibi militis mentioni inhaerere. Quem ego secutus ne in vv. *de isto* hiatus esset, interposui *tu.* Sequentem versum Periplectomeni tribui, ubi pro *sed* scripsi *et*, quod idem Taubmannus proponit. *Quam potis — tam maxime.* Quam maxime fieri potest. Cf. notata supra ad II, 5, 47.

V. 188. *Aequi istuc facio.* Vulgo: *aeque i. f.* Sed iam Lambinus e Codd. suis *aequi* reponi iusserat. Dicitur autem

Eám des, quae sit quaéstuosa, quaé alat corpus córpore,
Quoíque sapiat péctus; nam cor nón potest, quod núlla habet.
Pe. Laútam vis, an, quaé nondum sit laúta? *Pa.* Siccam, súcidam,
Quám lepidissumám potes, quamque ádulescentem máxume.
Pe. Hábeo eccillam meám clientam, méretricem adulescéntulam.
Séd quid ea usus ést? *Pa.* Ut ad te eám iam deducás domum,
'Itaque eam huc ornátam adducas ín matronarúm modum,
Cápite compto; crínes vittasque hábeat assimulétque, se
Túam esse uxorem. Ita praécipiendum est. *Pe.* 'Erro, quam insistás viam.

---

aequi facio sicut *parvi facio*, quod ipsum h. l. aliquot vett. editt. exhibent. *Pectus — cor. Cor* antiquis pro mente, prudentia, sapientia, unde *excordes*, *vecordes* pro amentibus. Sed *pectus* quum *sapere* dicitur, nihil aliud dici potest, quam quod alias dicitur: *cor sapit.* Non igitur potest pectus a corde distingui, nisi per vanum ac frigidum iocum, qualis saepe servorum personis tribuitur a Plauto. Eo h. l. utitur, ut excordes, amentes esse meretrices affirmet, quasi meretricibus corporeum tantum pectus, non mentem atque intelligentiam, tribuat. Non alio modo *pectus* a *corde* distinguitur Aulul. IV, 3, 4. ubi *cor in pectus emicare* dicitur, timenti et trepidanti Euclioni. Saepe autem apud Plautum amentes et excordes audiunt mulieres, veluti nobilissimo illo Cist. loco I, 1, 65 sqq.

Si. Quid faciam? Gy. in latebras abscondas pectore penitissumo.
Tuam stultitiam sola facito ut scias sine aliis arbitris.
Si. At mihi cordolium est. Gy. Quid? Unde est tibi cor? Commemora, obsecro!
Quod neque ego habeo, neque quisquam alia mulier, ut perhibent viri.

Sic enim ista scribenda sunt. *Lautam* dici quae Lucinam experta sit, extra dubium est, collato Amphitruonis loco II, 2, 37. Adde Terent. Andr. III, 2, 3. *Siccam, succidam;* quae et gracilis et solido sit corpore, eo habitu, quem *succulentam gracilitatem* dixit Apulei. Metam. II, p. 115. Elm. Adde Terent. Eunuch. II, 3, 26.

V. 192. *Eccillum, eccillam* de absentibus multis in locis apud Plautum, ut nos: da hab' ich einen, eine; itidem de absente. *Clientam* dixisse Plautum, Festus auctor est. Cf. supra ad argum. I, 14. *Quid ea usus est.* Cf. quae supra diximus ad II, 6, 43. *Itaque eam* cet. Vulgo: *utique*, sed Codd. Pall. *itaque*, quod recte; significat enim *et inde*, *et tum.* — *Crines — vittae.* Crinium positu plexuque matronae ab innuptis, vittarum usu ingenuae a servabus et meretricibus antiquitus discernebantur. Igitur *capere crines* Mostell. I, 3, 69. est *nubere*, ad quem locum cf. Lipsius Antiqq. lectt. III, 1, 142. De vittis cf. Broukhus. ad Tib. I, 6, 63. *Erro*, incertus sum, dubito. *Dubito quam*

Pa. 'At scies. Sed écqua ancilla est illi? *Pe.* Est primé cata.
Pa. 'Ea quoque opus est; íta praecipito múlieri atque an-
cíllulae,
'Ut simulet, se tuam ésse uxorem et déperire hunc mílitem;
Quásique hunc anulúm faveae suae déderit, ea porró mihi,
Míliti ut darém; quasique ego reí sim interpres. *Pe.* Aúdio. —
Naé me surdum vérberat. *Pa.* 'Tu si aúdis, 'ego rectá dabo
Míliti; a tuá mi uxore dícam delatum ét datum,
'Ut sese ad eum cónciliarem. Ille eíusmodi est: cupiét miser,
Quí, nisi adulterió, studiosus reí nulli aliae est, ímprobus.

---

insistas viam dixit Pacuvius in Atalanta. Vid. Non. p. 226. *Prime cata*, vulgo *primaria;* sed omnes Codd. et editt. vett. aut *primicata* aut *primita*, unde iam Salmasius emendavit, quod exhibuimus. *Prime* ut *apprime* est inprimis, ante omnes. Legitur *prime* apud Naevium in Acontizomeno: *Acontizomenos fabula est prime proba.* Cf. Charis. 188. ed. m. p. 125. *Faveae suae.* Ita Scaliger ad Tibull. IV, 7. palmaria emendatione. Nam quum legeretur in Codd. et editt. vett. *famesae* vel *famescae*, vel *fanescae*, *famaesue ancillae;* ille e Glossariis, ubi *Favea*, παιδίσκη, et *Faveus*, παῖς, *faveam* antique pro ancilla dictam, appositum autem verbum *ancillae* pro glossemate existimans, sine dubio vere restituit *faveae suae.*

V. 203. *Nae me surdum verberat.* Vulgo: *ne me surdum, verbera;* oratione ad Palaestrionem directa. Sed Codd. et editt. vett. *nae* et *verberat* vel *verberavit.* Ego prius praetuli, verba de Palaestrione ad Pleusidem esse iudicans, h. sensu: profecto ille me obtundit, ut verear, ne surdus fiam. *Verberare* de voce, qua obtundimus aures alicuius, eadem saepe iterando. Sic *verbis verberare* Truc. I, 2, 17. Neque dissimile est *convicio aliquem verberare*, quod Q. Cicero protulit Cic. epist. XVI, 26. — *Ego recta dabo Militi.* Hoc si tenueris, iam amplius narrabo. Ego statim militi dabo istum annulum. Cavillando repetit Palaestrio, quod ille dixerat. Igitur si audis scilicet cet. Emendavit autem Acidalius, quum vulgo legeretur: *ego recte meis dabo*, quod ad metrum et ad sensum nihili. Ceterum *recta* pro *recte* Bothius vindicavit, i. e. statim sine ullis ambagibus, nihil cessans. Quamquam *recte* non plane damnaverim. Cf. supra ad II, 6, 12. *Cupiet miser, qui; Qui* est *quippe qui, quia is. Miser* pro *misere*, valde. Adiectivum pro adverbio, ut saepe. Horat. Odar. III, 28, 3. *Prome strenua.* V. 206. *Rei nulli aliae.* Sic scripsi Codd. Pall. secutus. Vulgo *rei nullae aliae.* Sed Codd. Pall. teste Pareo: *rei nulli alia est.* Cf. Festus p. 23. ubi olim legebatur: *Ali rei dixit Plautus pro eo, quod est aliae rei.* Pro quibus legendum esse olim iam vidi: *Aliae rei — — alii rei*, quae secutus est O. Müller. in ed. Festi, nisi quod *ali rei* sub finem scripsit. De structura v. *studiosus* cum dativo exposuit Sciopp. suspectt. lectt. IV, 21. ubi observat, Plautum multis in locis nominibus verbalibus eum adiungere solere casum, quocum ipsum verbum coniungi soleat, ut igitur *studiosum esse* propterea dativo iunctum sit, quia *studere* sic strui debeat. Sed res notas loquor. In vv. *quam ego* prius non liquescit, et in v.

Pe. Nón potuit reperíre, si ipsi Sóli quaerundás dares,
Lépidiores duás ad hanc rem, quám ego. Habe animúm bonum.
Pa. 'Ergo accurato ét properato opus. — Núnc tu ausculta, Pleúsides.
Pl. Tíbi sum obediéns. *Pa.* Hoc facito. Míles domum ubi advénerit;
Mémineris, ne Phílocomasium nómines. *Pl.* Quam nóminem?
Pa. Glýceram. *Pl.* Nempe eandém, quae dudum cónstituta est. *Pa.* Páx, abi!
Pl. Méminero. Sed quíd meminisse id réfert hanc ad rém tamen?
Pa. 'Ego enim dicam túm, quando usus póscet; intereá tace.
'Vt, cum iam híc agitávit, tú tum pártes defendás tuas.
Pl. 'Ego eo intro igitur. *Pa.* I ét praecepta sóbrie ut curés face.

ACTVS III. SCENA II.

Palaestrio, Lucrio.

Pa. Quantás res turbo; quántas moveo máchinas!
Erípiam ego hodie cóncubinam míliti,

---

ego propter distinctionem ultima non eliditur. — *Accurato et properato est opus;* dictionis genus notissimum et valde frequentatum Latinis. Cic. pro Mil. 19. *properato opus est.* Sallust. Catil. init. *prius consulto, dein mature facto opus est.* Terent. Hecyr. III, 4, 17. *Transcurso opus est.* Et Plautus saepissime. Explicandum: opus versatur in properato; ad rem pertinet properare. Cf. notata supra ad II, 6, 43. *Eandem* disyllabum. *Pax* interiectio silentium iubentis. Cf. Priscian. XIV, 2. Adde Hesych. Πὰξ ἐπὶ τῷ τὸ τέλος ἔχειν. Idem: Κὸγξ ὁμοίως πὰξ, ἐπιφώνημα τετελεσμένοις, secundum Lobeckii emendationem. Cf. Lobeck. Aglaopham. tom. prim. pag. 779 seq. *Refert hanc ad rem tamen.* Hanc lectionem, quae vulgata ante Gronovium erat, revocavi; res ipsa loquitur. Vulgo: *sed quid meminisse id refert? ego te tamen.* — V. 214. Vulgo: *Vt nunc etiam hic agit, actutum,* atque ita V. C. Cam., quae iustam sententiam non praebent. C. Dec. *Vt cum etiam hic agit actutum.* Periplectomenes iam supra v. 208 abierat. Hortatur ergo Palaestrio Pleusidem, ut nunc quidem taceat, tum vero, ubi rem confecerit ille, partes suas tueatur. *Cum iam* dicitur pro *statim postquam.* Atque ita legitur *cum* Mostell. V, 1, 9. *Quem cum convocavi, atque illí me e senatu segregant.* Rud. IV, 7, 22. *Ego mihi cum lusi, nihil moror ullum lucrum.* Et saepe alibi. Tum vulgo: *Et praecepta sobrie,* omisso imperativo, atque ita MSS. Pall.

Act. III. Sc. II. Digressis reliquis Palaestrio solus restat in scena et dum Periplectomenes negotium suum administrat, Sceledrum remorari et occupare vult, ne Philocomasio et Pleusidi

Si cénturiati béne sunt maniplarés mei.
Sed illúm vocabo. Heus, Scéledre, nisi negótium,
Progrédere ante aedes; té voco, Palaéstrio.
Lu. Non óperae est Sceledro. *Pa.* Quíd iam? *Lu.* Sorbet dórmiens.
Pa. Quid? Sórbet? *Lu.* Illud: stértit, volui dícere;
Sed quía consimile est quóm stertas quasi sórbeas.
Pa. Eho,
An dórmit Sceledrus íntus? *Lu.* Non nasó quidem;
Nam eo mágnum clamat. Tétigit calicem clánculum.
Demísit nardini ámphoram cellárius.
Pa. Eho, tú sceleste, qui ílli suppromús's, eho!
Lu. Quid vís? *Pa.* Qui lubitum est ílli condormíscere?
Lu. Oculís, opinor. *Pa.* Nón te istuc rogitó, scelus.
Procéde huc. Iam perísti, nisi verúm scio.
Promsísti tu illi vínum? *Lu.* Non promsí. *Pa.* Negas?
Lu. Nego hércle vero; nam ílle me vetuit dícere.
Neque équidem heminas ócto expromsi in úrceum,

---

negotium facessat. Sed quaerenti Sceledrum occurrit Lucrio, conservus, aliquo in urbem missus a Philocomasio, narrans, Sceledrum cum maxime crapulam edormiscere. Inde ioculare oritur inter Palaestrionem et Lucrionem colloquium. V. 1. *Machinas movere* propr. de instrumentis bellicis dicitur, quae moventur ad oppugnandum hostem obsessum. *Centuriati* milites sunt in centurias divisi; tum instructi et ad pugnam parati Centurionis enim erat milites instruere. Cf. Curcul. IV, 4, 29. ubi tamen *miles pulchre centuriatus* significat *lectum*, *adscriptum in centuriam.* *Maniplares* metri caussa scribendum erat pro vulgato *manipulares.* De prosodia huius vocis cf. Mostell. I, 3, 34. *Cónveniunt maniplàres eccos; praédam participés petunt.* Et ibid. V, 1, 17. *Póstquam ex obsidióne in tutum edúxi maniplarés meos. Te voco Palaestrio.* Vulgo *vocat.* Sed MSS. Camerar. alter *te voca*, alter *te voco;* hoc verum. Liv. XXX, 30, fin. *Hannibal peto pacem.* — *Non operae est Sceledro.* Cf. quae supra notata sunt ad Milit. II, 2, 97. *Quom stertas.* Vulgo *quod stertas*, nihili. Iam Acidalius emendavit. *Tetigit* iocus ex elevatione rei, ἐλαττώσει. *Demisit;* legitur *dimisit, domi sit;* sed in Camerar. C. V. *dormis ita arcliminam phoram.* C. D. *domisit amardimi nam amphoram.* Alii inde *vini*, alii *unam* interponunt. Nos Salmasium secuti sumus. *Demisit* explicatur *depromsit*, hoc est e cella vinaria attulit. Vtrumque *depromere* et *demittere* hac in re solemne est. Vinum *nardinum* est nardo conditum. Condire enim variis aromatis veteres vina solebant. *Suppromus*, qui sub alio *promit*, promus est substitutus, ut paullo post *subcustos*, qui sub alio custodit. *Qui lubitum est.* De industria ambigue loquitur; potest enim *qui* significare et *quare* et *quomodo.* Lucrio respondet, tanquam ille quaesisset *quomodo, qua parte.* Wie kam es ihm denn an zu schlafen. *Nam ille me vetuit dicere.* Scabrum hunc numerum appellabat Bothius. An vero etiam hunc? *Epidamniensis Yllĕ quēm dudum dixeram.* Syllaba ultima v. *equidem* non liquescit; neque etiam in v. *cali-*

Neque íllic calidum éxbibit in prándium.
Pa. Neque tú bibisti? *Lu.* Dí me perdant, sí bibi,
Si bíbere potui. *Pa.* Quíd iam? *Lu.* Quia enim obsórbui;
Nam nímis calebat, ámburebat gútturem.
Pa. Alii ébrii sunt, álii poscam pótitant!
Bonó suppromo et prómo cellam créditam!
Lu. Tu idem hércle faceres, sí tibi esset crédita.
Quoniam aémulari nón licet; nunc ínvides.

---

dum. *Exbibit* autem ultimam producit, de quo genere cf. notata ad Captiv. prol. 9. *In prandium* est loco prandii, ut pro prandio esset. *Hemina* dimidium sextarii. Sextarius sexta pars congii, duodecim cyathos capiens vel ducenta octoginta et octo cochlearia. *Vrceus* vas fictile variae mensurae ad capienda et continenda fluida. *Calidum* vinum in deliciis erat veteribus, Graecis maxime. Erant tabernae, ubi et vinum et aqua calefieri et vendi solebat, θερμοπώλια, de quibus saepe Plautus. Cf. Trin. IV, 4, 7. Pseudol. II, 4, 52. Rud. II, 6, 45. *Quid iam.* Cf. quae supra diximus ad Mil. II, 4, 59. *Quia enim obsorbui.* Nimirum hac de caussa non bibi, quia sorbui. De formula *quia enim* cf. supra notata ad Captiv. IV, 2, 104. Similiter dicitur *namque enim.* Cf notata ad Trin. I, 2, 23. *Obsorbere* male explicant *totum sorbere*, καταῤῥοφεῖν, quod est *absorbere.* Praepositionis *ob* nativa notio est eadem, quae Graecae ἐπί, super, ad, contra. Vt enim ex ἀπό factum *a*, *ab;* ex ὑπό factum *sub;* sic ἐπί Latini extulerunt *ob*, e (in *omittere*). Igitur *obsorbere* est ἐπιῤῥοφεῖν, ut additum *ob* nihil aliud indicet, quam impetum et aviditatem, qua quis sorbet. Recte igitur Lambinus exposuit: *ore rotundo sorbui, vel raptim et uno spiritu, uno ductu, ad sitim celeriter sedandam; sic autem dictum, ut* o b d u x i, o b l i g u r r i v i, *et similia.* Adde verbum *obstrudere* et verbale *obstrudulentus:* de illo Festus pag. 192. *O b s t r u d a n t, obsatullent, ab avide trudendo in gulam, non sumendo cibum, unde et* o b s t r u d u l e n t u m *dixit Titinius:* O b s t r ú d u l e n t i á l i q u i d, q u o d p e c t á m s e d e n s, *A u t l ú c u l e n t a s t e r, a ú t f o r m a s t e r f r í g i d u s.* Et Paullus, Festi compilator pag. 114: *O b s t r u d a n t* (alii *obstrundant*) *avide trudant.* Obiter moneo, ne quis dubitet *obstrudere* compositum esse ex *ob* et *trudere*, conferatur verbum *obsolere*, ex *ob* et *olere*, et eiusmodi quaedam alia. — *Amburebat.* Citans hunc versum Nonius p. 207. legit *adurebat*, male, si lectio apud Nonium certa. *Posca*, vinum acidum et vile, plebeculae venire solitum. Fortasse tamen *posca* ab initio omnem *potionem* significabat. Sicut enim ab *esu esca*, ita a *potu posca* derivatum. Sententia est: dum ego et alii servi, vilem et misellum potum bibimus, vos scelesti vino inebriamini e cella heri desumto. *Cellam creditam.* Accusativus in exclamatione ironica. Res nota, sed non satis explicata. Si rei rationem spectes, proprie in his et similibus formulis nominativus locum habet, veluti id quod saepe dicitur: *o ego miser.* Ita tamen qui loquitur, sic dicit, tanquam nemo assit, cuius miserationem commovere velit. Quod si alium etiam in societatem doloris assumere velit, dicendum: *o me miserum*; cogita: *vide, videte*, vel *credite*, vel tale quid. Nec vero dico, tale verbum omissum esse, sed accusativum in eiusmodi formulis hanc vim habere, qualem, si additum esset verbum.

Pa. Eho,
An núnquam promsit ántehac? respondé, scelus!
Atque, út tu scire póssis, edicó tibi:
Si fálsa dixis; nae ótio excruciábere!
Lu. Ita véro? Ut tu ipse mé dixisse délices,
Posteá sagina ego eíciar cellária;
Ut tíbi, si promtes, álium suppromúm pares.
Pa. Non édepol faciam; age, éloquere audactér mihi.
Lu. Nunquam édepol vidi prómere; verum hóc erat:
Mihi ímperabat; égo promebam póstea.
Pa. Hic ílli crebro cápite sistebánt cadi.

Paullo aliter dicitur accusativus in mirabundis, indignabundis exclamationibus vel quaestionibus. Vt est illud apud Virg. Aen. I, 36. *Mene incepto desistere victam Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?* Vbi accusativus hanc vim habet, tanquam dictum sit: *Estne credibile* — vel *nonne hoc indignandum* — *mirandum est?* Cf. Terent. Adelph. IV, 4, 21. *Non me hanc rem patri, Vt erat gesta, indicasse!* Hoc est: At vero indignandum est, vix ignosci potest. Plane similiter Germani: *Dass ich auch das nicht angezeigt habe!* Vbi similiter pendet enunciatio.

V. 31. *Nae otio excruciabere.* Recte sic emendasse videtur Bothius Codd. vitia *notio*, *uotio*; quum vulgo legatur *cocio excruciabere.* Hoc enim dicit Palaestrio: *Quum otium erit, multum et diu vapulabis.* Du sollst *mit Musse*, vel *bei Musse*, gezüchtigt werden. Vulgatum *cocio* significat, qui in emendis mercibus multum praestinando tarde pervenit ad iusti pretii finem, nos *Knicker*, quod ab h. l. plane alienum esse, non opus est dicere. — *Delices.* Sic haud dubie scribendum atque ita clare exhibent Codices. Alii *dedices dictites.* Festus pag. 55. et p. 400. ed. m. *delicare* dictum putat (ex varia dialecto fortasse) pro *dedicare.* Falso. Est enim *delicare* idem quod *deliquare*, scriptura tantum diversum. *Deliquare* autem pr. est *defundere*, *effundere*, tum *clarum facere*, *declarare*, *indicare.* Sed cf. lexica et Non. p. 98. et p. 277. Adde quae notavi ad Amphitr. II, 2, 38. Sententia est: Itane vero putas me tibi rem confessurum, ut si tibi dixerim, tu possis rem indicare et me perdere? Non ita est; frustra es. *Eiciar* trisyllabum. Atque ita plane Codd. et vett. editt. *Eloquere* pro vulgato *loquere* propter metrum reponendum erat. Codd. Pall. *age te loquere*, ex quibus iam Pareus coniecit, quod dedimus. *Nunquam edepol.* Hunc versum Hermannus Elem. doctrin. metr. p 191. ita ad metrum exigit, ut in v. *promere* ultimam ictu notari putet, ob sequentem plenam interpunctionem. Recte. Cf. Kampmann. Annotatt. ad Plauti Rud. pag. 3.

V. 38. Qui inde sequuntur septem versus, multam et lectionis et coniecturae varietatem experti sunt, quam recensere longum et absonum est. Ego in quibus a MSS. lectione discessi, indicabo. *Hic illi crebro capite sistebant cadi.* Codices aut: *Hic ille cebro capite sistebat cadi*; aut: *Hic illi caelebro capite sistebas cadi.* Vulgo: *Hui, illecebrose! capite sistebas cadum?* Mihi nulla satis fecit editarum emendationum, minime vero Salmasii *illecebra.* Sententia haec est: Ibi saepe convertebantur cadi, ut inanes fierent. *Hic illi* pro *hic illic*, dort

Lu. Non hércle tam istic válido casabánt cadi;
Sed in célla erat paúllum lóculi nímium lúbrici.
Ibi erát bilibris aquális sic propter cados;
Ea saépe decies cómplebatur dé die;
Eam plénam atque inánem vidi fíeri.
Ubi bácchabatur aúla; casabánt cadi.
Pa. Abí, abi intro iam. In célla vos vinária

---

eben, h. e. in cella vinaria. De formula *capite sistere* (sich auf den Kopf stellen) cf. notata supra ad Captiv. IV, 2, 13. — Respondet Lucrio, hoc non admodum saepe futurum fuisse, nisi in cella locus quidam fuisset lubricus, ubi stare non poterant cadi, sed sponte nutabant. Ita enim haec accipienda sunt. *Tam valide* tantopere. Pro *istic* vulgo *istoc*, quod Bothius correxit; de cella accipiendum est, ut superiori versu *hic illi*. *Casabant* imperfectum condicionale, more Graeco. Οὐκ ἂν οὕτως ἔπιπτον, εἰ μή. Cf. Terent. Andr. I, 2, 4. *Mirabar, hoc si sic abiret.* Adde Hermann ad Viger. 819. *Sed in cella erat.* Vulgo legitur: *Sed in cella est paulum nimis loculi lubrici.* Sed Codd. Pall. exhibent: *Sed in cella e r i t paulum nimis l. l.* Quare iam veteres editores correxerunt: *Sed in cella e r a t paulum* cett., quod quanquam ad sententiam recte, ad numeros restituendos non sufficit. Ergo *nimium* scripsi pro *nimis* et verba transposui. Sententia est: Nisi in cella fuisset. *Sed* pro *nisi*, ut contra *nisi* pro *sed*; saepe. *Bilibris aqualis*, urna aqualis, binas libras capiens. *Sic* Bothium secutus dedi, pro *hic*. Verbis *sic propter cados* addit actor gestum demonstrantis. Cf. Terent. Eunuch. III, 5, 53. *Sic per flabellum.* Et saepe alibi. *De die* proprie est *de medio die*, aut *incipiente die*, i. e. durante toto die, ut h. l. *de die* sit: *uno die toto*. Sic *de nocte surgere* inde a media nocte surgere; *de die coenare* inde a media luce convivium instituere. Cf. Parei lexicon v. *d e*. Ceterum vulgo deest *de*, additum a Bothio. Male Camerarius dederat: *completur plena die.* V. C. Cam. *completur* pro *complebatur*. — Quae sequuntur de certissima coniectura mea exhibui. Vulgo:

Eam plenam atque inanem fieri maxumam
Vidi. Bacchabatur hama, casabant cadi.

Codices Pall. praestant:

Eam plenam atque inanem fieri maxuma
Vidi bacchatur auia, casabat cadi.

Auia pro vulgato *hama* iam alii viderunt corrigendum esse *aula*. *Fieri* prima producta; cf. supra ad Captiv. IV, 2, 63. Adde Rud. IV, 3, 108. Memorabile est, Cod. Lips. et Ed. Princ. pro v. *maxumam* exhibere *plenam a summo* et pro *vidi* praebere *ubi*. Vnde olim conieci, excidisse versum, et totum locum ita a poeta scriptum fuisse:

Eam plenam atque inanem vidi fieri;
Plenissumam vidi atque inanem maxume;
Vbi bacchabatur aula, casabant cadi.

Sententia autem est: aula, sive bilibris illa propter cados astituta bacchabatur, h. e. Baccharum ritu, vinum avariter in se ingurgitantium complebatur et exhauriebatur, quae res casantes, i. e. nutantes et inclinatos efficiebat cados, quia ad effundendum

Bacchánal facitis; iam hércle ego herum adducam á foro. —
Lu. Perii, éxcruciabit me héros, domum si vénerit,
Quum haec fácta scibit, quía sibi non díxerim!
Fugiam hércle aliquo atque hoc ín diem extollám malum.
Ne díxeritis, óbsecro, huic, vostrám fidem.
Pa. Quo tú agis? *Lu.* Missus sum álio. Iam huc revénero.
Pa. Quis mísit? *Lu.* Philocomásium. *Pa.* Abi. Actutúm redi.
Lu. Quaesó tamen, tu pártem infortuní meam,
Si dívidetur, me ábsente accipitó tamen.
Pa. Modo íntellexi, quám rem mulier gésserit.
Quia Scéledrus dormit; húnc subcustodém suum
Foras áblegavit, dum eápse huc transirét. Placet.
Sed Périplectomenes, quam eí mandavi, múlierem
Nimis lépida forma dúcit. Di hercle hanc rem ádiuvant.
Quam dígne ornata incédit, haud meretrície!
Lepide hóc succedit súb manus negótium.

ACTVS III. SCENA III.

Periplectomenes, Acroteleutium, Milphidippa, Palaestrio.

Pe. Rem omnem, 'Acroteleutiúm, tibi tibique úna, Milphidíppa,

---

vinum convertebantur. — *Extollam malum*, differam in alium diem. Poen. II, 52. *Res serias omnes extollo ex hoc die in alium.* — *Dixeritis* penultima producta apud priscos poetas saepe reperitur. Velut in notissimo illo Ennii versu Cic. off. I, 12. *Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis.* Ceterum verba ad spectatores directa sunt. — *Quo tu agis.* Vulgo: *quo te agis.* Sed uterque codex Camerar. et editt. vett. *tu.* Agere intransitive pro eo quod est se movere, ire in locum, saepe apud Plautum et alios. Cf. Parei lexic. Pl. s. h. v. Neque tamen minus recte dicitur *agere se aliquo.* — *Revenero;* cf. Trin. I, 2, 119. *Partem infortuni meam.* Vulgo: *meam partem infortunii*, qui ordo ferri nequit, quod *infortunii* genitivus, distracta ultima syllaba, locum habere nequit. Cf. notata supra ad II, 4, 11. De particula *tamen* bis posita cf. quae diximus ad Captiv. II, 2, 33. *Foras* pro vulgato *foris* scripsi cum Bothio. *Dum eapse* iubente Acidalio et astipulantibus editt. vett. dedi pro vulgato: *dum ab se.* Dum ipsa transiret, illum ablegavit. *Negotium sub manus succedit*, quum quae res suscepta est, sponte ad manus accedit, et se fingi atque efformari patitur; ab opere figulino demta metaphora. Persa IV, 1, 1. *Si quam rem accures sobrie aut frugaliter, solet illa recte sub manus succedere.*

Act. III. Scen. III. Adducit Periplectomenes mulierem et ancillam, quarum auxilio militem defraudare aggrediuntur. Eae a Palaestrione edocentur, quid agendum, qua oratione utendum. Vulgo: *Tibique, mea M.* Sed Codd. Pall. quod dedi. —

Domí demonstravi órdine. Hanc fabricám fallaciásque
Minus sí tenetis; dénuo volo pércipiatis pláne.
Satis si íntellegitis; áliud est, quod pótius fabulémur.
Ac. Stultítia atque insipiéntia, ac non fallacia haec sit,
Me ire ín opus alienúm aút tibi meam óperam pollicitári,
Si ea in ópificina nésciam aut mala ésse aut fraudulénta.
Pe. At mélius est monérier. *Ac.* Meretrícem commonéri,
Quam sáne magni réferat, mihi clam ést! Quid? Egone frústra,
Postquam ádbibere aurés meae tuam móram oratiónis,
Tibi díxi, miles quemádmodum potis ésset deasciári?
Pe. At némo solus sátis sapit; nam ego múltos saepe vídi
Regiónem fugere cónsili prius, quám repertam habérent.
Ac. Si quíd faciundum est múlieri male átque malitióse;
Ea sibi ímmortalis mémoria est meminísse et sempitérna.

V. 5. Vulgo secundum Camerarii inventum: *Stultitia atque insipientia insulsa atque maxima haec sit.* Sed C. V. Cam. *Stultiaque insipientiam falsa hesit* Cod. Dec. *Stultitiaque insapientiam falsta haesit.* Cod. Lipsiens. pro *insulsa atque maxima* exhibet: *non fallacia*, quae lectio veram continet compendiorum explicationem. Sic enim in vetusto exemplari scripta haec fuisse credibile est: *insipientia ac n̄ fallia haec sit*, quae si coniunctim scripta cogitantur, facile potuerunt depravari. — V. 9. *Quid? Egone frustra?* Vulgo: *quin ego me frustro*, a qua lectione non longe absunt Codd. Pall. qui praestant: *quin ego in frustro* aut *quin ego in sustro.* Sed vulgata nihili est. Nam *ego me frustro*, quid aliud significet, quam *ego me ipsa fallo?* Fallimus autem nosmet ipsos, quum nobis persuademus, quod credi non posse ipsi intelligimus. Iam quaenam est haec sententia: Postquam longam tuam orationem exaudivi, persuadeo mihi; quae falsa esse intelligo. Explicant alii: Ego a meis consiliis aberro; sed hoc non dicitur illis verbis: *Ego me frustro.* Quare Bothium recte emendantem secutus sum. Sententia in promptu est. — *Moram orationis.* Vt apud Virg. Aen. VII, 319. *Loricae moras*; pro lorica, quae moratur, obstat; ut apud Statium Theb. X, 190. *moras frangere portarum*, pro *portis*, quae remorantur, sic h. l. paullo audaciori translatione, sed comicae orationi convenienter, *orationis mora* dicitur *longa oratio, quae moratur.* Haec non monuissem, nisi Bothium vidissem edere *moeram orationis.* Ceterum *mŏrăm ōrationis* hanc prosodiam non sine exemplo esse, docui in libello de vetere prosodia huic editioni praemisso. — *Deasciari*, de plagis, ut *deruncinare*, *dedolare*, et si quae sunt similia, simili translatione. *Quam repertam haberent.* Codd. Pall. *habere.* Vulgo: *habuere.* Recte Pareus, quod dedi. Nam si dicas: *Ego te prius abire quam venire vidi*, significas utrumque accidisse, sed illud alterum a te modo visum, quamquam prius accidere nequit. Sin autem: *Ego te prius abire vidi quam venires*; dicis, quod, nisi ioculariter, dici nequit, non venisse illum sed tamen abiisse. Atque hunc talem iocum captavit h. l. Plautus. Dicit enim: multos vidi ego homines, qui rectam viam, quam quaerebant, fugerent, antequam repertam haberent; qui rectum consilium quaerentes, priusquam reperissent, amitterent.

Sin béne quid aut fidéliter faciundum est, eo devéniunt,
Oblíviosae extémpulo ut fiánt, meminisse néquennt.
Pe. Ergo ístuc metuo, quód venit vobís faciundum utrúmque.
Nam id próderit mihi, míliti malé quód facietis ámbae.
Ac. Dum né scientes quíd bonum faciámus, ne formída.
Mala núlla est meretrix, néc parcit peióribus, quom convéniunt.
Pe. Ita vós decet. Conséquimini. *Pa.* Cesso íllis obviam íre?
Veníre salvom gaúdeo. Lepide hércle ornatus incédit.
Pe. Bene ópportuneque óbviam es, Palaéstrio. En, tibi ássunt,
Quas mé iussisti addúcere et quo ornátu! *Pa.* Eu, noster ésto!
Palaéstrio Acroteleútium salútat. *Ac.* Quis hic, amábo, est,

---

Memoria est, ea meminisse. Recte explicant ὥστε μεμνῆσθαι, ut meminerit. Atque ita saepe Plautus, maxime in verbis motum in locum indicantibus, veluti *abi quaerere, venerat petere* et similibus. Adde Plaut. Truc. IV, 2, 26. *Dedi deferri minas.* Sententia est: si quid malitiose facere postulatur mulier, bonam habet memoriam ad recordandum, quorum recordari debet.

V. 18. Dixerat Acroteleutium, mulieres tum demum fieri obliviosas, et ad agendum ineptas, quum sit aliquid bene aut fideliter faciendum. Quod arripiens senex, illud igitur, inquit, metuo, quod nunc et bene et male vobis agendum est, ne quid peccetis. Verendum enim, ne, quae bene facienda sunt, male geratis. Cui meretrix: noli timere; dummodo ne sciamus, bonum esse, quod nobis agendum est. Nam nulla meretrix rem male gerit nec parcit, ubi peiores ei accedunt. *Dum ne scientes.* Dummodo ne norimus, bonum esse. Vulgo: *dum ne inscientes*, quod plane contrariam exhibet sententiam. Nam *dum ne* est *dummodo non.* Cf. notata ad Captiv. III, 5, 24. Nos Codd. Pall. lectionem revocavimus, nisi quod illi *nescientes* una voce. *Quid bonum*, more Plautino, ex quo *quid* et indefinitum et interrogativum non tantum substantivi sed etiam adiectivi locum tenet. Atque ita *quid nomen* supra legimus Captiv. V, 3, 6. Nec tamen reticendum est, C. V. Cam. praestare *quod bonum*; Cod. Dec. vero *quid bonum*, quod ut magis Plautinum servandum duxi. *Mala nulla est meretrix*; nulla m. male rem gerit, inepta est ad agendum. Ceterum vulgo hic legitur: *Mala nulla meretrix est (ne pave), peiora ubi conveniunt.* Vnde cunque haec sunt, falsa nec sana sunt, quod intelligitur ex vv. *ne pave*, quae post superiora: *ne formida*, insulsa. In Cod. V. Cam. locus sic exhibetur *mala mulier est ne parcet peioribus conveniunt*, quocum consentit Dec. nisi quod is habet: *mala milla meretrix est.* Ergo pro *ne pave* scribendum esse *nec parcit*, luce est clarius. Ante v. *conveniunt* excidisse *ubi* vel *quom*, facile intelligitur. Sententia in promptu est. — V. 23. Vulgo: *Lepido hercle ornatu incedit.* Sed Codd. Pall. *Lepide hercle ornatus incedit*, pro quibus Bothius legendum suasit: *Lepide h. ornatus cedis.* Sed verba ad spectatores facta sunt et v. *incedit* correpta prima syllaba simili modo legitur in Bacchid. IV, 9, 146. *Evénit ut ovans praeda onustus incéderem* — *En tibi assunt.* Vulgo: *hem tibi assunt.* Sed vide, quae diximus ad Captiv. II, 3, 13. Et infra ad Trin. prol. 3. *Eu, noster esto.* Sic pro vulgato *heus n. e.* e Cod. Pal., auctore

Qui tám pro nota nóminat me? *Pe.* Hic nóster architéctust.
Ac. Salve, árchitecte. *Pa.* Sálva sis. Sed díc míhi, ecquid híc te
Onerávit praeceptís? *Pe.* Probe meditátam utramque dúco.
Pa. Audíre cupio, quemádmodum; ne quíd peccetis, páveo.
Pe. Ad túa praecepta dé meo nihil bís novom apposivi.
Ac. Nempe lúdificari mílitem tuum hérum vis? *Pa.* Elocúta es.
Ac. Lepide ét sapienter, cómmode et facéte res paráta est.
Pa. Atque húius uxorem ésse te volo ássimulare. *Ac.* Fíat.
Pa. Quasi míliti animum adiéceris, simuláre. *Ac.* Sic futúrum est.
Pa. Quasique haéc res per me intérpretem et tuam áncillam curétur.
Ac. Bonus vátes poteras ésse; nam, quae súnt futura, dícis.
Pa. Quasique ánulum hunc ancíllula tua abs té detulerit ád me,
Quem núnc ego milití darem tuis vérbis. *Ac.* Vera dícis.
Pe. Quid ístis memoratís opust, quae cómmeminere? *Ac.* Méliust;
Nam, mí patrone, hoc cógitato: ubi próbus est architéctus,
Bene líneatam sí semel carínam collocávit,
Facile ésse navem fácere, ubi fundáta et constitúta est.
Nunc haéc carina sátis probe fundáta et bene statúta est;
Assúnt fabri architéctique a te, a mé, haud imperíti;

Bothio, recepimus. Nostrum esse iubemus aliquem, cui laudem et favorem nostrum significamus. Plaut. Truc. V, 61. *Tanto melior; noster esto.* Bacchid. III, 3, 39. *Noster esto, dum te poteris defensare iniuria.* Precandi formula notissima *amabo*, ita explicanda videtur: amabo te, si dicas, quod quaero, si facias quod volo. Inde usu longo factum, ut etiam sic simpliciter ponatur, ut *quaeso, precor, oro;* veluti Terent. Eunuch. III, 3, 31. *Amabo, ut illuc transeas.* — *Architectus*, fallaciarum faber, veluti opifex. Ita Cic. pro Roscio Am. 45. *Nonne quivis potest intelligere, omnium architectum et machinatorem unum esse Chrysogonum.* Idem pro Cluentio 22. *ipsum principem atque architectum sceleris absolverent.* — *Nihil his novum apposivi.* Dativus ad mulieres spectat. Acidalius: *nihil ipse novum a.* De prisca forma *apposivi* cf. Priscian. X, 7. tom. I, p. 499. *Animum adiicere* in re amatoria frequens est, pro eo quod dicitur *amore alicuius capi;* sein Augenmerk auf jemand richten. *Et tuam ancillam curetur.* Vulgo *geratur;* sed MS. Dec. *ceretur* et V. C. Camerarii *eieceratur*, teste Bothio, *eiiceretur*, teste Pareo, unde Bothius *ei geratur.* Vt accentui in *ancillam* consulatur, possit rescribi *accuretur*, quod verum puto.

V. 37. *Poteras esse.* Imperfectum conditionale οἷός τ' ἂν ἦσθα ἀγαθὸς γενέσθαι μάντις. Cf. supra ad Milit. III, 2, 37. Potuisses vates esse bonus, tam bene futura praedicis. *Ancillulă tŭa ābs té.* Cf. Hermann. Elem. doctrinae metr. p. 150. *A te, a me.* Male

Si nón nos materiárius remorátur, quod opus, quí det,
— Novi índolem nostri íngeni — ; cito érit paráta návis.
Pa. Nempe tú novisti mílitem, meum herúm? *Ac.* Rogare mírum est.
Popli ódium quidni nóverim, magnídicum, cincinnátum,
Moechum únguentatum? *Pa.* Num ílle te nam nóvit? *Ac.* Nunquam vídit;
Qui nóverit me, quís ego sim? *Pa.* Nimis lépide fabuláre.
Eo pótis erit, rem lépidius pol fíeri. *Ac.* Potin', ut hóminem
Mihi dés, quiescas cétera? Ni lúdificata lépide
Ero, cúlpam omnem in me impónito. *Pa.* Age ígitur, intro abíte!

---

haec ad sequentia *haud imperiti* referuntur et explicantur: *opera mea, opera tua bene educti.* Coniungenda potius sunt: *assunt a te, a me*, h. e. a me pariter atque a te huc veluti missi sunt. Intelligit autem mulier se ipsam et Palaestrionem. *Me* non liquescit. Quem hiatum ut evitaret Reizius, referente Hermanno Elem. d. metr. p. 155, coniecit: *Assunt fabri architectonesque a me, a te haud imperiti;* de forma *architectones* conferri iubens Mostell. III, 2, 73. In C. V. Cam. hic versus ita legitur: *Adsunt muliebria architectique ate amant imperiti.* Cod. Dec. *Adsunt eabri architectique* cett. Weisius edidit: *Adsunt fabri architectonesque ad eam rem haud imperiti.* Nos in vulgata acquiescendum putamus, nisi quod illa *a me a te* exhibet, quod mutandum erat ad Codd. MS. vestigia. *Materiarius*, qui materiam ad opus faciendum praebet; h. l. miles. *Indoles* et *ingenium* nativa notione sic differunt. *Ingenium* est *natura* quasi *ingenita;* indicat igitur omnem animi facultatem, homini innatam. *Indoles* (ab *inolescendo*) quod in homine crescit, incrementum, ut Festus explicat; incrementum, quod animus capit; unde glossae: καλὴ ἐλπὶς ἐν νεωτέρῳ. Ea animi habitudo, qua laete crescendi et efflorescendi spem facit. Igitur *indoles ingenii* est praestantia facultatum congenitarum. *Cincinnatum*, qui crinibus calamistratis utitur, qui capillum arte crispatum habet. Cicero *cincinnatus ganeo, cincinnatus consul*, utrumque in vitio ponens. *Num ille te nam novit.* Sic dedimus e Codd. Pall. Vulgo: *num ille etiam te novit*, quod ferri possit, nisi Codd. Pall. et vett. editt. aliud commendarent: *num illa eam novit, num illa et aenam novit, num ille etiam novit.* Coniunctio *nam* in formulis interrogativis a v. *num* incipientibus postposita, Plauto est usitata. Trucul. II, 7, 42. *Num obsecro nam.* Ibid. II, 4, 1. *Num tibi nam.* Rud. IV, 3, 8. *Quid tu malum nam.* — *Eo potis erit, rem lepidius pol fieri.* Sic dedi ad vestigia antiquorum librorum. Vulgo v. *rem* deest. Sed MSS. Pall. *Eo potiverim lepidius p. f.* Cod. Lips. et vett. editt.: *Eo poterit verum l. p. f.* Vnde apparet, inter vv. *potuerit* et *lepidius* tale aliquid interiectum fuisse, quale illud est, quod dedimus. Bothius: *Eo potis est, rem l. p. f.* *Posse* sequente accus. et infinitivo saepius apud Plautum. Veluti Truc. II, 6, 4. *Mille memorari potest.* Poen. V, 6, 26. *Trecentos nummos corradi potest.* *Fieri* autem est *confieri*, ad exitum perduci, effici. — *Cetera* ultimam habet indifferentem, ex asynartetorum versuum licentia. Cf. Hermann. Elem. d. m. p. 149. Verba: *Ni ludificata lepide ero, culpam omnem in me imponito* afferuntur a Nonio p. 576. *Age igitur.*

Insí-tite hoc negótium sapiénter! *Ac.* Alia cúra.
Pa. Age, Périplectomene, has núnc ïam duc íntro; ego ad forum íllum
Convéniam atque illi hunc ánulum dabo átque praedicábo
A tua úxore esse mihí datum, eamque íllum deperíre.
Hanc ád nos, quom extemplo á foro veniémus, mittitóte,
Quasi clánculum ad me míssa sit. *Pe.* Faciémus; alia cúra.
Pa. Vos módo curate. Ego illúnc probe iam onerátum huc acciébo.
Pe. Bene ámbula; bene rém gere! At ego hóc si efficiam pláne,
Ut cóncubinam mílitis meus hóspes habeat hódie,
Atque hínc Athenas ávehat, si hodie húnc dolum dolámus,
Quid tíbi ego mittam múneris? *Ac.* Datne eápse mulier óperam?
Pa. Lepidíssumam et comíssumam. *Ac.* Confído, confutúrum.
Ubi fácta erit collátio nostrárum malitiárum;
Haud véreor, ne nos súbdola perfídia pervincámur.
Pe. Abeámus ergo intro, haéc uti meditémur cogitáte,
Ut áccurate et cómmode hoc, quod agéndum est, exsequámur;
Ne quíd, ubi miles véncrit, titubétur. *Ac.* Tu moráre.

Vulgo *agite i.* Cod. Pal. teste Bothio, et editt. vett. exhibent, quod edidimus. Cam. et Pareus ediderunt: *agite, intro abite,* omissu *igitur. Alia cura.* Noli hoc curare. Formula, qua iubemus alios de re quadam securos esse. Terent. Phorm. II, 1, 5. *Atqui reperi iam; aliud cura.*

V. 60. Instructis iam omnibus ad Militem decipiendum copiis abiturum se ait Palaestrio, ut adducat illum. *Probe oneratum:* recte praeparatum; curarum ac sollicitudinis de novo amore plenum. *Onerare* enim est mentem alicuius cura, sollicitudine, molestia implere. Simili modo *sarcinam imponere alicui* dixit Plautus Mostell. II, 1, 83. Pro v. *acciebo* vulgo *ascibo*, sed in Cod. Dec. *aciebo*, in Cod. Vet. Cam. *acibo.* Metri causa *acciebo* praeferendum. De formula *bene ambula* cf notata ad Captiv. II, 3, 91. *Dolum dolare* paregmeni caussa dixit, pro *dolum effectum reddere, machinam struere. Dolare* enim dolabra expolire. *Datne eapse mulier operam:* Meretrix de munere sibi mittendo interrogata, urbane sermonem ad alia traducit et de Philocomasio quaerit, an ea ipsa quoque operam det et fraudem adiuvet. Vulgo: *Datne ab se mulier operam.* Vnde recte Acidalius emendavit: *Datne eapse m. op.* V. C. Cam. et Dec. *Datne ab si m. o.* Alii, veluti Cod. Lipsiens., *Des ne aliae mulieri operam.* Quae sequuntur: *Lepidissumam et comissumam,* sic leguntur in Codd. Pall.: *lepidi sum et commissum,* unde Cam. ed. *Lepidus sum et comis sum;* Pareus: *Lepidissume et comissume,* quod ex Gruteri emendatione in vulgatam transiit. Cod. Lips. *Lepidi sunt et comi sunt.* Vera lectio quae sit, ex supp. abunde intelligitur. *Collatio malitiarum;* ubi contulerimus malitias nostras; ubi fraudes

ACTVS IV. SCENA I.

Pyrgopolinices, Palaestrio.

Py. Vólup est, quod agas, si íd procedit lépide et ex senténtia.
Nam égo hodie ad Seleúcum regem mísi parasitúm meum,
'Ut latrones, quós conduxi, hinc ád Seleucum dúceret,
Qui éius regnum tútarentur, míhi dum fieret ótium.
Pa. Quín tu tuam rem cúra potius, quám Seleuci; quaé tibi
Cóndicio nova lúculenta fértur per me intérpretem.
Py. 'Imo omnis res pósteriores póno atque operam dó tibi.
Lóquere; auris meás profecto dédo in dicioném tuam.
Pa. Círcumspicedum, né quis nostro hic aúceps sermoní siet,
Nam hóc negoti clándestino ut ágerem, mandatum ést mihi.
Py. Némo adest. *Pa.* Hunc árrhabonem amóris primum a me áccipe.
Py. Quíd hic? unde est? *Pa.* A lúculenta atque á festiva fémina,
Quaé te amat tuamque éxpetissit púlchram pulchritúdinem.
Eíus nunc mi anulum ád te ancilla pórro ut deferrém dedit.
Py. Quíd? eau' ingenua, án festuca fácta e serva líbera est?

---

et dolos exsecuti fuerimus. *Tu morare* et *num moror* saepe in clausulis scenarum et alibi etiam, ubi abeuntes colloquentem alterum et longius etiam morantem festinare iubent. Cf. Mostell. III, 2, 108. *Th. Age, duc me. Tr. Num moror?* — Pro *Abeamus* Codd. Pall. *Habemus*, Cod. Lips. et Meurs. teste Bothio *Abimus*; quod recepit Bothius. — Ceterum duo postremos versus ex Gulielmi sententia transpositos exhibuimus. Cf. Gulielm. Quaestt. in Milit. c. 3.

Act. IV. Scen. I. Arcessivit Militem Palaestrio et in fraudem callidissime insistit. Versus sunt trochaici octonarii catalectici, quod genus saepe iam in his ipsis fabulis, quas tractamus, legimus. De *latronibus* cf. quae supra diximus ad Milit. II, 6, 19. infra ad Trin. II, 4, 201. *Quae tibi* cet. Haec non in exclamatione ponenda sunt, ut quidam fecere, sed referenda et annectenda ad superiora. Tuam rem potius cura; quippe quum eiusmodi condicio tibi offeratur, quae omni cura sit digna. Vel potius: condicio enim, quae tibi fertur, satis luculenta est. De hoc usu relativi pronominis cf. supra ad Milit. II, 4, 51. *Circumspicedum.* Vulgo *circumspicitodum*, quod metro officit, nisi forte aut omittere aut transponere velis v. *hic.* Sed praestat *circumspice dum*, quo posito fit, ut *ne quis* iusto accentu notetur. *Auceps sermoni sit*, sermonem aucupetur. Similia supra Mil. III, 1, 4. *Hunc arrhabonem.* His verbis militi anulum tradit. *Luculenta femina* est quae lucet, h. e. splendidae formae est. *Festiva*, quae hilari ingenio lepidisque est moribus. *Pulchra pulchritudo.* Dicitur ut *lutum lutulentum* Poen. I, 1, 30. *Venus venusta* Most. I, 3, 5. et multa eiusmodi alia. *Porro ut deferrem;* ut ab ea acceptum postmodo tibi traderem. Damit ich ihn weiter an dich beförderte. *Festuca facta — libera est.* *Festuca* est *virga* Praetoris

Pa. Vah,
'Egone ut ad te ab líbertina esse aúderem internúntius,
Qui íngenuis satis résponsare néqueas, quae cupiúnt tui?
Py. Núptan' est, an vídua? *Pa.* Et nupta et vídua. *Py.* Quo pactó potis
Vídua et nupta esse éadem? *Pa.* Quia adoléscens nupta est cúm sene.
Py. Eúge! *Pa.* Lepida et líberali fórma est. *Py.* Cave mendácium.
Pa. 'Ad tuam formam illa úna digna est. *Py.* Hércle pulcram praédicas.
Séd quis ea est? *Pa.* Sénis húius uxor Périplectomeni in próxumo.
'Ea demoritur te átque ab illo cúpit abire; odít senem.
Núnc te orare atque óbsecrare iússit, ut tui cópiam
Síbi potestatémque facias. *Py.* Cúpio hercle equidem, si ílla volt.
Pa. Quaé cupit. *Py.* Quid illá faciemus cóncubina, quaé domi est?

---

manumittentis, quae eadem *vindicta* est, qua percuti solebat servus manumittendus. Haec Romani moris sunt. *Responsare satis* est votis et flagitationibus satis se facilem praestare, satis exaudire preces. *Quae cupiunt tui.* Genitivus verbo additus, formula paullo inflexa, quia adiectivo *cupidus* addi solet; ut igitur *tui cupere* idem valeat, quod *tui cupidum esse.* Sicut contra *studiosus alicui rei* supra III, 1. legitur, quod *studere alicui rei* in usu est. Iterum aliter vetus poeta apud Cic. de Natura Deor. III, 28. *Qui neque te amet neque studeat tui;* quia *studiosum esse alicuius rei* dicitur, hic *studere alicuius rei* protulit. Ceterum *cupere* cum Genitivo saepe apud Plautum. — V. 19. Vulgo; *Nupta ea est an vidua.* Sed Cod. V. Cam. *Nuptan'st vidua* et Cod. Dec. *Nuptan istan uida*, teste Pareo.

V. 22. Formam mulieris, a qua Pyrgopolinicem amari simulat servus, vehementer extulerat. Quod quum credibile sibi non videri significasset miles, subiungit Palaestrio, illam solam tali homine, tam pulchro, dignam esse. *Ad tuam — digna est.* Duae structurae in unam conflatae. Dicturus erat: *ad tuam formam illa una comparari potest.* Tum infert: *illa sola digna est tua pulchritudine.* Vtrumque ita coniunxit, ut diceret: *ad tuam formam illa una digna est*; possis etiam supplere: *quae comparari possit.* — *Quis ea est*; cf. supra ad Milit. II, 5, 26. — *Periplectomeni*; genitivus, de quo cf. Görenz. ad Acad. Cic. II, 6, 16. Otto ad Cic. de Fin. II, 34, 116. Ramshorn Gramm. Lat. §. 29. Kühner. ad Cic. Tuscc. dispp. III, 10, 21. Sic *Thucydidi*, *Vlixi*, *Achilli* et multa alia. — V. 24. Pro *cupit abire* vulgo *incipit ab.*, quod exhibet Cod. V. Cam. Sed Cod. Dec. *ocipit.* Cod. Lips. *cepit.* Ed. Pr. *coepit.* Non dubium est, verum esse quod Both. rescripsit *cupit ab.* *Quae cupit.* *Quae* est *quippe quae*; quidni velit, quae cupit? Non tamen diffiteor, maxime arridere mihi Bothii emendationem: *quin cupit.* Acidalius volebat *Quaene cupit?*

Pa. Quía tu illam iube ábs te abire, quó lubet; sicút soror
'Eius huc gemina vénit Ephesum et máter arcessúntque eam.
Py. 'Ain' tu? advenit 'Ephesum mater húius? *Pa.* Aiunt, quí sciunt.
Py. Hércle occasiónem lepidam, ut múlierem excludám foras.
Pa. 'Imo vin' tu lépide facere? *Py.* Lóquere et consiliúm cedo.
Pa. Vín' tu illam actutum ámovere, a te út abeat per grátiam?
Py. Cúpio. *Pa.* Tum te hoc fácere oportet. Tíbi divitiarum áffatim est.
Iúbe, sis, aurum atque órnamenta, quae ílli instruxti, múlierem
Dóno habere, et aúferre abs te, quód lubeat sibí. Placet?
Py. Plácet, ut dicis. Séd, ne istanc amíttam et haec mutét fidem,
Víde modo. *Pa.* Vah, délicatus! quaé te tamquam oculós amet!
Py. Vénus me amat. *Pa.* St, áperiuntur fóres; concede huc clánculum.
Haéc celox illíus est quae huc egréditur internúncia.
Py. Quae haéc celox? *Pa.* Ancíllula illius ést, quae huc egreditúr foras,

---

Cf. supra ad Milit. I, 1, 66. — *Sicut* indicat ad eundem modum, quo illud, posse et hoc fieri. Igitur *sicut — arcessunt* proprie sic explicanda: *Ad eundem modum, eadem ratione, qua illi arcessunt, poteris illam abs te abire iubere, quo lubet.* Pertinet igitur particula *sicut* proxime ad verbum *lubet.* Du kannst sie ja gehen lassen, wohin sie will; wie denn gerade ihre Schwester und Mutter angekommen sind, um sie zu holen. *Mater huius.* Vulgo *mater eius.* Sed Codd. Pall. *mater aeuius. Abire per gratiam* i. e. abire ab aliquo sic, ut gratia maneat eadem, quae antea; cum bona gratia.

V. 35. Non ut a se amittat solum Philocomasium, persuadet Militi servus, sed etiam ut muneribus ornatam dimittat. *Iube sis* cet. Vulgo legitur: *Iube sibi aurum — instruxisti mulieri, dono habere auferreque abs te quo lubeat sibi*; altero versu manco atque imperfecto. Varii varie agressi sunt emendationem. *Iube sis* exhibent vett. editt. et Cam. *Mulierem* praestant Iunt. et Ald. *Et auferre abs te* scripsi, cum Codd. Pall. exhibeat: *auferret abs te*; *auferreque* est coniectura Camerarii. *Quod lubeat* praebent vett. editt. *Quo iubeat* V. C. Cam. *quod iubeat* Cod. Dec. *Placet* e versu sequente repetitum est, suadente et praeeunte Dahzio, quod videbatur tutissimum. *Vah, delicatus!* Delicatus dicitur, qui in deliciis sibi parandis nimia cura versatur, praeter causam anxius est. Vocabulum enim *delicatus* a *deliciis* dicitur, unde et *delectare*, quod ab antiquo *delicere* deflectitur. Igitur h. l. sententia est: Vah nimia tua cura est, nimium dubitas; illa enim te tanquam oculos amat; nihil est, quod cures, illa enim te vehementissime demoritur. *Quae te — amat*, ea enim te amat, ut saepe. *Venus me amat*; sum beatissimus. *St*, vox silentium indicantis, unius syllabae est. Tum vulgo: *tace, aperiuntur fores.* Sed *tace*, quod manifeste a metro segregatur, nihil est nisi in-

Quae ánulum istunc áttulit, quem tíbi dedi. *Py.* Edepol haéc quidem
Béllula est. *Pa.* Pithécium haec est prae ílla et spinturnícium.
Víden' tu illam oculis vénaturam fácere atque aucupium aúribus?

ACTVS IV. SCENA II.

Milphidippa, Pyrgopolinices, Palaestrio.

Mi. Iam ést ante aedes círcus, ubi sunt lúdi faciundí mihi.
Díssimulabo, hos quási non videam néque esse hic etiamdúm sciam.
Py. Táce; subauscultémus, ecquid dé me fiat méntio.
Mi. Númquis hic prope adest, quí rem alienam pótius curet quám suam,
Qui aúcupet me, quíd agam; qui de vésperi vivát suo?
Eós nunc homines métuo mihi, ne obsínt neve obstent úspiam,
Dómo si illaec clam húc transibit, quae húius cupiens córporist,

---

terpretamentum ad voculam *St.* Sic saepe peccatum apud Plautum in hodiernis exemplaribus. *De celoce* cf. quae diximus ad Captiv. IV, 2, 94. Adde Scheffer. de militia navali Vett. p. 76. *Pithecium*, simia parva, πιθήκιον, ein Affengesicht. Deformitas simiarum apud Graecos in proverbio. *Spinturnicium*, deminutivum a v. *spinturnix*, quae deformis et inauspicata avis; eademque ambustanea sive incendiaria dicta, quod de busto seu rogo aliquid carbonum in tecta deferebat et incendium portendebat. Graeco nomine appellata παρὰ τὸν σπινθῆρα, a strictura ignis, scintilla. Cf. Scalig. ad Festum V. *Bustum*, pag. 346. ed. m. Versus h. sc. extremus citatur a Nonio 230. nullo discrimine.

Act. IV. Sc. II. Iam internuncia rei, Milphidippa, partes suas agit et, quanto hera sua amore militis ardeat, exponit, verbis herae salutem ei nuncians. Primum secum loquitur. In *circo* ludi fieri solent publici. *Etiamdum. Dum* referendum ad praecedens *neque*; alioqui enim *etiamnum* dicendum fuisset. Sed cum particula *dum* negandi voculis adiungatur, *necdum, nondum, nihildum*, amplius producta formula *neque etiamdum, nihil etiamdum* dici non mirum est. Verum demta negatione *etiamnum — nunc* dicendum. *Numquis hic prope adest.* Vulgo: *numquisnam hic p. a.*; quod ubi scribitur, ferri nequit v. *rem* ante v. *alienam*, quae eiici nequit, neque, ut Bothius fecit, in fine versus apponi. Visum est igitur tollere *nam*, quo facto *numquis hic* dactylum refert. *Qui aucupet me, quid agam*, notissima illa structura pro eo quod est *qui aucupet, ego quid agam.* Sed res nota, et saepissime apud Plautum ac Terentium obvia. *De vesperi suo vivere* proverbiali locutione dicuntur sua quadra viventes, quibus domi victus est, qui opes alienas non exspectant; quales plerumque remissiores sunt in re sua, cum ventri non metuant, in rebus vero alienis curiosi. Sic Gronovius.

V. 7. *Domo si illaec clam huc.* Vulgo: *Domo si ibit ac dum*

Quae ámat hunc hominem nímium lepidum et nímia pulcritúdine,
Mílitem Pyrgópolinicem. *Py.* Sátin' haec quoque me déperit?
Meám laudat speciem. *Edepol huius sermónes cinerem haud quaéritant.
Pa. Quo árgumento? *Py.* Quía enim loquitur laúte et minume sórdide.
Pa. Quícquid istaec dé te loquitur, níhil attrectat sórdidum.
Py. Tum aútem illa ipsa est nímium lepida nímisque nitida fémina.
Hércle vero iam úllubescit prímulum, Palaéstrio.
Pa. Príusne, quam illanc óculis tuis vides? *Py.* Vídeo id, quod credó tibi;
Tum haéc locuta, illa aútem absens, se súbigit me ut amem. *Pa.* Hercle hánc quidem

---

huc atque ita V. C. Cam. nisi quod *transicit.* Cod. Dec. *Domus ibit ac dum huc.* Vitium in his latere, ostendunt repetitum *ibit* ac voculae *si* et *dum* sic ἐκ παραλλήλου positae. *Dum* et *clam* saepe confusa reperiuntur. *Clam* non eliditur; *domo* monos. est. *Satin' haec quoque.* Brevior formula, pro eo, quod dicendum erat: satin' certum est, hanc quoque me deperire? Vel: satin' credibile est, hanc quoque me amare. Unde factum ut *satin'* in locutionibus, quae cum admiratione interrogant, vel vix credibile aliquid esse significant, adiuncta tamen ubique interrogatione, frequentetur, nihil amplius notans, quam *itane vero est?* vel *quid? numquid?* Paulo aliter infra Mil. IV, 3, 41. *Satin' ut commoditas usquequaque me adiuvat?* Hic duae enunciationes in unam conflatae; altera: *Satin' — me adiuvat;* altera: *ut commoditas — me adiuvat.* Cf. etiam infra ad Trin. IV, 4, 6. Magis ad nostrum hunc locum appositus est Rud. IV, 6, 3 seq. *Satin' si quoi homini di esse benefactum volunt, aliquo illud pacto obtingit optatum piis;* ubi *Satin'* aperte notat: *itane est?* vel: *numquid hoc certum est? — Huius sermones cinerem haud quaeritant.* Proverbiale ductum a vasis, quorum quaedam, maxime aenea, etiam nunc cinere fricantur purgandi caussa. Poeta ipse explicationem adiecit.

V. 12. Accessit hic versus, auctore Bothio, recens e Cod. Palatino, ubi ita legitur: *Quid ad ista haec de te loquitur, n. a. sordide.* Nos Bothii emendationem exhibuimus. Sententia est: *quomodo fieri possit, ut istius orationi aliquid sordidum inhaereat, quum de te loquatur? — Iam allubescit primulum.* Iam placere incipit. Quod quum miles de ancilla dicat, Palaestrio de absente hera interpretatur. Quare subiungit: *num placet illa tibi, antequam oculis tuis eam vidisti?* Sed miles, quod servo credat, id perinde esse ac si ipse viderit, respondet. Verba haec vulgo ita distinguuntur: *Pa. Priusne, quam illam oculis? Py. Tuis video, id quod credo tibi.* Pronomen *tuis* Palaestrionis orationi attribuendum esse, res ipsa loquitur. *Vides* iam Iunt. et Ald. interponunt, vel ob metrum necessarium. Eadem de caussa cum Bothio *illanc* scribendum erat. In seqq. *Tum haec locuta* cet. *tum* est e vett. editt. Vulgo et in Codd. Pall. *cum.* Pro verbis: *illa*

Níl tu amassis; mi haéc desponsa est. Tíbi si illa hodie núpserit;
Háne cóntinuo uxórem ego ducam. *Py.* Quíd ergo hanc dubitas cólloqui?
Pa. Sequere hác me ergo. *Py.* Pédisequus tibi sum. *Mi.* 'Utinam cuius caússa,
Forás sum egressa, cónveniundi mi éveniat potéstas.
Pa. Erit, ét tibi exoptatum óbtinget. Bonum habe ánimum, ne formída;
Homo quídam est, qui scit, quód quaeris, ubi sít. *Mi.* Quem ego hic audívi?
Pa. Sociúm tuorum consíliorum et partícipem consiliárium.
Mi. Tum pól ego, quod celo, haúd celo. *Pa.* Imo étiam si non célas.
Mi. Quo argúmento? *Pa.* Infidó celas; ego súm tibi firmus fidélis.
Mi. Cedo sígnum, si harunc Báccharum es. *Pa.* Amat múlier quaedam quéndam.

---

autem absens se, quae vulgo etiam a reliquis non distinguuntur, vulgo: *illam autem absentem* legitur, quod non intelligitur. Ablativum exhibent Codd. Pall. Vett. vero editt. *illa autem absens* praebent. Sententia est: Tum vero ista, haec locuta, hac sua oratione, illa vero etiam absens, me ad sui amorem compulit. *Autem* nihil habet offensionis, cum indicet aliud inferri argumentum, a superiore diversum. Duo enim dicit miles, quibus ad amorem compellatur, huius orationem et illius absentiam.

V. 19. *Sequere hac me ergo.* Inde ab hoc versu numerus mutatur. Et priores quidem duo versus iambici sunt septenarii, de quo genere cf. Hermann. Elem. d. metr. p. 149 seqq. In primo *me* non eliditur. Isti transitum faciunt ad anapaesticus numeros, quibus tota reliqua scenae pars scripta est. Exhibuimus autem pleraque ad sententiam Hermanni, qui cf. Elem. doctr. m. p. 405 seqq Ultima in *quaeris* producitur. *Quem ego* non colliduntur. *Particeps consiliarius* eodem modo dicitur, quo Truc. II, 1, 6. *amicus consiliarius.* Tres ultimae syllabae in *consiliarium* pro duabus sunt, cum *i* per synecphonesin non audiatur. Res nota est. *Haud celo;* ultima in *celo* ob mutationem personarum non liquescit. *Imo etiam si non celas.* Sententia est: Etsi non celas, tamen celas; nempe infido celas. Ego contra fidelis sum, quare non est quod celes. Dixerat enim Milphidippa: *tum ego quod celo, haud celo* i. e. frustra celo. Frigidior sententia et argutior, quam iocularior. Dativus *infido* auctore Hermanno e Cod. Lips. receptus est. Vulgo et in Codd. Pall. *infidos celas. Firmus fidelis*, pro quibus vulgo *fide firma*, ab eodem Hermanno e libris restituta sunt, ubi *firme fidelis.* — *Si harunc Baccharum es.* Profer signum, ex quo intelligam, te esse huius arcani participem. Allegoria est desumta a sacris Bacchi, nemini, nisi initiato, cognitis. Singuli autem initiati se signo quodam inter se noscebant, quod signum Graeci σύνθημα, alii *symbolum*, Apuleius *memoraculum* appellant. Igitur *harunc Baccharum* est e numero initiatorum.

Mi. Pol istúc quidem multae. *Pa.* At nón multae de dígito donum míttunt.
Mi. Enim cógnovi nunc; fécisti modo mi éx proclivo plánum.
Sed hic númquis adest? *Pa.* Vel adést, vel non. *Mi.* Cedo té mihi solae sólum.
Pa. Brevin' án longinquo sérmoni? *Mi.* Tribus vérbis. *Pa.* Iam ad te rédeo.
Py. Quid? Ego híc astabo tántisper cum hac fórma et factis frústra?
Pa. Patere átque asta; tibi ego hánc dedo operám. *Py.* Properando excrúcior.
Pa. Pedeténtim. Tu haec scis; tráctare ita solitú's has huiusmodi mércis.
Py. Age, age, út tibi maxime cóncinnum est! *Pa.* Nullum ést hoc stolidius sáxum. —

V. 28. *Enim cognovi nunc.* Noli quicquam amplius; nam nunc iam cognovi. Cf. supra ad II, 5, 19. *Ex proclivo planum.* Iocu-lare hoc. Quum enim *planum facere* dicatur pro *monstrare*, *indicare*, *explicare;* retinens translationem poeta pro eo quod volebat: quod facillimum fuit explicatu, explicasti, facillimo negotio rem aperuisti, ita locutus est: fecisti ex proclivo planum. Simili translatione supra Captiv. II, 2, 86. *Tam hoc tibi in proclivi est, quam imber quando pluit.* Cf. quae ad hunc locum notavimus. — *Vel adest*, *vel non.* Ut vis; optio tibi datur; et adesse potest et abesse. *Vel* enim origine sua et prima notione coniunctum est cum verbo *velle*, e quo veluti fonte omnes eius notiones commode derivari possunt. Cf. Baumgarten-Crusius in Indice ad Sueton. sub h. voce. De forma *solae* cf. supra ad Mil. II, 4, 3. Vulgo: *Brevin' an longinquo sermone.* Hermannus pro *brevin'* scripserat *breven'*. Sed *brevi* eodem modo duarum brevium est, ut infra v. 86. huius scenae *Meri.* *Sermoni* scribendum existimavi, antiqua ablativi forma, ut saepe. Cf. supra ad Capt. IV, 2, 116. et ibid. IV, 4, 6. Verba *iam ad te redeo* ad militem directa redeuntis a Milphidippa sunt Palaestrionis. *Tantisper* tamdiu. Omnia enim adverbia, similiter terminata, sunt proprie temporis, ut *paullisper* per breve tempus; *aliquantisper*, per aliquantum temporis; *quantisper*, per quantum temporis. Vulgo: *factis sic frustra.* Herm. e Cod. Lips. *factis? sic*, *sic Frustror.* Sed Cod. V. Cam. *factis sit frustram* et Cod. Dec. *factis si sic frustam.* Apertum est, quid illud *sic* et *si sic* genuerit. Legendum est cum Weisio *factis frustra.* — Versu sequenti pro vulgato *do* ad versum fulciendum scripsi *dedo*, cuius ultima non liquescit; de quo hiatu cf. Herm. l. c. — *Properando excrucior.* Dum ego rem approperare nimis studeo, animi maceror. Festinatio mea me excruciat. *Tractare ita solitu's huiusmodi mercis.* Probe tenes, eiusmodi negotia pedetentim confieri, quum ea tractare consueveris. Emendatio est Hermanni. Vulgo: *Tu haec scis*, *tracturi ita solere hasce huiusmodi merces.* Sed Cod. V. Cam. *tractari ita sole* et C. Dec. *soles*, si recte intelligimus Pareum. Nam Bothius testatur, abesse *ita* a Cod. Pal. Anapaesti tales: *trā* | *ctāre ĭtă* | *sŏlĭtū's* | non sunt sine exemplo, velut in proximo statim versu: *nūllumst* | *hŏc stŏlĭ* | *dĭŭs saxum.* De for-

Redeo ád te. Quid me vóluisti? *Mi.* Quo pácto hoc dudum accépi,
Istúc fero ego ad te cónsilium. *Pa.* Quasi hunc dépereat. *Mi.* Teneo ístuc.
Pa. Collaúdato formam ét faciem, et virtútes commemoráto.
Mi. Ad eám rem habeo omnem aciém, tibi uti dudúm iam demonstrávi.
Pa. Tu cétera cura et cóntempla et de meís venator vérbis.
Py. Aliquám mihi partem hodie óperae des deníque; iam tandem ades illico.
Pa. Assum, ímpera, si quid vís. *Py.* Quid illaec narrát tibi? *Pa.* Lamentári
Ait íllam miseram, crúciari et lacrumántem se afflictáre,
Quia tís egeat, quia té careat. Ob eám rem huc at te missa est.
Py. Iube adíre. *Pa.* At scin', quid tú facias? Face té fastidi plénum,
Quasi nón lubeat. Me inclámato, quia síc te volgo vólgem.
Py. Memini ét praeceptis párebo. *Pa.* Voco ego érgo hanc, quae te quaérit?
Py. Adeát, si quid volt. *Pa.* Sí quid vis, adi, múlier. *Mi.* Pulcher, sálve.
Py. Meum cógnomentum cómmemorat. Di tíbi dent quaecunque óptes.
Mi. Tecum aétatem exigere út liceat. *Py.* Nimium óptas. *Mi.* Non me díco;
Sed herám meam, quae te démoritur. *Py.* Multae áliae idem istuc cúpiunt,
Quibus cópia non est. *Mi.* Hém ecastor haud mírum, si te habes cárum,

---

mula *has huiusmodi* cf. geminus locus Pseud. III, 2, 34. *Has herbas huiusmodi.* Quae sequuntur *maxime concinnum est*, optime habent, nec metro officiunt, ut Bothius putabat. — Vv. 35. 36. In Cod. Vet Cam. est: *Quo pacto hoccilium accepi ut dis ut fero* cett. Cod. Dec. *Quo pacto hoccilium apeli Vaelistt fero* cett. Ex his mira fecit Bothius: *Quo pacto hoc Ilium aperit, Velim te ferre* cett. Latet sine dubio aliud; quid vero, non dixerim. *Ego*, quod vulgo non legitur, de Hermanni sententia additum est. Verba *redeo ad te* ad Milphidippam dicuntur. *De meis venator verbis.* Ex meis verbis coniicito.

V. 40. Tandem morae impatiens Miles servum secum esse iubet et sibi aliquam partem operae tribuere. *Iam tandem ades illico.* Ita vulgata cum Codd. Pall. Herm. dederat *iam t a illuc*, quod ad sententiam non videtur accommodatum. Ÿllĭco Disyllabum est aut pro tribracho habendum. — V. 41. *Imperita quid vis* scripsit Hermann. Vulgo cum Codd. *impera si quid vis*, quod verum. *Impera* dactylus est, ut supra v. 34. *maxime.* — V. 46. *Ego* addidit Hermann. *Quia tis egeat. Mis, tis* genitivi antiqui, de quibus cf. Prisc. XIII, 2. tom. II. pag. 560 seq. Adde Donatum pag. 1753. pag. 16. edit. meae et Pompeii Comm.

Hominém tam pulchrum et praéclara virtúte et forma et fáctis.
Heus, dígnior fuit quisquam, hómo, qui esset? *Pa.* Non hércle humanust, crédo;
Nam vólturio plus húmani, credo, ést. *Py.* Magnum me fáciam
Nunc, quóniam illaec me cóllaudat. *Pa.* Viden' ígnavum, ut sese ínfert? —
Quin tu huíc responde. Haec íllaec est ab illá, quam dudum díxi.
Py. Quanam áb illarum? Nam ita mi óccursant multaé; meminisse haud póssum.
Mi. Ab illá, quae digitos déspoliat suos ét tuos digitos décorat;
Nam hunc ánulum ab tui cúpiente huc nunc détuli ego huic; hic pórro.
Py. Quid núnc tibi vis, muliér, memora. *Mi.* Ut, quae té cupit, eam ne spérnas.
Quae pér tuam nunc vitám vivit; sit, néc sit, spes in te úno est.
Py. Quid núnc volt? *Mi.* Te compéllare et complécti et contrectáre.
Nam nísi tu illi fers súppetias, iam illa ánimum despondébit.
Age, mí Achille, fiat, quód te oro; serva íllam pulchram pulchre.
Expróme benignum ex te íngenium, urbícape, occisor régum.

---

p. 254. — V. 52. *Idem istuc.* Cf. quae supra diximus ad III, 1, 179. In verbis *hem ecastor* prius non eliditur. *Heus dignior hoc fuit quisquam homo, qui esset.* Ita e Codd. Pall. rescripsimus cum Hermanno. Vulgo: *ecquis dignior fuit, homo qui esset.* Sententia est iocularis: Num quis unquam homo dignior fuit, qui nasceretur. *Credo* in eodem versu Hermann. pro vulgato *ergo* pro quo Codd. Pall. exhibent *ergeo.* In sequentibus inest ridicula ambiguitas. Nam verba *Volturio plus humani, credo, est* aut hoc significant: *Vulturius habet plus humanitatis, quam ille;* aut hoc: *Vulturius plus humanae carnis edit,* quam miles possidet. Iam quum cadavera hominum comburi et humari soleant, vulturii animalium tantum cadavera pascuntur. Nihil ergo humanae carnis edunt. Sed minus etiam possidet miles. Cf. Dousa Plaut. expll. III, 13. *Ut sese infert;* quam superbe incedit. Vulgo: *inferat,* sed correxit Reizius teste Hermanno. *Ita mi occursant. Mi* scripsi cum Bothio; vulgo *me.* Si dici potest *occursare aliquem,* significat *einen anlaufen;* contra *occursare alicui* einem in den Weg laufen. *Anulum ab;* prioris voc. ultima non eliditur. Ceterum vulgo legitur hic versus: *Nam hunc anulum ab tui cupiente huc detuli huic, qui porro.* Sed *qui* non est in Codd. et vv. *nunc* et *ego* addidit Herm. *Sit, nec sit.* Vulgo: *sit nec ne sit.* Sed *sit nec sit* exhibet Cod. V. Cam. quod pro *sit, non sit* dici, vulgatum est. *Nec* pro *non* dici satis testatur Festus p. 176. 177. ed. meae, quem vide. Eodem modo dicitur *sit, non sit; velis, nolis* et similia. *Exprome;* facias ut benignum tuum ingenium sentiatur, intelligatur. Ultima in v. *ingenium* non liquescit.

Py. Heu, hercle ódiosas res! quótiens hoc tibi, vérbero, ego interdíxi,
Meam né sic volgo póllicitere operám? *Pa.* Audin' tu, múlier?
Dixi hóc tibi dudum et núnc dico: ni huic vérri affertur mérces,
Non híc suo seminió quamquam porcéllam impertitúrust.
Mi. Dabitúr, quantum ipsus pretí poscet. *Pa.* Talentúm Philippum huic opus aúri est.
Minus áb nemine accipiét. *Mi.* Heu, heu, ecastór nimis vilest tándem!
Py. Non míhi avaritia unquam ínnata est; satis hábeo divitiárum.
Plus mi aúri mille est modiorum Philippí. *Pa.* Praeter thesaúrum.
Tum argénti montis, nón massas, habet. Aétnast mons aeque áltust.
Mi. Heu ecástor periurum! *Pa.* 'Ut ludo? *Mi.* Quid ego? út sublecto os? *Pa.* Scíte.

Pollicitere. Sic Hermannus. Vulgo *polliciteris.* V. C. Cam. *pollicitare*, omisso in supp. *ne.* Rectius tamen Scioppius videtur coniecisse: *pollicerere;* cf. Sciopp. suspectt. lectt. III, 9. ob antecedens praeteritum. *Ni huic verri affertur* cet. Hic et sequens versus affertur a Prisciano V, 3. p. 175. tom. I. Ubi pro *porcellam*, quod Reizius pro vulgato *porculam* restituit, legitur *porculenam.* MSS. Pall. *proculem.* — *Talentum Philippum* i. e. talentum auri Philippici, nummorum Philippeorum. *Philippus* adiective pro *Philippeus*, ut infra v. 75. *auri mille modiorum Philippi.* Et Trin. IV, 2, 17. *illo mille nummum Philippo.* Ita enim legendum. Codd. Pall. hoc Militis loco: *Philippium.* Tum *nemine*, pro quo V. C. Cam. *nemini*, monosyllabum est. *Heu* vulgo et in Codd. semel scriptum, Herm. duplicavit. Deinde memorabilis est numerus in v. *ĕcāstór*, quemadmodum v. superiori *tālĕntúm.* *Nimis vile est tandem.* Quasi, postquam cupide rem exspectarat, mirabunda dicat: Das ist doch endlich einmal wohlfeil. V. 72. Vulgo et in Codd. Pall. *satis est divitiarum.* Herm. e Cod. Lips. rescripsit: *satis habeo divitiarum*, quod vel e coniectura scribendum erat. *Mille modiorum*, ut *mille hominum, mille numum.* Cf. Seyfert. Lateinische Sprachlehre t. II. p. 97. V. 74. Vulgo: *Aetna mons non aeque altus.* V. C. Cam. *non aeque altos* omissis vv. *Aetna mons.* Herm. dedit: *Aetna haud mons aeque altust*, ad metrum fulciendum. Cam. edidit: *Aetna non aeque alta est.* Iocularior fit oratio omissa negatione, quae orta ex male lecto v. *mons.* Quare scripsi *Aetnast mons aeque altus.* Hoc enim dicit simulata modestia: Aetna tantum magnitudine aequat illius auri montes. Versu seq. vulgo *hominem periurum.* Recte omisit Herm. *hominem.* *Sublectare* blandiri et blandiendo decipere, ut non sentias. Nam *sublectare* a *sublicere*, ut *delectare* a *delicere*, *allectare* ab *allicere.* Unde Acidalius *sublectare os* recte dici negat; absolute enim dicendum esse *sublectare* aliquem. Sed recte

Mi. Sed, amábo, mittito me áctutum. *Pa.* Quin tu huíc respondes áliquid,
Aut fácturum, aut non fácturum? quid illám miseram animi excrúcias,
Quae núnquam male de té merita est? *Py.* Iube eámpse exire huc ád nos.
Dic me ómnia quae volt, fácturum. *Mi.* Facis núnc, ut te facere aéquom,
Quom, quaé volt, eadem tú vis; *Pa.* non hic ínsulsum habet ingénium.
Mi. Quomque óratricem haud sprévisti, sistíque exorari éx te.
Quid est? 'Ut ludo? *Pa.* Nequeo hércle equidem risú me admoderári.
Ob eám causam huc abs te ávorti. *Py.* Non édepol tu scis, múlier,
Quantum égo honorem nunc ílli habeo. *Mi.* Scio, et ístuc illi dícam.
Pa. Contra aúro hanc vendere alí potuit operam. *Mi.* 'Istuc pol tibi crédo.
Pa. Meri béllatores gígnuntur, quas híc praegnantis fécit,
Et púeri annos octíngentos vivúnt. *Mi.* Vae tibi, nugátor!
Py. Quin mílle annorum pérpetuo vivúnt ab saeclo ad saéclum.
Pa. Eo mínus dixi, ne haec cénseret me advórsum se mentíri.
Mi. Perií, quot hic ipse annós vivet, quoius fílii tam diu vívunt!
Py. Postríduo natus sum égo, mulier, quam Iúpiter ex Ope nátust.

---

alii *sublectare os* explicarunt *palpando os demulcere.* — *Animi excrucius.* Cf. supra notata ad Mil. gl. III, 1, 124. V. 78. Vulgo *At iube.* *At* recte omisit Herm. quod ortum ex nota personae anteced. *Exorari ex te;* h e. orando extorqueri. `Simili modo *exorare ab aliquo* Bacch. V, 2, 51, 58. *Exorare rem ab aliquo* legitur in Trinummo II, 2, 50. V. 79. 80. Vulgo: *Facis nunc ut facere aequom, Quod quae te volt, eandem tu vis.* At V. Cod. Cam. *Facis nunc facere aequom Quum quae vult.* Emendavit Herm. *Eadem* Codd. Pall ut videtur. Nam Cam. et Pareus *eadem* ediderunt, nihil monentes.

V. 83. *Huc abs te avorti.* Dicit Palaestrio, se, quia risui temperare nequivisset, paullum se ab ancilla avertisse; nam quum illa cum milite loqueretur, poterat is ridentem videre. *Contra auro.* Cf. notata supra ad Mil. III, 1, 64. Sententia est: operam suam cuique alii mulieri auro contra appenso vendere potuit, si vellet. Vulgo legitur: *Contra auro alii hanc vendere potuit o.*, ictu satis incommode in *vendére* posito. *Ali* pro *alii* satis nota contractione. *Mille annorum.* cf. quae paullo ante notavimus ad versum 75. Citat hunc v. Nonius p. 499. sic: *Qui mille annorum perpetuo vivunt ab seculo ad seculum.* — *Advorsum se mentiri;* ut *advorsum aliquem dicere*, *advorsum aliquem recusare*, pro *alicui dicere*, *alicui recusare*, *coram aliquo.* — *Perii;* fastidio scilicet istorum mendaciorum illiusque vanitatis. *Quam Iupiter ex Ope natust.* Cf. Macrobii Saturn. I, 10. *Viva a vobis.*

Pa. Si hic prídie natus fóret, quam ille est, hic habéret regnum in caélo.
Mi. Iam, iám sat, amabo, est; sínite abeam, si póssum, viva a vóbis.
Pa. Quin érgo abis, quando rėsponsum est. *Mi.* Ibo átque illam huc addúcam,
Quam própter opera est mihi. Númquid vis? *Py.* Ne mágis sim pulcher, quám sum;
Ita mé mea forma habet sóllicitum. *Pa.* Quid hic núnc stas? quin abis? *Mi.* 'Abeo.
Pa. Atque ádeo audin' tu? dícito docte et córdate. *Mi.* Ut cor sáliat.
Pa. Philocómasio dic, si ést nunc hic, domum ut tránseat; hunc hic ésse.
Mi. Hic cúm mea hera est; clam nóstrum nunc sermónem sublegérunt.
Pa. Lepidé factum est: iam ex sérmone hoc gubernábunt doctius pórro
Rem. *Mi.* Mé remorare. *Pa.* Abeó, neque te moro, néque tango, neque —, táceo.
Py. Iube máturate illam éxire huc; iam istí rei praevortémur.

ACTVS IV. SCENA III.

Pyrgopolinices, Palaestrio.

Py. Quid míhi nunc auctor, út faciam, es, Palaéstrio,
De cóncubina? nám nullo pactó potest

Adeo nugis vestris enecatis, ut verear, si longius vobiscum sim, ne non viva a vobis discedam; ita risu emorior. Haec paullum aversa dicit mulier. Vulgata e Cod. Dec. *ut cor ei saliat.* Sed V. C. Cam. *curasaliut*, ex quo Cam. fecit *cura aliud.* Formula *cura aliud* usitata quidem est et saepe obvia. Recte tamen iudicasse videtur Lipsius, qui ancillam ad id quod servus dixisset, alludere monuit: *dicito — cordate. Ei* a metro secluditur. *Philocomasio dic* cet. Haec clandestino sermone loquitur cum ancilla Palaestrio, vel potius, postquam eam paullum abduxit a milite. — V. 98. Vulgo *nunc* omittitur; necessarium est et propter sententiam et propter metrum. Facile excidere potuit ob v. sequentem *hic.* Herm. interposuit. V. 99. Citat Servius ad Virg. Ecl IX, 20. his verbis: *Quae etiam nostrum hunc sermonem sublegerat. Me remorare.* Cf. supra ad Milit. III, 3, fin. *Remorare* pro vulgato *morare* Herm. metri causa scripsit. In Codd. Pall. est: *Rememorare*, unde Cam. scripsit *Remorare* om. *Rem. Neque — taceo.* Nequius aliquid dicere vult; sed corrigit se, silentium sibi imponens. Vulgo: *neque te tango, neque te. taceo.* Atque ita Codd. Pall. nisi quod in Cod. V. Cam. *tago* absente *te*; uterque vero Cod. *moro* pro vulg. *moror. Iam isti rei praevortemur;* cf. notata supra ad Captiv. II, 3, fin.

Act. IV. Scen. III. Digressa Milphidippa restant in scena bonus servus et miles. Servus interrogatus, quid nunc facto opus

Prius haéc in aedis récipi, quam illam amíserim.
Pa. Quid mé consultas, quíd agas? Dixi equidém tibi,
Quo id pácto fieri póssit clementíssume.
Aurum átque vestem múliebrem omnem habeát sibi;
Quae illi ínstruxisti, súmat, habeat, aúferat;
Dicásque, tempus máxumum esse, ut eát domum:
Sorórem geminam adésse et matrem dícito,
Quibuscúm comitata récte deveniát domum.
Py. Qui tú scis, eas adésse? *Pa.* Quia oculís meis
Vidi híc sororem esse eíus. *Py.* Conveníne eam?
Pa. Convénit. *Py.* Ecquid fórtis visa est? *Pa.* 'Omnia
Vis óbtinere. *Py.* Ubi mátrem esse aiebát soror?
Pa. Cubáre in navi líppam atque oculis túrgidis,
Nauclérus dixit, qui íllas advexít, mihi.
Is ad hós nauclerus hóspitio devórtitur.
Py. Quid is? écquid fortis? *Pa.* 'Abi, sis, hinc; nam tu quidem
Ad equás fuisses scítus admissárius,
Qui cónsectare quá mares, qua féminas.
Py. Hoc áge nunc. *Pa.* Istuc. *Py.* Quód das consiliúm mihi,
Te cum ílla verba fácere de ista ré volo;

---

sit, persuadet hero, ut Philocomasium dimittat. Adesse enim eius matrem et sororem, quibuscum commode in patriam redire possit. V. 1. Vulgo *es auctor.* Codd. Pall. *est auctor.* Aut omittendum *es* fuit aut transponendum. *Amiserim*, vulgo: *omiserim.* Sed cf. supra Captiv. argum. 7. et ibi notata. Codd. Pall. *obmiserit. Quo id pacto;* hunc elegantiorem ordinem pro vulgato: *quo pacto id*, e Cod. Pal. Dec. recepi, ubi ita legi, testatur Bothius. *Tempus maximum esse*, ἀκμὴν τοῦ καιροῦ, ut nostrates: die höchste Zeit, pro tempore maxime opportuno. *Comitata* passive, ut saepe apud Plautum *comitatus.* Sed notum est, activum *comitare* apud optimos quosque scriptores inveniri, ut apud Ovidium, Propertium, Iustinum. Unde non mirum est, participium passivum *comitatus* apud ipsum Ciceronem frequentari. Ceterum vulgo: *Quibus concomitata* ex plurimorum emendatione. Sed Codd. Pall. et Vett. edd. *Quibuscum comitata*, quod restituendum erat. Reinesium ad Inscr. cl. 14. no. 171. minus Latine dici *comitari cum aliquo*, opinantem vel hic locus refutat. Graecorum ἕπεσθαι σύν τινι nemini ignotum. Cicero aliquoties dativum adiunxit, Tuscul. dispp. V, 24. *tardis enim mentibus virtus non facile comitatus.* Idem ibid. V, 35. *quae comitantur huic vitae.* Idem de Rep. II, 24. *illi prospere fortuna comitata est. Ecquid fortis visa est.* Fortis non idem h. l. quod *pulchra*, ut explicant; sed est viribus pollens, vegeta. Nam non venustas quaerit ille scitus admissarius, sed bene nutritas. Ceterum hunc locum citat Nonius p. 306., et Servius ad Virg. Aen. IV, 149. ita exhibet: *Quidnam fortis est*, adiiciens: *id est pulchra.* Cf. infra v. 18. h. sc. *Omnia vis obtinere;* omnia tibi vindicare. Non opus est, ut hic quicquam mutetur, quod putabat Sciopp. susp. lectt. I, 7. De formula *qua* —

Nam cum ílla sane cóngruus sermó tibi.
Pa. Qui pótius, quam tute ádeas, tuam rem túte agas,
Dicás, uxorem tíbi necessum dúcere,
Cognátos persuadére, amicos cógere?
Py. Itáne tu censes? *Pa.* Quíd ego ni ita cénseam?
Py. Ibo ígitur intro. Tu híc ante aedis ínterim
Speculáre, ut, ubi illaec pródeat, me prórvoces.
Pa. Tu modo istúc cura, quód agis. *Py.* Curatum íd quidem est.
Quin sí voluntate nólet, vi extrudám foras.
Pa. Istúc cave faxis; quín potius per grátiam
Bonam ábeat abs te; atque íllaec, quae dixí, dato:
Aurum órnamenta, quae ílli instruxistí, ferat.
Py. Cupio hércle. *Pa.* Credo, fácile te impetrássere.
Sed abi íntro; noli stáre. *Py.* Tibi sum obédiens.
Pa. Numquíd videtur démutare atque út equidem
Dixi ésse vobis dúdum hunc moechum mílitem?
Nunc ád me ut veniat úsust Acroteleútium,
Ancíllula eius et Pleúsides. Pro Iúpiter,
Satin' út commoditas úsquequaque me ádiuvat?
Nam quós videre me exoptabam máxume,
Una éxeuntis vídeo hinc propere e próxumo.

---

qua cf. quae diximus ad Trin. IV, 4, 37. *Cum illa — congruus sermo tibi.* Tibi congruit, te decet, cum ista colloqui in tali re. *Qui potius, quam tute adeas.* Ita ad Scioppii sententiam susp. lectt. I, 7. e Cod. V. Cam. correxi vulgatam: *Quin potius, quom tute ades.* Sententia est: Quomodo illud, quod tu ais, potius, quam hoc, quod tibi suadeo? Ut tu adeas eam, tuam rem ipse tractes. *Hortatur eum, ut ipse concubinam expellat, ne posthac diceret, se inscio et invito acta, quae servi cum ea transegissent.* Haec sunt verba Scioppii l. c. *Cura, quod agis*, ut recte agas. *Voluntate* tertiam a fine brevem habet. Errant, qui explicant *sponte.* Opponuntur sibi *vi* et *voluntate.* Si ad meam voluntatem nolet, vi cogam. *Per gratiam* cf. supra IV, 1, 32. Adde quod formula ICtorum est, cum *matrimonium dissolvitur bona gratia.* — Abiit miles, solus restat Palaestrio, atque in herum invehitur. Vulgo: *demutare atque uti ego.* Sed Codd. Pall. *demutare aut utique*, unde Bothius quod dedimus. *Demutare*, intransitiva notione, *alium esse*, *alium fieri*, *alium se gerere.* Quapropter sequitur particula *atque*, quae verba similitudinis et dissimilitudinis comitatur. De activorum intransitivo usu cf. supra ad Mil. II, 4, 102. De usu partt. *atque ut* cf. supra ibid. II, 4, 48. *Usus est* pro *opus est;* cf. supra ad Mil. II, 6, 43. *Satin' ut commoditas;* cf. quae supra exposuimus ibid. ad IV, 2, 9. *Videre me exoptabam.* De usu accusativi in tali structura cf. Sciopp. suspectt. lectt. IV, 19. Ceterum vulgo perverso ordine: *videre exoptabam me maxume*, qui ordo et metro et legibus gramm. adversatur. Lingius *me* spurium esse censens eiecit, admisso hiatu. Tum vulgo: *video hinc e proxumo.* Sed V. C. Cam. om. *e* et in Dec. legitur: *video hinc propxumo*, quod ad veram lectionem ducit.

ACTVS IV. SCENA IV.

Acroteleutium, Milphidippa, Pleusides, Palaestrio.

Ac. Séquimini, simul círcumspicite, né quis assit árbiter.
Mi. Néminem pol videó, nisi hunc, quem vólumus conventum. *Pa.* 'Et ego vos.
Mi. Quid agis, noster árchitecte? *Pa.* Egon' árchitectus! Váh! *Mi.* Quid est?
Pa. Quía enim non sum dígnus prae te, ut fígam palum in párietem.
Ac. Eía vero! *Pa.* Nímis facete nímisque facundé mala est.
'Ut lepide derúncinavit mílitem! *Mi.* At etiám parum.
Pa. Bóno animo es; negótium omne iám succedit súb manus.
Vós modo porro, ut óccepistis, dáte operam adiutábilem.
Nam ípse miles cóncubinam intro ábiit oratúm suam,
'Ab se ut abeat cúm sorore et mátre Athenas. *Pl.* Eú probe!
Pa. Quín etiam aurum atque órnamenta, quae ípse instruxit, múlieri
'Omnia dat dono, áb se ut abeat; íta ego consiliúm dedi.
Pl. Fácile istuc quidem ést, si et illa vólt et ille autém cupit.

Act. IV. Sc. IV. Iam etiam Pleusides in scenam procedit, ut simul cum Acroteleutio, quae utriusque sint partes, diligenter a Palaestrione instruatur. *Et ego vos.* Haec verba in plerisque libris antiquis Acroteleutio tribuuntur, male. Sed quae horum loco in quibusdam libris leguntur: *ergo voca*, ea, si vera essent, Acroteleutio tribuenda esse apparet. Sed peccant in metrum. De formula *quia enim* cf. quae dicta sunt supra ad Capt. IV, 2, 104. Ceterum h. l. vulgo *qui enim*, quod iam emendavit Dousa Plaut. Expll. III, 13. *Non sum dignus prae te* cet. Si ego tecum me comparo, homo sum ineptissimus. *Figere palum in parietem* quivis homo potest, etiam architecturae imperitissimus. Tantum igitur abest, ut architecti nomine dignus sim, tecum comparatus, ut dignus non sim, qui facillimum et vilissimum negotium suscipiam. Ceterum notanda est structura *dignus ut*, pro ea quae vulgo dicitur *dignus qui*. *Facunde mala est.* Cod. Dec. *Fecunden malast;* unde scribendum suspicatur Bothius: *faecunde mala est.* Perperam; bene habet vulgata. *Facunde mala* ea dicitur, quae malitiam suam, h. e. dolos et fraudes, verbis scite exornare et docte explicare potest. V. C. Cam. *faciunda mala est.* Ceterum falso Lambinus et qui eum secuti sunt haec de Acroteleutio ad spectatores dicta accipiunt. Nondum enim Acroteleutium, sed Milphidippa tantum, cum milite locuta erat; quare etiam verba: *at etiam parum*, Milphidippae tribuenda erant, quae vulgo Acroteleutio adscribuntur. *Etiam parum* est *nondum satis*, noch zu wenig; quae adverbii *parum* notio usitata est. *Negotium sub manus succedit;* cf. quae de hac formula supra diximus ad Mil. III, 2, fin.

V. 13. Pleusides omnem rem iam paene confectam existimat. Igitur facile esse dicit Philocomasio, a milite abire, utroque quippe ita volente. Cui Palaestrio: nondum res eventum habuit; saepe enim iam paene confecta res ad irritum cecidit. *Et ille*

Pa. Nón tu scis, quom ex álto puteo súrsum ad summum escénderis,
Máxumum perículum inde esse, a súmmo ne rursúm cadas?
Núnc haec res apud súmmum puteum géritur; si prosénserit
Míles, nihil efférri poterit húius. Nunc cum máxume
'Opus dolis. *Pl.* Domi ésse ad eam rem vídeo silvaí satis:
Múlieres tres; quártus tute es; quíntus ego; sextús senex.
Pa. Quód apud nos falláciarum est éxcitum! Certó scio,
'Oppidum quodvís videtur pósse expugnarí dolis;
Dáte modo operam. *Ac.* 'Id nos ad te, sí quid velles, vénimus.
Pa. Lépide facitis. Núnc tibi hanc ego ímpero provínciam.

---

autem; de iterandi notione, quae proprie particulae *autem* inest, cf. notata supra ad Milit. III, 1, 84. *Ex alto puteo* cet. Nonne tenes, saepe, quum periculum iam paene superatum esset, eo revolvi homines, unde effugisse se opinarentur? *Escenderis;* priores editt. *ascenderis*, Codd. *descenderis*; sed *escenderis*, quod solum h. l. ferri potest, iamdudum correctum. *Si prosenserit.* Sic in Codd. legi pro *si p r a e s e n s e r i t*, testis est Pareus et Sciopp. suspectt. lectt. IV, 14. qui rem munit exemplis. Ita enim *Prodicere* pro *praedicere* dictum esse antiquitus, unde *prodigia*, quasi *prodicia*, quae prodicant futura. Et *promittere* esse pro *praemittere*, ut docuerit Giphanius in indice Lucretiano. Sic etiam Amphitr. V, 1, 19. ex Codd. legendum esse: *Neque nostrum quisquam sensimus, cum peperit, neque providimus.* Tum Rud. III, 1, 4. in Codd.: *Velut ego hac nocte, quae processit, proxima.* Haec ille. — *Nihil efferri.* Vulgo *nihil hinc ferri.* Sed Codd. *has nihil ferre; nihil haec f.*; *nihil h a n c f.* quare recte suspicatur Bothius, antiquam scripturam latere *ecferri.* — *Silvai* scripsi cum Bothio pro vulgato *silvae*, quod ἄμετρον. Silva, ut Graecorum ὕλη, omnis materia; h. l. veluti ad aedificandas dolorum machinas. *Quod apud nos fallaciarum* cet. Locus dubius. Vulgo: *Quot a. n. f. est excisum.* *Quod*, iam dudum correctum, cum genitivo singularis et pluralis strui, in vulgus notum est, veluti Tacit. Annal. I, 48, 2. *Quod castrorum sincerum erat.* Pro verbis *est excitum* fere ubique monstra verborum leguntur, atque in V. C. Cam. *sexitum*, in Dec. *sextumst*, unde recte scripserunt: *est excitum*, cum Camerario. Vulgatum *est excisum* defendunt, allegoriam superiorem de silva, quae ad aedificandum caeditur, continuatam dicentes. Sed *fallacias excidere* esset potius *exstirpare*, *evellere*; neque iam amplius sermo est de materia ad dolos fabricandos, sed de dolis ipsis. Igitur *quod fallaciarum est excitum* interpretamur: *quot fallaciae a nobis in auxilium vocatae sunt*; ductamque imaginem putamus a iuventute, quae ad arma excietur; ut est apud Cic. Philipp. XII, 16. c. 7. *Iuventutem omnem ex tota Italia excivimus.* V. 23. V. C. Cam. *Nunc hoc tibi e. i. p.*, ex quibus Cam. fecit: *nunc hoc tibi ego in hac i. provincia.* Sed Cod. D. et Ambr. rescr. teste Ritschelio, quod vulgo legitur: *nunc hanc tibi e. i. p.*, nisi quod Cod. rescr. meliore ordine *nunc tibi hanc.* — *Id nos ad te* cet. *Id* pro eo, quod vulgo dicitur *propter id*, *propterea*, frequentissime apud Plautum; de quo cf. Parei lexicon s. h. v. Dicitur autem eadem

Ac. 'Impetrabis, 'Imperator, quód ego potero, quod voles.
Pa. Mílitem lepide ét facete et laúte ludificárier
Vólo. *Ac.* Voluptatém mecastor mi ímperas. *Pa.* Scin', quemádmodum?
Ac. Némpe ut assimulém me amore istíus differri. *Pa.* Rém tenes.
Ac. Quásique istius caússa amoris éx hoc matrimónio
'Abierim, cupiéns istius núptiarum. *Pa.* Omne órdine,
Nísi modo unum hoc: hásce esse aedıs dícas dotalís tuas;
Hínc senem abs te abiísse, postquam féceris divórtium;
Ne ílle mox verrátur introíre in alienám domum.
Ac. Béne mones. *Pa.* Sed ubi ílle exierit íntus; istic té procul
'Ita volo assimuláre, prae illius fórma quasi spernás tuam,
Quásique eius opuléntitatem révereare, ét simul
Fórmae amoenitátem illius, fáciem, pulchritúdinem,
Cóllaudato. Sátin' praeceptum est? *Ac.* Téneo. Satin' est, sí tibi
Méum opus ita dabo éxpolitum, ut ímprobare nón queas?

---

ratione, qua usitatissimum illud *quid* pro *cur*; ut *quid venis* infra Trin. I, 2, 29. Eiusdem generis est, quod ibidem legitur Trin. I, 2, 59. *Si id non me accusas.* — *Quod ego potero.* Bothius parum considerate emendabat: *quoad ego p.* Nam illud ipsum *quod* pro eo quod vulgo *quoad*, *quantum*, poni solet. Cf. Goerenz. ad Cic. de fin. p. 377. et alibi saepe. Adde Parei lexicon s. v. *Quod.* — *Laute ludificarier*, magnifice, λαμπρῶς. — V. 26. *voluntatem* pro *voluptatem* exhibent Codd. Pall. *Scin' quemadmodum.* Vulgo: *Et scin' tu, quemadmodum*; quod iam Scioppius susp. lectt. IV, 15. correxerat: *at scin' quemadmodum.* Sed metrum etiam illud *at* a se segregat. *Amore differri* dicuntur, qui discruciantur doloribus amoris. Sic Turpilius apud Nonium p. 173. v. *suavitudo: Intercapedine interficior, desiderio differor.* Adde Terent. Adelph. III, 4, 40. *Miseram me, differor doloribus.* Cf. etiam Nonius p. 284. s. v. *differre.* — *Omne ordine.* Sic Bothium secuti dedimus. Vulgo: *cupiens istius summe nuptiarum.* *Pa. Ordine is.* Sed Codd. Pall. *istius omne ordinis nuptiarum*, omissa interlocutoris nota. Vulgata lectio, nisi fallor, e sola Camerarii coniectura fluxit, neque quicquam habet auctoritatis. Corruptioni locum dedit transpositio vocis *omne*, qua semel admissa reliqua immutata sunt, ut tolerabilis existeret sententia. *Omne ordine*; h. e. omnia recte et iusto ordine dicis. Sic Terent. Eunuch. V, 4, 48. *Tu isti narra omne ordine, ut factum siet*; citante Bothio. *Introire* h. l. quattuor syllabarum; vocales enim mediae non coeunt, ut in *circumire*, et similibus. Cf. Herm. Elem. doctrin. Metr. pag. 152.

V. 33. *Procul*, e longinquo astans. *Quasique eius* cet. Hic versus a Nonio exsignatus est p. 146. nullo discrimine, nisi quod *revereare* scripsit. *Formae amoenitatem illius* cet. Vulgo: *Formam amoenitatis, illius faciem, pulcritudinem.* Iam Pistor. emendavit. Pro *faciem*, *pulchritudinem* Bothius non sine veri specie scriptum vult: *facie* (antique pro *faciei*) *pulchritudinem.* — *Opus*

Pa. Sát habeo. Nunc tíbi vicissimque ímperabo. *Pl.* Dícito.
Pa. Quom éxtemplo hoc erit fáctum, ubi intro haec ábierit; ibi tu íllico
Fácito uti venías ornatus órnatu huc nauclérico:
Caúsiam habeas férrugineam; cúlcitam ob oculos láneam;
Pálliolum habeas férrugineum, nam ís colos thalássicust;
'Id, connexum in húmero laevo, éxpapillato bráchio,
Praécinctus aliqui, ássimulato, quási gubernatór sies.
'Atque apud hunc senem ómnia haec sunt; nam ís piscatorés habet.
Pl. Quíd, ubi ero exornátus? Quin tu dícis, quid factúrus sim?
Pa. Húc venito et mátris verbis Phílocomasium arcéssito,
'Ut, si itura sít Athenas, éat tecum ad portúm cito.

---

expolitum dicitur, cum ultimam manum expertum, iam absolutum et perfectum est. *Vicissimque*; vulgo et in Dec. *vicissim quae*. Cod. V. Cam. *visque*; alii *vicissim quoque*, quod interpretamentum est. De particula *que* pro *quoque* cf. Gronov. ad Liv. I, 26. fin. et Livii interpp. ad V, 27, 1. Rem vel lexica docebunt. *Quom extemplo*; cf. quae not. supra ad Capt. IV, 2, 6. Vulgo h. l. *quam extemplo*, quod hic quidem nihili. De *ferrugineo* colore cf. Nonius p. 549. ubi hic Plauti versus citatur. Adde Ueber die Farbenbenennungen der Alten in Goethes Farbenlehre II, p. 58. *Expapillato brachio.* Mire variant in his vv. libri et manuscripti et veteres editi. Codd. Pall. *exfafilato*. Nonius p. 103., ubi hic versus citatur: *Expapillato brachio, quasi usque ad papillam renudato. Plautus Milite glorioso* cet Festus p 59. ed. meae: *Expapillato brachio, exerto; quod quum fit, papilla nudatur.* Cf. quae a me notata sunt ad alterum Festi locum pag. 62. meae ed. ubi legitur: *Effafilatum, exertum, quod scilicet omnes exerto brachio sint exfilati, idest, extra vestimentum filo contextum.* Quae O. Müllerus ad hunc locum notavit, omni probabilitate carent. Sine dubio scriptum erat in antiquissimo Plauti exemplo: *ECPAPILATO*, quam inusitatam vocem nescientes librarii, scripturam falso interpretantes primum *ecfafilato* deinde *effafilato* scripserunt, aliis verum *expapillato* servantibus, unde duplex glossa illa apud Festum vel potius Verrium orta est. Voc. *laevo* non coalescit, et voc. *éxpapilláto* simili prosodia utitur, atque *sătĕllites* Trin. IV, 1, 14. *sĭmĭllimae* Asin. I, 3, 88. *măgĭstratum* Amphitr. prol. 74. Adde Poen. V, 3, 26. *sŭpĕllectili.* Et similia alia. Cf. quae disputavit Vilelm. Ad. Becker., Professor Lips. V. Cl., in Antiq. Plaut. pag. 14 seqq. ubi tamen quaedam temere ad hoc genus relata. *Exfibulato br.* dedit Bothius de coni. *Quin tu dicis.* Morae impatiens Pleusides, et iam nimium diu trahi orationem Palaestrionis indignans, quin tu tandem, quid faciendum mihi sit, dicis, ait, ut ad finem pervenias. *Quin*, nisi in obliqua oratione, nunquam coniunctivo iungitur, sed vel indicativo, vel imperativo. Caussa in promptu est. Cf. quae de origine vocis supra diximus ad Mil. II, 5, 16. De prosodia in vv. *facturus sim* vide quae dixi in libello de v. pros. V. 49. *Vt si itura sit Athenas.* Vulgo: *Vt si itura iam est Ath.* E Cod. V. Cam. nihil varietatis enotatum est. Bothius se in Pal. h. e. Cod.

'Atque ad iubeat férri in navim, sí quid imponí velit.
Nísi eat, te solútarum esse návim, ventum operám dare.
Pl. Sátis placet pictúra, perge. *Pa.* Ille éxtemplo illam hortábitur,
'Ut eat, properet, né morae sit mátri. *Pl.* Multimodís sapis.
Pa. 'Ego illi dicam, ut me ádiutorem, qui ónus feram ad portúm, roget.
'Ille iubebit me íre cum illa ad pórtum. Ego adeo, ut tú scias,
Prórsum Athenas prótinam abibo técum. *Pl.* Atque illo ubi véneris,
Tríduum servíre nunquam té, quin liber sís, sinam.
Pa. 'Abi cito atque orná te. *Pl.* Numquid áliud? *Pa.* Haec ut mémineris.
Pl. 'Abeo. *Pa.* Et vos abíte hinc intro actútum; nam illum hinc sát scio
Iam éxiturum esse intus. *Ac.* Celebre apúd nos imperiúm tuum est.
Pa. 'Agite, abscedite érgo. Ecce autem cómmodum aperitúr foris.
Hílarus exit, ímpetravit; ínhiat, quod nusquam ést, miser.

ACTVS IV. SCENA V.

Pyrgopolinices, Palaestrio.

Py. Quód volui, ut volo, ímpetravi pér amicitiam et grátiam a

---

Dec. legisse testatur: *Vtsiitupsia ethena se atecum atportuum c.* Pareus *ad portuum* e Codd. Pall. excerpsit. Legendum sine dubio est: *Vt si itura sit Athenas* cet. Coniunctivus necessario requiritur. *Sit*, non *siet*, scribendum esse, evicit Kampmannus in Annot. ad Plauti Rud. pag. 10. quem vide. — *Atque ad iubeat ferri;* pro *iubeat afferri*, tmesi Plauto non inusitata. Sic Lucret. IV, 1247. *inque gravescunt.* Idem I, 453. *seque gregari.* Ovid. Met. XII, 497. *inque cruentatus.* Plaut. Stich. I, 2, 19. *in eas simulem.* Cf. quae notavimus ad Trin IV, 1, 14. *disque tulisset.* Curcul. I, 1, 85. *Si quid super illi fuerit;* et multis aliis in lócis. Hoc autem loco ita scribendum esse, manifesto ostendunt Codd. Pall., quorum Cod. V. Cam. *atque adiubeat*, Dec. *atque adiuvet.* — V. 53. Vulgo et in Codd. Pall. *Vt eat, ut properet;* sed posterius *ut* a metro excluditur. — De formula *numquid aliud* cf. notata supra ad Captiv. I, 2, 88. *Intus exiturum* dicitur, quum *intus* etiam motum de loco significet, ut *intus evocare*, *intus efferre* et similia, quae frequentissima sunt. *Celebre imperium est;* h. e. celebratur a nobis, cito ac sedulo curatur. Sic Pseud. I, 2, 35. *Intro abite atque haec celebrate.* Cf. Nonius p. 89. qui locus sic est legendus: *Celebre non solum frequens, sed etiam velox. Accius Aegistho: Celebri gradu gressum áccelebrasse áddecet.* Ita enim ibi Codd. — V. 61. *Commodo* legitur vulgo. Sed *commodum* Cod. Dec. teste Bothio.

Act. IV. Sc. V. Miles a Philocomasio redit et, quomodo rem

Philocomasio. *Pa.* Quídnam te intus fuísse tam dicám diu?
Py. Núnquam ego me tam sénsi amari, quám nunc ab illa múliere.
Pa. Quíd iam? *Py.* Ut multa vérba fecit, lénta ut materiés fuit!
Vérum postremo ímpetravi, ut vólui; donavíque ei,
Quaé voluit, quae póstulavit; té quoqué ei donó dedi.
Pa. 'Etiam me? Quomódo ego vivam síne te? *Py.* Age; es animó bono.
'Itidem té ego líberabo. Nám, si possem ulló modo
'Impetrare, ut abíret nec te abdúceret, operám dedi;
Vérum oppressit. *Pa.* Deós sperabo téque postremó; tamen
'Etsi istuc mi acérbum est, quia hero té carendum est óptumo.
Sáltem id volupe est, quum éx virtute formae id evenít tibi
Méa opera super hác vicina, quam égo nunc concilió tibi.
Py. Quíd opus verbis? líbertatem tíbi ego et divitiás dabo,
Si ímpetras. *Pa.* Reddam ímpetratum. *Py.* At géstio. *Pa.* At modicé decet
Móderare animo, né sis cupidus. Séd eccam ipsam; egreditúr foras.

---

cum illa confecerit, nunciat. Magni sibi constitisse ait negotium; nam non sine multo labore ab illa impetrasse, ut abiret. Ipsum etiam Palaestrionem servum ei dono dedisse; quam rem ingratam sibi accidere, simulat Palaestrio. V. 2. *Quidnam tam intus fuisse te dicam diu*, atque ita Codd. Pall. nisi quod *te* omittunt. *Te* si necessarium est, quod negari nequit, propter rationem grammaticam priori loco ponendum est, *tam* posteriori. *Lenta materies* dicitur quae tarde et non sine difficultate expeditur, quae extrahitur colloquendo. Vulgo *ut lenta*, sed metrum reclamat. De formula *quid iam* vide quae supra notavimus ad Mil. II, 3, 51. et II, 5, 62. — *Itidem te ego liberabo.* Pariter te manumittendum curabo; dono te alii dedi, sed pariter efficiam, ut manumittaris. *Itidem* ad Cod. Dec. in quo *et idem* scriptum est, cum Bothio dedi. Ceterum cf. Kampmann. Annot. ad Plauti Rud. pag. 33, qui *Idem ego te* vulgatam lectionem admisso in v. *Idem* hiatu defendit. *Si possem — operam dedi.* *Si* h. l. non simpliciter pro *an* ponitur (de qua signif. vide supra ad Milit. III, 1, 18.) sed est ellipticum dicendi genus. Plena esset oratio: *operam dedi, si — possem, ut id efficerem.* Sed quum facile sponte intelligatur illud *ut id efficerem*, omissum est. Vulgo legitur ex Cam. edit: *si posset ullo modo Impetrari.* Sed Pareus, qui dedit: — *possem — impetrare*, se ex Cod. V. Cam. locum restituisse ait. Locum ita iam correxit Acidalius Divv. in Plaut. pag. 308. *Oppressit*, vicit me denique, pervicit, ut te secum abducere possit. *Teque postremo.* Ita recte haec coniungi existimo. Sententia est: etsi spes mea me fallat, quam in Diis habeo repositam, tu certe mihi superes. *Tamen Etsi* unam vocem efficiunt, versu diremtam. *Formae id* scripsi pro vulgato *formae*, non ex fuga hiatus, sed sententiae causa, cui deest subiectum. *Super hac vicina.* Vulgo *super hanc.* Sed vett. editt. pariter atque Festus, qui hunc versum citat pag. 214. ed. m. sub v. *superescit*, ablativum defendunt. De notione praep. *super* in

ACTVS IV. SCENA VI.

Acroteleutium, Milphidippa, Pyrgopolinices, Palaestrio.

Mi. Hera, éccum praesto mílitem! *Ac.* Ubi ést? *Mi.* Ad laevam. *Ac.* Vídeo.
Mi. Aspícito limis, ne ílle nos se séntiat vidére.
Ac. Video édepol; nunc nos témpus est malás peiores fíeri.
Mi. Tuum ést principium. *Ac.* Obsecro, tute ípsum convenísti?
Ne párce voci, ut aúdiat. *Mi.* Cum ipsó pol sum secúta
Placide ípsa, dum libitum est mi, ótio, meo árbitratu, ut vólui.
Py. Audín', quae loquitur? *Pa.* Aúdio. Quam laéta est, quia te ádiit!
Ac. O, fórtunata múlier es. *Py.* Ut amári videor! *Pa.* Dígnus.

---

eiusmodi formulis cf. idem Festus l. c. *Modice moderare animo* dicitur ut *cursim currere*, *madere madide*, *propere properare* et similia multa apud Plautum.

Act. IV. Sc. VI. Iam Acroteleutium ipsa ad militem accedit, ut illum ad se invitet; miles condicit. *Video.* Ita Codd. Pall. et Cam. ed. Vulgo *videto*, idque Milphidippae continuatur. *Limis.* Vulgo *limis oculis*, sed contra metrum. Solemnis est in hac locutione voc. *oculorum* omissio. Cf. Parei lexicon s. v. *Limus.* Tum vulgo et in Codd. *se videre sentiat*, quod adversus metrum peccat. — *Sum secuta*, antiquum vocabulum, pro *sum locuta*, quod fuere, qui h. l. substituerent. *Seco* et *sequor* pro *loquor* antiquos in usu habuisse, testimonio est vox *sequester*, quae proprie significat *interlocutorem*, *interpretem*, tum *tutorem*. Inde etiam est *inseco*, ἐννέπω, quod e Liviu Andronico servavit Gellius XVIII, 9.: *Virum mihi, Camena, insece versutum.* Est autem *seco* et *sequor* cognatum Germanicae radici *sagen*, *seggen*, unde etiam *saga*, coniectrix, *praesagus*, alia. V. 6. Vulgo sic legitur hic versus: *Placide ipsa, dum libitum est mihi, otiose meo arbitratu, ut volui.* Veteres editt. *ut libitum.* Sed Codd. Pall. *dum libitum* praestant, a quo non est discedendum. Quare aut *ipsa* omittendum est, quod salva sententia fieri potest fecitque Bothius, aut *ipsa dum* pro tribracho habenda sunt. Similia modo in Persa II, 4, 24. *Tu me defigas, te cruci ipsum propediem, affigent alii*, aut *ipsum* eiiciendum, aut corripiendum est. Ceterum *ipse* pron. priorem saepe corripit. Cas. II, 8, 56. *Molliculos escos, ut ipsa mollicula est. Licet.* Similiter Bacch. III, 3, 74. *Ut ipsus in gremio osculantem mulierem teneat sedens.* Tum pro vulgato *otiose* recte scripsisse videtur Bothius *otio*, veluti est supra Mil. III, 2, 29. *otio excruciabere.* Adde Epid. V, 1, 21. qui locus ita scribendus est:

Di immortales otio isse admiror. Pedibus pulmon' es,
Qui perhibetur? Prius venisset, quom tu advenisti mihi.

Simili emendatione indiget locus Mostell. IV, 3, 128. *Quid nunc? Quin tu is intro atque otio perspectas, ut lubet;* ubi male vulgo legitur *otiose*. *Quia te adiit; te* non eliditur. *O, fortunata mulier es.* Fortunatam Milphidippam praedicat hera, quod militem

Ac. Permírum ecastor praédicas, te adísse atque exorásse;
Per epístolam aut per núncium, quasi régem, adiri eum áiunt.
Mi. Namque édepol cópia víx fuit adeúndi atque impetrándi.
Pa. Ut tu ínclutus apud múlieres! *Py.* Patiár, quando ita Venús volt.
Ac. Venerí pol habeo grátiam, eandémque et oro et quaéso,
Ut éius mihi sit cópia, quem amó quemque expetésso,
Benígnusque erga me út siet; quod cúpiam, ne gravétur.
Mi. Spero, íta futurum. Quámquam illum multaé sibi expetéssunt,
Ille íllas spernit ségregatque ab se ómnis extra te únam.
Ac. Ergo íste metus me mácerat, quod ílle fastidiósust;
Oculi éius ne senténtiam mutént, ubi viderít me,
Atque éius elegántia meam extémplo speciem spérnat.
Mi. Non fáciet; habe animúm bonum. *Py.* Ut ípsa se contémnit!
Ac. Metuó, ne praedicátio tua núnc meam formam exsúperet,
Mi. Istúc curavi, ut ópinione illíus pulcriór sis.
Ac. Si pól me nolet dúcere uxórem, genua ampléctar
Atque óbsecrabo aliquó modo. Si nón quibo impetráre;
Conscíscam letum. Vívere sine illó scio me non pósse.
Py. Prohibéndam mortem múlieri videó. Adibone? *Pa.* Mínume:
Nam tú te vilem féceris, si te últro largiére.
Sine últro veniat, quaéritet, desíderet, exspéctet.
Si nón perire istam glóriam vis, quám habes, cave, sis, fáxis.
Nam núlli mortalí scio obtigísse hoc, nisi duóbus,

---

adire ei licuerit. Vulgo: *O fortunata mulier.* Sed Cod. Dec. teste Bothio *mulieres.* Nisi forte legendum: *O fortunatam mulierem.*

V. 11. *Namque.* Non est, quod mireris; non tam facilis fuit aditus. Namque vix cet. Cf. quae supra notavimus ad Milit. II, 5, 19. — V. 13. *Gratiam* ultimam non elidit, asynartetorum licentia. Sic infra *copia* v. seq., *bonum* v. 21. Et saepissime alibi. Cf. Hermann. Elem. doctr. metr. p. 149. — V. 18. *Ergo*, h. e. revera, certo. Cf. notata supra ad Milit. I, 1, 63. — V. 19. Vulgo: *Ne oculi eius;* ordinem mutavi cum Bothio. — V. 24. *Duceré* ultima indifferente, ex asynartetorum licentia, ut paullo post v. 26. *viveré.* Cf. Herm. l. c. — V. 27. *Video. Adibone?* Ultima in *video* ob maiorem distinctionem non liquescit, et *adibone* duas posteriores breves habet. — V. 29. Vulgatum: *desideret, exspectet* recte se habet, ultima in *desideret* producta. Cf. Kampmann. in Annott. ad Plauti Rud. p. 9. *Exspectet* h. e. ad militis arbitrium se componat, sua tempora ex illius voluntate disponat. Bothius sine caussa dedit *expetessat.* — V. 30. Vulgo: *Summopere istam vis gloriam, quam habes?* Cod. V. Cam. *Summopere i. v. gl.* Cod. Dec. *Si non perdere i. v. gl.* Legendum videtur: *Si non perire istam gloriam vis, quam habes.* Vt saepe, *istam* corripiendum et in verbis: *Quám habes,* non eliditur *quam*, sed brevem syllabam praestat. *Tam misere ut amarentur.* Sic vulgo, metro turbato. Non enim potest hac in sede versus hiatus locum habere. Cod. V. Cam. *tam vivere ut amaret.* Dec. *tam munete ut amaret.* Non inusitata sunt *misere amare, cupere, desiderare* apud Plautum et alios. Sed versus ratio postulat aliud. Legendum fortasse: *tam per-*

Tibi ét Phaoni Lésbio, tam mísere ut amaréntur.
Ac. Eho, íntro abi tu, illum évoca forás, mea Milphidíppa!
Mi. Imo ópperiamur, dum éxeat aliquís. *Ac.* Durare néqueo,
Quin eam íntro. *Mi.* Oclusae súnt fores. *Ac.* Effríngam. *Mi.* Sana nón es.
Ac. Si amávit unquam aut sí parem hic sapiéntiam habet ac fórmam;
Per amórem si quid fécero cleménti id animo ignóscet.
Pa. Ut, quaéso, amore pérdita est haec mísera! *Py.* Mutuúm fit.
Pa. Tace, ne aúdiat. *Mi.* Quid ádstitisti obstúpida? Cur non púltas?
Ac. Quia nón est intus, quem égo volo. *Pa.* Qui scís? *Ac.* Scio edepol fácile;
Nam odóre nasum séntiat, si intús sit. *Py.* Hariolátur.
Quia mé amat, proptereá Venus fecít eam, ut divináret.
Ac. Nescío, ubi hic prope adest, quem éxpeto vidére; olet profecto.
Py. Nasó pol iam haec quidém videt plus, quam óculis. *Pa.* Coeca amóre est.
Ac. Tene me, óbsecro! *Mi.* Cur? *Ac.* Né cadam. *Mi.* Quid itá? *Ac.* Quia stare néqueo;
Ita ánimus per oculós meos defít. *Mi.* Pol militém tu
Adspéxisti. *Ac.* Ita. *Mi.* Nón vídeo, ubi est? *Ac.* Vidéres pol, si amáres.
Mi. Non édepol tu illum mágis amas, quam egomét, si per te líceat.
Pa. Omnés profecto múlieres te amánt, ut quaeque adspéxit.
Py. Nescío, tu ex me hoc audíveris, an nón; nepos sum Véneris.

---

dite ut amarentur. — V. 33. Vulgo: *Eo intro. abi tu: illum evocato foras.* V. C. Cam. *Eo intro an tu illuc evocatus foras.* Dec. *evocatum.* Emendavit Acidalius, quod dedimus. Bothius, ex parte Acidalium secutus, dedit: *Eho, intro abidum, illunc evoca foras.* Alii *evocatum* tuiti sunt, ut esset supinum, quo admisso *foras* pro monosyllabo est. Sed displicet caesurae neglectio. — V. 37. Vulgo atque in Codd. Pall. *clementi animo ignoscet.* Tollendus erat hiatus, quem vett. editt. sustulerunt *mihi* ante v. *ignoscet* interponentes. Bothius scripsit: *clementi ignoscet animo.* — V. 39. *Adstitisti* sine causa mutavit Both. in *abstitisti;* sed nondum plane ad ianuam accesserat, et ante eam substitit. *Adstare* enim significat *stehen bleiben. Facile.* Vulgo: *Scio, edepol scio*; atque ita C. V. Cam. sed Dec.: *scio edepol facio*, unde recte Bothium putamus coniecisse, quod exhibuimus. *Nasum* neutro etiam genere proferri, auctor est Nonius p. 215. Adde Plaut. Curc. I, 2, 18. Amphitr. I, 1, 288. (293. ed. m.) *Hariolatur*, hariolarum in modum divinat. V. 45. Vulgo: *quia adstāre Nequeo*, ultima voce ad vers. seq. translata. Camerar. edidit: *quia hic astare Nequeo.* Sed *hic* abest a Codd. Pall. et Cod. Dec. exhibet *stare*, quod verum est. — V. 46. *Animus per oculos meos defit.* Per oculos tantus ardor intravit animum, ut is deficiat. Similiter infra v. 56. *linguam oculi praeciderunt.* — V. 50. *Nescio, tu ex me hoc* cet.

Ac. Mea Mílphidippa, adi, óbsecro, et congrédere! *Py.* Ut me verétur!
Pa. Illa ád nos pergit. *Mi.* Vós volo. *Py.* Et nós te. *Mi.* Ut iussísti,
Herám meam eduxí foras. *Py.* Videó. *Mi.* Iube ergo adíre.
Py. Indúxi in animum, ne óderim, item ut álias; quando orásti.
Mi. Verbum hércle facere nón potis, si accésserit prope ád te;
Dum te óbtuetur, ínterim linguam óculi praecidérunt.
Py. Levándum morbum múlieri video. *Mi.* 'Ut tremit atque extímuit,
Postquám te adspexít? *Py.* Viri quoque armáti idem istuc fáciunt;
Ne tú mirere múlierem plus. Séd quid volt me fácere?
Mi. Ad se út eas; tecum vívere volt átque aetatem exígere.
Py. Egon' ád illam eam, quae núpta sit? Vir éius est metuéndus.
Mi. Quin tuá causa exegít virum a se. *Py.* Quíd? Qui id facere pótuit?
Mi. Quia aedés dotales húius sunt. *Py.* Itane? *Mi.* 'Ita pol. *Py.* Dic domum íre;
Iam ego ílli ero. *Mi.* Vide, né sies in exspectatióne,
Ne illam ánimi excrucies. *Py.* Nón ero proféto. Abite. *Mi.* Abímus.
Py. Sed quíd ego video? *Pa.* Quíd vides? *Py.* Nescío quis, eccum, incédit,
Ornátu quidem thalássico. *Pa.* Iam nós volt hic proféto;
Nauclérus hic quidem est. *Py.* Vídelicet arcéssit hanc. *Pa.* Ita crédo.

Ita emendavit Hermannus Elem. doctr. metr. p. 153 seq. e Codd. Vulgo: *Nescio, tun' ex me hoc audieris*, quae vitiosa sunt propter anapaestum in quarto pede. Cf. Herm. l. c. Codd. Pall. exhibent: *Nescio tu me ex hoc audieris.* — V. 54. *Induxi in animum.* Sic Cod. Dec. teste Bothio. Vulgo abest *in*, versu hiatum admittente iniquo loco. *Oderim* ultimam non elidit, ut supra v. 13 et 21. — *Mulieri video. Mi. Ut tremit* cet. Ita emendavit Hermann. Elem. doctr. metr. p. 155. Vulgo: *m. video. Mi. Viden' ut tr.* metro et in hoc et in proximo versu vitiato. Sequente in versu *te* non liquescit. V. 59. *Sed quid volt me facere.* Ita ed. Cam. Vnde Pareus cum vulgata sumserit *quid vult med agere*, quod non monito lectore dedit, nescio. Hoc scio *me agere* hiatum habere non tolerabilem. *Ad se ut eas.* Vult, ut ad se eas. Ita scribendum. Sciopp. suspectt lectt. IV, 15. proposuerat: *ad sed eas*, addito *d* paragogico. Sed Cod. Dec. diserte *ut* exhibet, quod necessarium est. *Vivere* ultima in caesura ἀδιάφορος. *Quia aedes dotales* cet. Sic emendavit Hermann. Elem. doctr. metr. p. 156. quem vide. Vulgo: *iube eam domum ire.* Sed Cod. V. Cam. *Iubam domum ire.* Cod. Dec. *Iuuam d. ire.* Cod. Sur. sive Lips. *Dicam domum ire.* Versu sequenti *illim* legitur in V. C. Cam., *illi* in Dec., vulgo *illic.* *Ne sies in exspectatione*; ne te exspectari patiaris. Sic in *mora esse* dicuntur, qui moram alicui obiiciunt. Sic *in quaestione esse* Pseud. II, 2, 68. Pers. I, 1, 52. Cist. II, 3, 49. Captiv. II, 2, 3. ubi tamen ex Codd. restitutum

ACTVS IV. SCENA VII.

Pleusides, Palaestrio, Pyrgopolinices.

Pl. Alium álio pacto própter amorem ní sciam
Fecísse multa néquiter; vereár magis
Me amóris caussa hóc ornatu incédere.
Verúm quom multos múlta admisse accéperim
Inhonésta propter amórem atque aliena á bonis;
Mittó iam, ut occidi Achílles civis pássus est: —
Sed eccúm Palaestriónem, stat cum mílite;
Orátio alio míhi demutanda ést mea. —
Múlier profecto náta est ex ipsá mora,
Nam quaévis alia, quaé mora est aequé mora,
Minor éa videtur quám quae propter múlierem est.
Hoc ádeo fieri crédo consuetúdine.
Nunc ego hánc arcesso Phílocomasium. Séd fores

---

est: *ne quaestioni essemus.* Similiter h. l. Codd. Pall. *ne sis exspectationi*, quod falsum tamen esse, vel versus arguit. — V. 69. Vulgo *Videlicet arcessit hanc hinc. PA. Credo.* Sed Codd. Pall. exhibent: *Videlicet arcessit hac itam hic credo.* Emendavit Both. *Videlicet* tertiam a fine corripit, ut saepe imperativus *vide.*

Act. IV. Sc. VII. Pleusides nunc de composito, nautae habitu indutus, accedit, ut Philocomasium abducat, tanquam a matre iussus eam in navem arcessere. *Alium alio pacto;* alium hoc, alium illo modo. Notissima formula. Vulgatae consentiunt Codd. Pall. nisi quod V. C. Cam. *nesciam* et Dec. *nescium.* Male Weisius nuper ex aliquot vett. editt. revocavit *Si alium — nesciam*, falso referens, V. C. ita exhibere. *Si — nesciam et nisi sciam* licet h. quidem l. non admodum differant, tamen Latino usui repugnat prius illud, quapropter recte emendarunt viri docti locum Rud. III, 4, 26., ubi vulgo legitur: *si ne ei caput exoculassitis*, pro qua lectione restitutum est: *ni ei caput exoculassitis.* Ceterum de differentia formularum *nisi* et *si non* cf. Zumpt. Lat. Gr. §. 343. Schmalfeld Lat. Syn. §. 575. Paullo post v. 3. Bothius cum aliquot vett. edd. scripsit *cum hoc ornatu.* Cam. et Pareus dederunt *isthoc ornatu.* Sed hiatus genus frequens. Cf. Lingius de hiatu in vv. Plaut. pag. 6 seqq. *Mitto iam — passus est: —* Oratio subito Palaestrionis et militis aspectu interrupta. Hoc enim dicere vult: Nisi scirem, multos iam propter amorem multa fecisse nequiter, vererer, ita ornatus incedere. Sed quum multos sciam propter amorem admisisse turpia (mitto enim Achillem, sunt alia multa exempla, non ita temporibus remota); non est, quod tantopere dubitem, sic mutata specie alios fallere. *Nam quaevis alia* cet. Si qua mora mulieris causa fit, ea maior creditur, quam quae, licet non sit minor, viri aut alius cuiusdam rei gratia affertur. Vulgo in his falso distinguunt: *quae mora est aeque*; soloece; *aeque* enim ad sequens *mora* referendum necessario: *quae mora est aeque mora,* non minor mora. *Consuetudine.* Diuturna consuetudo efficit, ut moram, quam afferunt mulieres, vulgo opinemur esse longiorem. *Nunc ego hanc.* Ita scripsi sententia postulante, ut videtur. Vulgo: *Nam ego hanc.* Quid enim hoc caussae est, quod Philocomasium arcessit, cur

Pultábo. Heus, ecquis híc est? *Pu.* Adulescéns, quid est?
Quid tu aís? Quid pultas? *Pl.* Phílocomasium quaérito;
A mátre illius vénio. Si itura ést, eat.
Omnés moratur; návim cupimus sólvere.
Py. Iamdúdum res paráta est. Heus, Palaéstrio,
Aurum, órnamenta, véstem, pretiosa ómnia,
Duc ádiutores técum ad navim quí ferant.
Omnía composita súnt, quae donavi, út ferat.
Pa. Eó. *Pl.* Quaeso, hercle, própera. *Py.* Non morábitur.
Quid ístuc, quaeso? Quíd oculo factum ést tuo?
Pl. Habeo équidem hercle oculum. *Py.* At laévum dico.
Pl. 'Eloquar.
Marís caussa hercle ego ístoc oculo utór minus.
Nam sí a mare abstinuíssem, tamquam hoc úterer.
Sed nímis morantur mé diu. *Py.* Eccos, éxeunt.

ACTVS IV. SCENA VIII.

Palaestrio, Philocomasium, Pleusides, Pyrgopolinices.

Pa. Quíd modi flendó, quaeso, hodie fácies? *Ph.* Quid ego ní fleam?
'Ubi pulcherrume égi aetatem, inde ábeo. *Pa.* Viden' hominém, tibi
Qui á matre et soróre venit? *Ph.* Vídeo. *Py.* Audin', Palaéstrio?
Pa. Quíd vis? *Py.* Quin tu intús iubes efferri ómnia, isti quaé dedi?

---

illud consuetudine fieri credat? — V. 19. Vulgo *pretiosum omne ut ferat*, quibus consentiunt Codd. Pall. nisi quod V. C. *pretiose.* Sed apparet, v. *ferat* male ex v. seq. huc esse translatum. Emendavit Bothius. *Omnia composita sunt*; ordine posita et parata ad auferendum. Sic Terent. Hecyr. IV, 3, 5. *I ergo intro et compone, quae tecum simul ferantur.* — *Quid oculo factum est tuo.* Quo enim minus agnosceretur Pleusides, unum oculum obligaverat. — V. 25. Vulgo *istoc ego oculo*, sed insuavi numero. *Nam si a mare abstinuissem.* locus lepidissimus, de quo vide Muret. Varr. Lectt. III, 17 „Quum enim dicere videatur duabus vocibus: *si a m a r e abstinuissem*; non id dicit, sed *si a m a r e abstinuissem*; revera enim amor in caussa fuerat, ut eo oculo minus uteretur.“ Haec Muretus. Ceterum recte Bothius docuit, scribendum esse *a mare abst.*, quum vulgo inverso ordine *abstinuissem amare.* Nam si recitasset actor, posita *ma* syllaba eo versus loco, ubi productam postulat metrum, periisset ambiguitas. Sed prima in *amare*, quamquam brevis, obscuratur a colliquescente syllaba antecedente *si*, unde ambiguitas augetur. *Mare* ablativus pro *mari* non inusitatus. Cf. Parei lexicon s. h. v. et Charisius pag. 79. ed. m. (III. P.)

Act. IV. Sc. VIII. Iam Philocomasium lacrimans, ut simulat, valere dicit Militi, cum Pleuside et Palaestrione abitura. V. 4. *Iubes efferri. Iubes* duarum brevium. *Intus* etiam motum de

Pl. Phílocomasium, sálve. *Ph.* Et tu sálve. *Pl.* Materque ét soror.
Tíbi salutem mé iusserunt dícere. *Ph.* Salvaé sient.
Pl. 'Orant te, ut eas, véntus operam dúm dat, ut velum éxplicent.
Nám matri oculi sí valerent, mécum venissét simul.
Ph. 'Ibo, quamquam invíta; faciam quaé iussis. *Pl.* Sane sapis.
Py. Sí non mecum aetátem egisset, hódie stulta víveret.
Ph. 'Istuc crucior, á viro me táli abalienárier.
Nám tu quamvis pótis es facere út fluat facétiis,
'Et quia tecum erám, propterea ánimo eram ferócior;
Eám nobilitatem ámittundam vídeo. *Py.* Ne fle. *Ph.* Non queo,
Quóm te video. *Pa.* Hábe bonum animum. Scío ego, quid doleát mihi.

---

loco significare, saepius iam notavimus. *Ventus operam dare* dicitur, cum secundus afflat; formula aliquoties apud Plautum obvia. Contrarium est: *ventus navim deseruit* Mostell. III, 2, 50. V. 9. *Faciam quae iussis.* Vulgo: *Ibo*; *quanquam invita facio omnia*; *pietas sic cohibet.* Pl. *Sapis.* Sed C. V. Cam. *Ibo quanquam invitam facio omi pietas scio.* Pl *chan sapis.* C. Dec. *Ibo quanquam invita facio omi pietas sit. cochant. Sapis.* Ex quibus Pareus dedit: *Ibo*; *quanquam invita facio omnia. Pietas sit.* Pl. *Eho! sane sapis* Camerario debetur vulgata. Mira commentus est Bothius. Nisi egregie fallor, scriptum fuit in vetustissimo libro, ex quo nostri descripti sunt: *ibo quanquam invita faciam que iussis. pl. sane sapis*, ex quibus librarii fecerunt: *i. q. inv. faciomipietassitcohant (chan) sapis.* Ergo sic restituo: *Ibo, quanquam invita*; *faciam quae iussis.* Pl. *Sane sapis.* Nam ex male intellectis *faciamque* fecerunt *facio omi pie*, et *iussis* dictum est antique pro *iusseris.* Exempla huius formae e Plauto excitata, incerta sunt. Certa sunt Virg. Aen. XI, 467. Silius Ital. XII, 175. *Hodie stulta viveret.* Consuetudo, qua mecum aliquantisper vixit, effecit, ut tantopere sapere videatur. V. 12. *Facere* ultimam non elidit in caesura versus asynarteti. V. 13. *Propterea* itidem hiante ultima propter eandem causam. V. 14. Vulgo legitur: *Py. Nimium haec flet. Ph. Nequeo*; metro corrupto. Beckerus, V. Cl., in Antiq. Plaut. generatim expl. pag. 26. coni. *nego*, haec addens: *sc. nimium flere, quum te video et in animum induco, qui vir sis.* Addit porro: *Puto verba esse non Philocomasii, sed Palaestrionis, quem par est respondere militi.* Parum considerate omnia. Nam nec alia respondere potest nisi Philocomasium, nec *nego* ullo modo accommodatum esse videtur. Teste Pareo in V. C. Cam. pro *nimium* legitur *mā* in C. Dec. *mnia.* Editio Veneta exhibet: *video omnia. Py. Ne fle. Ph. Non queo*; om. v. *amittendam.* Vndecunque profecta est haec lectio, habet ea stamina verae scripturae. Etenim ut supra v. 9. iidem Codd. exhibent *omi* et *omi*, plane perverse et abs re; sic item hoc loco *mā* illud et *mna*, ex quo alii *nimium* alii *omnia* fecerunt, plane fictum est atque ex falso intellectis litterarum ductibus ortum. Quare scribendum fuit, quod dedi. Formula *ne fle* Plauto non inusitata est. Cf. Captiv. I, 2, 36. Epid. IV, 2, 31. Respondet Philocomasium: non possum mihi temperare, quum te video; non possum lacrimis abstinere, quum video, te relinquendum esse. V. 15. *Scio ego, quid.* Bono animo esse iubet servus Philocomasium; se enim in eandem doloris societatem venire; se eun-

Nám nil miror, sí lubenter, Phílocomasium, híc eras;
Fórma hic huius, móres, virtus, ánimum attinuerúnt tuum.
Quín ego servus, quándo aspicio hunc, lácrumem, quia diiúngimur.
Ph. 'Obsecro, licét complecti, priúsquam proficiscó? *Py.* Licet.
Ph. 'O mi oculi! 'O mi anime! *Pa.* 'Obsecro, tene múlierem,
Ne áffligatur. *Py.* Quíd istuc? *Pa.* Quia, postquam ábs te abit, animó male
Fáctum est huic repénte miserae. *Py.* Accúrrite intro, efférte aquam!
Pa. Níhil aquam morór. *Py.* Cur? *Pa.* Malo —. Ne intervéneris,
Quaéso, dum resipíscit. *Py.* Capita intér se nimis nexa híce habent.
Nón placet. Labra áb labris ferrúminant. *Pl.* Acre ést malum.

---

dem scire, quantopere illud doleat, quod abire necesse sit. Vulgo *et quid*, unde Bothius *ecquid*. Sed Codd. Pall. *inquid*, quod ortum ex pron. *quid*, frequente librariorum errore. *Attinere animum* dicuntur, quae animum alicuius tangunt, movent; sic simpliciter. Alii *attinuerunt* proxime referunt ad *hic*, quod vulgo post *attinuere*, ita enim scribunt, legitur, ut sit sententia *hic te retinuerunt*, sie fesselten dich an diesen Ort. Falso, puto. Cf. supra ad Capt. II, 2, 16. *Quin ego — lacrumem;* vulgo: *quin e. — fleo;* sed Codd. Pall. *lacrum u m;* unde Bothius dedit, quod etiam metrum postulabat. Coniunctivum, (ne quis a coniunctione *quin* pendere putet) posuit, quia non vere lacrimat, sed lacrimas prope esse ait, ich möchte weinen, fast weint' ich selbst. V. 19. *Proficisco.* Ita Codd Pall. Aliud formae activae exemplum excitatur à Nonio p. 470. M. ex Turpilii Hetaera, ubi *proficisceret.* V. 20. Vulgo *O mei oculi.* Sed Codd. Pall. *O mihi oculi*, quod sine dubio ortum ex scriptura: *o mi oculi*, quae revocanda erat. Cf. Cistell. IV, 2, 8. ubi: *mi homines, mi spectatores.* Ex Petronio Sat. 116. affertur: *o mi hospites. Ne affligatur* ad terram. *Quid istuc.* Palaestrio, quum Philocomasium animi defectum simulare videret, Pleusidi dixerat: tene mulierem; quam ille amplexus arcte tenet manibus. Hoc pungit militem. *Malo —. Ne interveneris.* Lacuna unius verbi, quam varii varie explere conati sunt. Quidam v. *merum* interpositam voluerunt, sed, ne aliam caussam ponam, metro adversante. Bothius *malo malum* scripsit, ioco longe arcessito, quo servus significet, Philocomasium gravidam esse a Milite. Conferri iubet interpretes ad Amphitr. II, 2, 91. ubi: *Praegnanti oportet et malum et malum dari.* — V. 25. *Labra ab labellis.* Vulgo *labra labellis ferruminant.* Sed V. C. Cam. *labram ab lavellis fer ad macellum.* C. Dec. *labram ab lavellis fer in aut ace malum.* Verbum *ferruminavit* (sic) princeps iam editio exhibet, pro quo recte vulgata *ferruminant* exhibere videtur, quae excogitata est a Palmerio. Me quidem male habuit v. *labellis.* Quod enim C. H. Weisius ait, labra esse viri, labella feminae, sibi habeat. Ego sic coniicio. Quemadmodum in V. C. Cam. pro *malum* scriptum est *macellum*, sic *lavellis* pro *lavris* scripserunt librarii, scripturae compendium quaerentes, ubi nullum esset. Simili modo aliquoties me legere memini in Codd. *nostram*, ubi *nam* legendum scriptumque fuit, quod pro compendio habentes librarii, *nostram* rescripserunt. Cf. quae notavi ad Pompeium pag. 471. *Ferruminare* est glutinare; proprie autem de ferro,

Téntabam, spiráret, an non. *Py.* Aúrem admotam opórtuit.
Pl. Sí magis vis, hánc omittam. *Py.* Nólo; retine. *Pa.* At fléo miser.
Py. Exite atque ecférte huc intus ómnia, isti quaé dedi.
Pa. 'Et iam nunc salúto te, Lar fámiliaris, priúsquam eo.
Cónservi consérvaeque omnes, béne valete et vívite.
Béne, quaeso, inter vós dicatis ét mihi absentí tamen.
Py. 'Age, Palaestrió, bono animo es! *Pa.* Heú heu, nequeo, quín fleam,
Quam ábs te abeam. *Py.* Aequó fer animo. *Pa.* Scío ego, quid doleát mihi.
Ph. Sed quid hóc? Quae res est? Quíd video? Lux, sálve, *Pl.* Iam resipísti?
Ph. 'Obsecro, quem ampléxa sum hominem? Périi, súmne ego apúd me?
Pl. Né time, voluptás mea!
Py. Quíd istuc est negóti? *Pa.* Animus hánc modo hic relíquerat,
Métuoque et timeó, ne hoc tandem própalam fiát nimis.

---

quod candens coniungitur, dici solet. Igitur *ferruminant labra ab labris* eadem ratione dictum est, ad quam *suspendere ab aliqua re, ex aliqua re; nectere ex aliqua re*; nec mihi dubium est, Romanos dixisse *aurum ex argento ferruminare* et similia. Kampmannus in dissert. de AB praep. usu Plautino scribendum putat: *labéllis lábra ferrúminant*, quod non probo. In verbis *acre est malum* metri caussa addendum fuit *est*. Hoc dicit Pleusides, qui deficientem Philocomasium manibus exceperat, malum, quo illa laborare se fingit, acre esse, i. e. vehementius, quam ut possit sedari parvo temporis spacio. V. 27. Vulgo *Sin magis vis ambos mittam.* Sed Codd. Pall. *si magis vis amo mittam*, pro quibus C. H. Weisius restituit *S. m. v. eam omittam*, qui tamen *Sin* retinuit, quod servandum non erat. Ceterum *hanc omittam* metro convenientius.

V. 29. Nunc iam Palaestrio domum ac familiam militis valere iubet. *Lar familiaris*; vulgo omittitur *Lar*, intelligitur tamen ab interpretibus. Sed primum non constat, *familiaris* sic nude de *Lare familiari* usquam dici; deinde nisi illud addideris, labitur versus. Ergo quo demum cunque modo exciderit vocabulum *Lar*, restituendum est, ipso metro indicante, ubi exciderit. Addidit iam Bothius. *Et mihi absenti tamen.* De singulari particulae *tamen* usu, exposuit Dousa Plaut. expll. III, 13. Is *absenti tamen* explicat *quamvis absenti.* Sed cf. quae supra notavimus ad Captiv. II, 3, 33.

V. 35. Philocomasium ex animi deliquio resipiscere se simulat. Quod quum non sine quadam animi affectione et admiratione fieri possit, mutari numerum par erat. Sequitur ergo a verbis: *Sed quid hoc* iambicus septenarius sive tetrameter catalecticus, quem, quoniam in trochaeum exit, ex lege numerorum continuationis trochaicus versus excipit. Finit clausula *Ne time voluptas mea*, cuius exempla Hermannus Elem. doctr. metr. p. 172 seqq. enotavit duo; alterum ex Amphitr. V, 1, 20. *Séd quid hoc, quis hic ést senex*; alterum e Terent. Adelph. II, 1, 4. *'Ego istam invitis ómnibus* — *Est* post v. *res* ex Camerarii editione interposui. Vocabulum *voluptas* secundam a fine, ut solet, corripit.

Py. Quíd id est? *Pa.* Nos secúndum ferri núnc per urbem haec ómnia,
Né quis hoc tibi vítio vortat. *Py.* Méa, non illorúm, dedi.
Párvi ego illos fácio. Agite, ite cúm dis benevoléntibus.
Pa. Túa ego hoc caussa díco. *Py.* Credo. *Pa.* Iám vale. *Py.* Et tu béne vale.
Pa. 'Ite cito. Iam ego ássequar vos; cúm hero pauca etiám loquar.
Quámquam alios fidéliores sémper habuistí tibi,
Quám me; tamen tibi hábeo magnam grátiam rerum ómnium;
'Et, si ita senténtia esset, tíbi servire mávelim
Múlto, quam alií libertus ésse. *Py.* Habe animúm bonum.
Pa. Heú mihi, quum vénit in mentem, ut móres mutandí sient!
Múliebres morés discendi, oblíviscendi stratiótici.
Py. Fác, sis, frugi. *Pa.* Iám non possum; amísi omnem lubídinem.
Py. 'I, sequere illos, né morere! *Pa.* Béne vale. *Py.* Et tu béne vale.
Pa. Quaéso, ut meminerís; si forte líber fieri occéperim,
Míttam nuncium ád te; ne me déseras. *Py.* Non ést meum.
Pa. Cógitato itémdidem, tibi quám fidelis fúverim.

V. 39. Pleusides Philocomasium suam blando cognomento *voluptatem suam* dixerat. Quod, ut par erat, admiratus miles, *quid sit negoti* quaesierat. Cui servus, ut militem ab hac cogitatione avocet, aliud respondet, quam quod interrogarat, ita tamen, ut et ille non sentiat, se alio deduci, et amantes moneantur, ne incauti amorem prodant. Verba enim: *metuoque — nimis* proprie ad duos illos amantes spectant, quos monitos volebat servus. Quae eadem verba quum miles quoque intellexisset, quaerit, quidnam sibi velit. Respondet Palaestrio: timeo, ne quis tibi vitio vertat, quum viderit, res illas omnes, quas tu Philocomasio dono dedisti, a servis sectatoribus secundum nos in navem deferri Homines enim prodigum, profusum et nimis largitorem te existimabunt. Sic hominem eludit Palaestrio. *Ferri* recte et opportune praestant Pall. Codd. Vulgo *ferre*. *Non illorum*, quos ut dixisti ita existimaturos. Non opus est, quod Bothius ex arbitrio scripsit, *aliorum* et mox *alios*.

V. 43. Reliquis digressis solus cum milite restat in Scena Palaestrio et de fide sua ac fidelitate erga militem gloriatur invitumque se abire testatur; quae omnia mirifice valent ad risum commovendum. *Tamen* unius syllabae. *Si ita sententia esset*. Bothius soloecismum odoratus, *sententia siet* scribi iussit, propter v. *mavelim*, quod sequitur. Sed errat ille. Nam si ita dixisset poeta: *malo tibi servire quam aliorum libertus esse; modo tua sententia ita ferret ut tecum manerem*; sine dubio non offendisset Bothius. Saepe Latini scriptores *velim*, *nolim*, *malim* coniunctivos nulla condicionis significatione ponunt, sed cum modestiae alicuius, qua quid optent, notatione, pro indicativis *volo*, *nolo*, *malo*. In v. *obliviscendi* syllabae *ivi* pronuntiatione in unam coeunt. — V. 50. *Amisi omnem libidinem.* Loci ambiguitas patebit, si, ut hunc ad locum monuerunt interpretes, meminerimus, *Venerem Frugi* Romanos coluisse. *Ne me deseras.* Cum mei iuris et mei peculii factus fuero, me indigentem auxilio tuo iuves.

Si íd facies; tum démum scibis, tíbi qui bonus sit, quí malus.
Py. Scío et perspexi saépe; verum quom ántehac, tum hodie máxume.
Pa. Scís? Imo hodie vérum factum, fáxo, post dicés magis.
Py. Víx reprimor, quin té manere iúbeam. *Pa.* Istuc cave féceris!
Dícent te mendácem nec verum ésse, fide nulla ésse te;
Dícant, servorúm praeter me ésse fidelem néminem.
Nám si honeste cénseam te fácere posse; suádeam.
Vérum non potést; cave faxis. *Py.* 'Abi; iam patiar, quícquid est.
Pa. Béne vale igitur. *Py.* 'Ire meliust strénue. *Pa.* Etiam núnc vale.
Py. 'Ante hoc factum hunc sum árbitratus sémper servum péssumum;
Eúm fidelem mi ésse invenio. Quom égomet mecum cógito,
Stúlte feci, qui húnc amisi. 'Ibo hinc intro núnc ïam
'Ad amores meós; et, sensi, hinc sónitum fecerúnt fores.

ACTVS IV. SCENA IX.

Puer, Pyrgopolinices.

Pu. Ne mé moneatis; mémini ego officiúm meum
Ego nám conveniam íllum. Ubiubi est géntium,
Invéstigabo; óperae non parcám meae.
Py. Me quaérit illic; íbo puero huic óbviam.
Pu. Ehém, te quaero. Sálve, vir lepidíssume,
Cumuláte commoditáte, praeter céteros
Duo dí quem curant. *Py.* Quí duo? *Pu.* Mars ét Venus.

Fuverim metri caussa scribendum erat pro vulgato *fuerim*. V. 57. *Faxo.* Cf. notata ad Captiv. prol. 65. *Scis? imo hodie.* Vulgo et in Codd. Pall. *Scies; imo hodie.* Sed quid hoc est: *Scies, imo postea — dices?* Hoc potius dicit: Scis tu quidem; at postea dices magis, verum esse, quod nunc scire tibi videris. — V. 63. *Etiam nunc vale* est *nunc iterum vale.* *Etiam* enim plane est Graecorum ἔτι, prima quidem notione. Unde quoque illa repetitionis vis in tritissima ista formula *etiam atque etiam*, quod est: *iterum atque iterum.* — V. 66. *Amisi*; cf. notata supra ad Captiv. argum. v. 9.

Act. IV. Sc. IX. Servus puer Periplectomenis emittitur, ut militem invitet et domum introducat, quasi ab Acroteleutio moechum arcessere iussus. Verba: *ne me moneatis* intro loquitur ad eos, qui exeunti, quid dicat, praecipiunt. V. 2. Vulgo *Ego iam.* Sed Codd. Pall. *Ego nam*, quibus assentiuntur edit. vett. ante Camerar. Deinde *illum* iidem libri pro vulgato *illunc.* Ultima non eliditur, ut in v. seq. *Investigabo* ultimam non elidit. *Parcam* Cam. recte dedit. Codd. Pall. et editt. ut vulgo *parco.* *Cumulate commoditate*; in quo omnia sunt commoda, in quo omnia placent. Possit tamen etiam intelligi, cui omnia commode et ex sententia procedunt. Sic supra IV, 3, fin. *Satin' ut com-*

Py. Facétum puerum! *Pu.* 'Intro te, ut eas, óbsecrat;
Te vólt, te quaerit, téque exspectans déperit.
Amánti fer opem. Quíd stas, quin intro ís? *Py.* Eo. —
Pu. Ipsús sese illic iám ímpedivit ín plagas.
Parátae insidiae súnt; in statu stát senex,
Ut ádoriatur moéchum, qui forma ést ferox,
Qui omnís se amare crédit quemque aspéxerit,
Quem omnés oderunt quá viri, qua múlieres.
Nunc ín tumultum ibo; íntus clamorem aúdio.

A C T V S V.

Periplectomenes, Pyrgopolinices, Cario, Sceledrus.

Pe. Dúcite istum. Sí non sequitur, rápite sublimém foras.
Fácite, inter terram átque coelum út siet; discíndite.
Py. 'Obsecro hercle, Périplectomene, té! *Pe.* Nequicquam hercle óbsecras.
Víde, ut istic tibi sít acutus, Cário, cultér probe.
Cu. Quín iamdudum géstit, moecho hóc abdomen ádimere;

---

moditas usquequaque me adiurat. — *Ipsus sese illic* cet. Haec et reliqua huius scenae secum solus loquitur puer, milite intus digresso. *In statu stat senex.* Alludit ad modum, quo gladiatores se componebant et colligebant in arma, sui defendendi, alterius petendi caussa; quam ex arte posituram solemni vocabulo *statum* appellabant. Cf. Lipsius Saturn. II, 20. — *Ut adoriatur moechum* cet. Exsignavit hunc versum Nonius p. 305, recte monens *ferox sum illa re* eodem modo dici, ut *fretus sum illa re*, et fere idem significare quod *arrogans*. *Forma ferocem* etiam Titinnius dixit, cf. Nonium l. c. ubi etiam *fortunis ferox* laudatur ex Accio. *Quemque*; quemcunque, ut saepe monuimus. Vulgo *quaeque*, sed *quemque* praestat Cod. Dec. Neque de solis mulieribus loquitur puer, ut ex seqq. patet. Quod sequitur: *Quem omnes* coniectura dedi certissima. Vulgo: *Mulieres*; *eum*, quod per se intolerabile, quia et non opus est, et in eodem versu iteratur. Ut breviter defungar, *Mulieres* interpretamentum ad v. *omnes*, quod ab hac importuna glossa extrusum est. Quo admisso, necessarium erat, ut, accedente in superiore versu falsa lectione *quaeque*, *eum* ponerent librarii pro *quem*, quod necessarium est. Magis tamen probabile est, initium versus antecedentis: *Qui omnis*, huic offecisse, ita ut extrusis his: *Quem omnes*, aliud quidvis videretur posse substitui. Ceterum in C. Dec. est: *Mulieres cum oderunt*, in V. C. Cam. *Mulierem oderunt*. Vulgo *odere*.

Act. V. Iam poenas dat miles stultitiae, superbiae et improbitatis suae. Nam allectus domum Periplectomenis, quasi in adulterio deprehensus, crudeliter tractatur et misere verberatur. *Inter terram atque coelum ut siet.* Vulgo: *inter t. a c. ut medius sit.* Sed *medius* abest ab omnibus scriptis et melioribus editionibus, appositum fortasse ab eo, qui versui metueret. Ultima in v. *coelum* ex licentia versuum asynartetorum non eliditur. Similiter paullo post *moecho hoc* non colliquescunt. *Gestit*; primus

'Ut faciam quasi púero in collo péndeant crepúndia.
Py. Périi! *Ca.* Haud etiam númcro hoc dicis. — Iámne in hominem ínvolo?
Pe. Imo etiam prius vérberetur fústibus. *Ca.* Multúm quidem.
Pe. Cúr es ausus súbigitare alienam uxorem, ímpudens?
Py. 'Ita me di ament, últro ventum est ád me. *Pe.* Mentitúr; feri!
Py. Máne, dum narro. *Pe.* Quíd cessatis? *Py.* Nón licet mihi dícere?
Pe. Díc. *Py.* Oratus súm venire ad te húc. *Pe.* Quare ausus? Hém tibi!
Py. Oíei, satis sum vérberatus! 'Obsecro! *Ca.* Quam móx seco?
Pe. 'Ubi lubet. Dispendite hominem dívorsum et distendite.
Py. 'Obsecro hercle té, mea verba ut aúdias, priusquám secat!
Pe. Lóquere nunc dum, donec factum est. *Py.* Víduam esse cénsui;

Sciopp. susp. lett. I, 6. e MSS. Pall. vindicavit. Antea vulgo *gestio.* — *Crepundia* sunt ludibria quaedam puerorum, a crepando dicta, e collo pendentia, quorum crepitu a lacrimis et ploratu cohiberi solent. *Haud etiam numero.* Sic contra Acidalii sententiam distinguendum existimamus, qui: *haud etiam; numero* distinguit, h. sensu: Nondum periisti; praemature hoc dicis. Sed ita censet ex prava interpretatione v. *numero,* quod cum Grammaticis Nonio, Festo, Macrobio significare putat *cito, nimium cito.* At vero *numero* est *in numero,* sive *ad numerum,* i. e. apposite, accommodate, opportune. Nam translata dictio est a re musica, ubi quae *numero,* sive *in numero* fiunt, apte et in tempore fiunt. Igitur *Haud etiam numero dicis,* erit: nondum etiam opportuno tempore dicis, nondum vere dicis, te periisse; pereundum tibi etiam est; tum dicas. Ceterum de vocis huius apud Plautum significatione et usu cf. egregiam Rostii dissertationem in Plautin. Cupedd. fercul. IX. *Prius,* antequam tu involas in eum, ut ei abdomen praescindas, verberetur etiam. V. 10. *Feri.* Sic restituit Scioppius Arte crit. p. 53. Antea edebatur *perii.* Sed V. C. Cam. *eri* et Cod. Dec. *feri,* quod recte legitur in vulg. V. 13. *Oiei.* Sic Bothium secutus dedi, quum libri vulgati praestent *O hei,* Codices autem habeant *Olei.* Cf. Bentlei. ad Terent. Eun. IV, 4, 47. *Obsecro — Quam mox seco.* Manifesta παρήχησις, quae vehementer iocularis est. V. 14. Vulgo: *Ubi lubet. Distendite hominem d. et dispennite.* Locum hunc Meursius sic scribendum censuit: *dispennite — et distennite.* Verbum *dispennere* tuetur Nonius hunc locum citans p. 9., *Dispennere est expandere, tractum a pennis et volatu avium.* Alterum vero illud, *distennere,* Donatus ad Terent. Phorm. II, 2. tuetur, quo Terentii loco ex Donati sententia legendum est: *Quia non rete accipitri tennitur, neque miluo.* Cf. Meursius Exercitt. critt. c. 5. p. 167. Quae Meursii sententia quanquam multum habeat probabilitatis, quum poeta videatur sermonem vulgarem esse imitatus; tamen Codd. Pall. cedendum fuit, quorum V. C. Cam. *dispendite — et dispendite,* C. vero Dec. *dispendite — et distendite,* quod sine dubio verum est, secutusque est Camerar. in editione. Corruptio apud Nonium ex prava codicis scriptura videtur orta, quem ille habebat ante oculos. — V. 16. Vulgatam lectionem: *Loquere, nondum nihili factus,* veram habere nequeo. *Nihili facere*

'Itaque ancilla, cónciliatrix quaé erat, dicebát mihi.
Pe. Iúra, te non nóciturum esse hómini de hac re némini,
Quód tu hic hodie vérberatus aút quod verberábere,
Sí te salvom hinc ámittemus, Vénerium nepótulum.
Py. Iúro per Diónam et Martem, mé nociturum némini,
Quód ego hic hodie vápulo; sed míhi id aeque factum árbitror;
'Et si intestatús non abeo hinc, béne agitur pro nóxia.
Pe. Quíd, si íd non faxís? *Py.* Ut vivam sémper intestábilis.
Ca. Vérberetur étiam; postibi ámittundum cénseo.
Py. Dí tibi benefáciant semper, quom ádvocatus míhi bene es!
Ca. 'Ergo des minam aúri nobis. *Py.* Quamóbrem? *Ca.* Salvis téstibus
'Ut te hodie hinc ámittamus, Vénerium nepótulum.
Aliter hinc a nóbis, ne sis frústra, — *Py.* Dabitur. *Ca.* Máge sapis.
Dé tunica et chlamyde ét machaera né quid speres; nón feres.
Vérberone etiam, án im amittis? *Py.* Mítis sum equidem fústibus.

---

aliquem non significat *pessumdare, interimere*, sed *non aestimare, contemnere.* Nec nititur tota haec lectio, nisi vitiosa et obscura cod. V. Cam. scriptura, quae habet: *nondum nilihlo* (sic) *factus.* Sed C. Dec. exhibet: *nondum donec factumest*, quod alii, veluti Cod. Sur. librarius, correxerunt: *nunc dum donec factum est.* Illud *nunc dum* verissimum mihi videtur. Eadem formula recurrit Curc. II, 1, 27. *Nunc dum salsura sat bona est.* Poen. prol. 42. *Nunc dum occasio est, Nunc dum scribilitae aestuant.* Latet haec formula Epid. III, 4, 69. (IV, 2, 69.) qui locus sic est legendus:

Tam facile, quam me. Vbi habitat? Postquam liberast
Vbi habitet nunc dum illa, non certo scio.
Eho, ain, an non ais, quis eam liberaverit.

Donec factum est poeta pro eo posuit, quod est *donec fit*, certíssime fieri significans. *Si te salvom hinc amittemus* cet. Locus a Prisciano exsignatus III, 5. tom. I, p. 123. cuius lectionem recepimus, nisi quod hic *amittimus.* Vulgo: *Si te salvom hinc mittimus v. n.* Ceterum apud Priscianum Codd. etiam quidam *amittemus. Venerium nepotulum* acerba irrisione appellat militem, quippe qui se supra Veneris nepotem esse pronunciavit. *Dionam* i. e. Venerem. Vulgo *Dianam*, pro quo in aliquot codd. *Venerem* legitur. *Intestatus* proprie qui testamentum non fecit, aut propter fraudem aliquam capitalem testamentum facere nequit. Sed ambigue dictum est, quae ambiguitas patet ex v. 27, ubi: *salvis testibus ut te hodie hinc amittamus.* Eadem ambiguitas inest voci *intestabilis*, pr. qui neque testis alteri esse, neque testes in sua re adhiberi potest. *Postibi*, ut *inibi, interibi.* Vulgo: *Post tibi;* sed emendavit ex Codd. Pall. Sciopp. suspectt. lectt. I, 15. — V. 29. *Te hodie* non colliquescunt. *Frustra esse* adverbium cum verbo substantivo, pro *decipi, errare.* Cf. quae supra diximus ad Milit. I, 1, 28. — *Mage sapis.* Citat Nonius p. 342. ex Milite Glorioso: *modice sapis*, quod tamen potius retulerim ad Act. IV, 4, 53. ubi vulgo *multimodis sapis* legitur. *An im amittis.* Sic de Bothii palmaria emendatione edendum erat. Vulgo: *Verberone etiam, antequam amittis.* Sed Codices ad unum omnes clare scriptum habent: *Verberone etiam animam mittis.* Bothius nihil nisi verba diremit uno tenore scripta. *Im* antique pro *eum.* Cf. Poen. I, 2, 74.

'Obsecro vos! *Pe.* Sólvite istum. *Py.* Grátiam habeó tibi.
Pe. Pósthac si prehéndero ego te híc, arcebo téstibus.
Py. Caússam haud dico. *Pe.* Eāmus intro, Cário. *Py.* Servós meos
'Eccos video. Phílocomasium iám profecta est? Díc mihi.
Sc. Iámdudum. *Py.* Hei mi! *Sc.* Mágis id dicas, sí scias, quod égo scio.
Námque illic, qui lánam ob oculum habebat, nauta nón erat.
Py. Quís erat igitur? *Sc.* Phílocomasio amátor. *Py.* Qui tu scís? *Sc.* Scio.
Nám postquam exiérunt porta, níl cessarunt íllico
'Osculari atque ámplexari intér se. *Py.* Vae miseró mihi!
Vérba mihi data ésse video. Scélus viri Palaéstrio!
'Is me in hanc illéxit fraudem. *Sc.* Iúre factum iúdico.
Síc si aliis moéchis fiat, mínus hic moechorúm siet;
Mágis metuant, minus hás res studeant. *Py.* Eámus ad me. Plaúdite.

Festus (pag. 77. ed. m.): *Im ponebant pro eum a nominatico is.* Et Leg. XII. tabb. *Igitur im capito.* Adde Cic. de Legg. II, 24. Apud Plautum hic accusativus multis in locis adhuc oblitteratus latet et a proximo editore restituendus erit. Verba: *mitis sum equidem fustibus* citantur a Nonio p. 343. *Gratiam habeo tibi.* Noli credere Bothio legenti: *Gratias habeo tibi.* Nam haec quidem formula tam saepe invenitur apud Plautum eadem prosodia prolata, ut dubitari nequeat, poetam in v. *gratiam* ultimam sine elisione in hac formula pronunciari voluisse, cf. Captiv. II, 3, 13. Ceterum legitur quidem Trin. III, 2, 31. *summas habeo gratias* sine varietate et Stich. III, 1, 2. *Neptuno grates habeo et tempestatibus;* utrumque tamen locum recte se habere non credam, nisi Codd. Pall. antea diligenter inspexero. Vtrobique enim emendatio facilis, a qua tamen, ut nunc se res habent, temperandum est. *Caussam haud dico;* i. e. non recuso, non intercedo. Sic saepe apud Plautum et Terentium. Cf. supra Captiv. III, 4, 92. — V. 35. Discedit Periplectomenes cum suis. Militem adeunt servi sui, interque eos Sceledrus, quem de Philocomasio interrogat, an profecta iam sit, praeter spem et concubina et moecha privatus. Tum totius fraudis nuncio accepto, fere animum despondet, sed brevi post semet colligit, a Palaestrione se deceptum intelligens. Sceledrus vero iure factum ait, aliisque moechis idem optat. *Iamdudum* cet. Dedimus Bentleii emendationem ad Terent. Eunuch. II, 3, 65. *Scelus viri Palaestrio.* Sic primus Dousa restituit Plaut. expll. III, 13. Antea enim legebatur: *scelus vir P.* Firmat emendationem his formulis Plauto frequentatis: *scelus pueri; deliciae pueri; monstrum, flagitium hominis.* Add. Pareus in Mantissa lex. Pl. s. *Periphrasi.* — V. 43. Vulgo *Si sic*, atque ita etiam, ut videtur, Codd. Pall. Nos scripsimus *Sic si*, iubente Goellero ad Trin. II, 4, 64. Tum *Magis metuant* sic est pronunciandum, ut adv. *magis* pro monosyllabo sit. *Studere aliquid* struitur ut *agere aliquid*; *cupere, velle aliquid.* Verba enim in aliorum notiones transeuntia horum etiam structuram adsciscunt, ut saepe monuimus.

TRINUMMUS.

FABVLAE INTERLOCVTORES.

Luxuria } Prologum orant.
Inopia }
Megaronides, senex.
Callicles, senex.
Lysiteles, adolescens.
Philto, senex, pater Lysitelis.
Lesbonicus, adolescens.
Stasimus, servus.
Charmides, senex, pater Lesbonici.
Sycophanta.

ARGVMENTVM.

Charmides, olim dives, quum rem suam atteri seque mox ad incitas redactum vidisset, ut eam mercatura resarciret, peregre abierat. Filius eius Lesbonicus, homo luxu perditus, relictus a patre, quae pauca ex paternis opibus reliqua erant, omnia absumit, adeo ut ipsas aedes paternas denique venales inscriberet. Commendarat autem Charmides proficiscens et rem suam et liberos amico Callicli, cui itidem thesaurum trium millium Philippeorum domi ad incerta fortunae defossum, indicaverat. Iam Callicles, ne cum aedibus etiam aurum illud periret, aedes illas vili pretio praemercatur; quam rem cives, rei ignari, vitio ei vertunt, turpissimaeque eum avaritiae incusant, qui, tutor Lesbonici relictus a patre, ex iuvenis luxuria suas augeret divitias. Quo nomine etiam a Megaronide amico vehementer vituperatur; sed re explicata facile se defendit; a quo loco fabulae in scena actio initium capit.

Idem ille Charmides, qui ad mercatum faciendum peregre abierat, filiam habebat nubilem. Eius amore captus dives quidam et probissimus iuvenis, cui nomen Lysiteli, per patrem Philtonem in matrimonium eam deposcit. Frater Lesbonicus, quamvis condicionem non sperneret, negavit tamen, sororem indotatam elocaturum se; timere enim civium rumusculos, sororem non in matrimonium, sed in concubinatum datam haud dubie dicturos. Propterea sororem hac lege despondet, ut Lysiteles praediolum suburbanum, quod solum praeter vitam adolescenti erat reliquum, in dotem acciperet. Lysiteles recusat. Interim Callicles auctore et suasore Megaronide, ut ex illo thesauro dotem desumeret amici filiae, thesaurum autem ipsum non indicaret, sycophantam subornavit, qui simularet, litteras a Charmide e Seleucia, atque

una mille Philippeorum, virginis, si quando nuptum collocetur, dotem sese afferre. Illud vero aurum Callicles primum mutuum sumpturus ac dein e thesauro clam deprompturus erat. Atque sic quidem res transigi coepta. Sed quum sycophanta ille a Callicle subornatus, quasi litteras e Seleucia perlaturus, venit, accidit, ut hoc ipso tempore Charmides redux ante aedes suas appareat. Ubi postquam uterque se invicem varie delusit, tandem Charmide ipso de se indicium faciente, Sycophanta re infecta abiit. Charmides vero a servo edoctus, filium vendidisse aedes, emtas a Callicle, animum propemodum despondet, deceptum se turpiter ab amico existimans. Sed paullo post re, uti erat, narrata omnibusque exploratis, fidem amici collaudat, filiam Lysiteli cum dote mille aureorum uxorem dat, filio ignoscit eumque ad frugem rediturum pollicitum Calliclis filiam uxorem ducere iubet.

ARGVMENTVM ACROSTICHVM.

Thesaúrum abstrusum ábiens peregre Chármides,
Remque ómnem amico Cállicli mandát suo.
Istóc absente mále rem perdit fílius.
Nam et aédis vendit; hás mercatur Cállicles.
Virgo índotata sóror istius póscitur;
Minus quó cum invidia illí det dotem Cállicles,
Mandát, qui dicat, aúrum ferre se á patre.
Ut vénit ad aedis, húnc deludit Chármides
Senéx, ut rediit. Quóius nubunt líberi.

Arg. V. 1. In v. *abstrusum* ultima ex lege non colliquescit. Cui rei qui mederi vellent, locum varie corruperunt, aut *suum abstrusum*, aut *domo abiens* scribentes, quorum nihil in Codd. *Indotata poscitur. Poscendi* vocabulum, in hac re solemne, absolute etiam ponitur. Sic Aulul. II, 1, 38. *Eam si iubes, frater, tibi me poscere, poscam.* Usitatius tamen: *in matrimonium poscere.* — *Minus quo*, pro *quo minus*, insolentior transpositio, quae soli fortasse acrostichorum necessitati debetur. Saltem simile exemplum non suppetit. *Nubere* de utroque sexu, simpliciter et communiter, pro *matrimonium inire* haud ita rarum. Quanquam enim Martialis VIII, 12. *uxori nubere nolo meae;* tamen Varro apud Nonium pag. 480. *viri nupti*, si lectio vera, et Pomponius apud eundem pag. 143. *frater meus nupsit dotatae.* Ceterum forma vetusta *quoius* e Cod. V. Cam. petita.

PROLOGVS.

Luxuria et Inopia.

Lu. Sequere hác me, gnata, ut múnus fungarís tuum.
In. Sequór; sed finem fóre quem dicam, néscio.
Lu. Adést; en, illae sunt aédes; i intro núnc ïam.
Nunc, né quis erret vóstrum, paucis ín viam
Dedúcam, si quidem óperam dare promíttitis.

Prol. Nova ratione Plautus duas personas prologum orantes introducit. Utitur autem allegoricis personis, *Luxuria* et *Inopia.* Non absimili modo in Cistellaria prologus ab *Auxilio* dicitur. Deos vero προλογίζοντας duabus in fabulis esse voluit poeta, in Rudente *Arcturum*, in Aulularia *Larem familiarem*, utrobique feliciter et accommodate ad rem propositam. Terentius hac in re, ut in ceteris, multo simplicior. Nusquam enim habet aliquid varietatis, sed ubique una eademque ratione personatum aliquem e reliquis histrionibus singulari prologi ornatu prodire iussit. Veluti Hecyr. alt. prol. init.:

Orator ad vos venio ornatu prologi.

Ex quo loco intelligitur, prologi singularem aliquem et constantem ornatum fuisse, Terentii tempore; haud dubie ne cum reliquis personis confunderetur. Certam quoque aetatem fuisse histrionum, prologum orantium, patet ex eodem Terentio Heautont. prol. 1. Ceterum usum personarum allegoricarum Plautus a Menandro mutuatus est, ut docet Wolf. in dissertatione de prologis Plautinis anno CIƆIƆCCCXII. emissa, p. 18, ubi Luciano teste Pseudolog. 4, *Elencho*, persona allegorica, Menander usus esse refertur. Sed locus cf.

Rem in prologo ita adornat Plautus, ut *Luxuria* quae hucusque in aedibus *Lesbonici* habitarat, filiam suam Inopiam illo introducat, ipsa autem excedat. Tum Luxuria paucis de Lesbonico monet, qui rem paternam se adiutrice perdiderit. Ipsum tamen fabulae argumentum, quod alibi in prologis exponit Plautus, non enarrat, sed auditores ad scenam sequentem ablegantur, ubi expositio argumenti longe accommodatius duorum senum colloquio continetur. V. 1. *Sequere hac.* Vulgo et Codd. Pall.: *sequere me mea gn.*, quod metro repugnat. Bonum igitur factum, quod Nonius p. 497. hunc affert Plauti locum emendatius scriptum: *Sequere ac me gnata* cet. Unde facillime vera lectio restituitur. Vtrumque cognomen coniunxit Plautus in Persa III, 1, 4. *Sequere hac, mea gnata, me cum dis volentibus.*

V. 2. *Finem fore*, itineris, viae. Fingit poeta, longe arcessitam a matre Luxuria filiam Inopiam, fortasse a porta Ostiensi, ubi mendicabula pauperum (cf. supra ad Captiv. I, 1, 22.), viam facere ad aedes Lesbonici. *Adest; en illae sunt* cet. Vulgo: *adest*; *hem illae.* Saepe sic peccatum in Plauti scriptis a librariis. Cf. quae supra diximus ad Captiv. II, 3, 13. — Sententia est: Adest finis, quem exoptas; hae sunt illae aedes, ubi in posterum habitabis.

V. 4. Dimissa intro Inopia ad spectatores se convertit Luxuria et ioculariter argumenti expositionem orditur, sed mox desistit. *Ne quis erret.* *Errare* translate de ignoratione rei, quae agitur. Subiungit autem: *in viam vos deducam*, tanquam de er-

Nunc ígitur primum, quae égo sim, et quae illaéc siet,
Huc quae ábiit intro, dícam, si animum advórtitis.
Primúm mihi Plautus nómen Luxuriae índidit;
Tum hanc mi aútem gnatam esse voluit Inopiam.
Sed ea húc quid intro íerit impulsú meo,
Accípite, et date vacívas auris, dum éloquor.
Aduléscens quidam est, quí in hisce habitat aédibus;
Is rém paternam me ádiutrice pérdidit.
Quoniam eí, qui me aleret, níl video esse rélicui,
Dedí meam gnatam, quícum aetatem éxigat.
Sed de árgumento ne éxspectetis fábulae.
Senés, qui huc venient, hí rem vobis áperient.

---

rore viae sit sermo. *Si operam dare promittitis*, ut infra v. 7, *si animum advortitis.* Haec ad spectatores excitandos. Eiusmodi exhortationes ad Plebem Romanam necessariae, cuius animus inter spectandum facile aliorsum averti poterat. Cf. Terent. Hecyr. prol. 4. Fortasse etiam ab initio animi nondum ad audiendum compositi et tranquillati erant, quare interponenda talia videbantur. V. 6. Vulgo: *Nunc primum igitur*, atque ita Cod. Dec. Sed recte transposuit V. C. Cam. — Tum vulgata sic: *et quae illa haec siet*, pro quibus Herm. olim scripsit: *et quae haec etiam siet.* Sed quanquam connubium particularum *et — etiam*, *atque etiam*, *ac — etiam*, *quoque etiam*, saepe reperitur; hoc tamen non aliter admittitur, nisi in gradatione, ubi Germanice reddideris und sogar, auch sogar, sogar auch, quae sententia hic quidem nulla est. Qua de causa redeundum ad Codd. lectionem *et quae illaec siet.* Ita *sim* aut non elidendum erit aut scribendum *siem.* — V. 9. *Tum hanc mi autem gnatam.* Ita rescripsi Cod. Dec. vestigia secutus, qui exhibet: *Tum mihi hanc gnatam gratam*, teste Pareo. Vulgo: *Tum hanc mihi gnatam.* Vt labantem versum fulciret, Herm. scripsit: *Tum mi hanc is esse gnatam.* Formula *tum autem* frequentissima est apud Plautum, veluti Aulul. III, 6, 24. *Tum obsonium autem.* Captiv. IV, 2, 38. *Tum lanii autem.* Poen. IV, 2, 60. *Tum autem si quid tu adiuvas.* Adde Trin. infra II, 4, 141. Ceterum ultima in v. *gnatam* non coalescit. V. 10. *Introierit* divisim scribendum et sic pronunciandum, ut nulla syllaba elidatur. *Ea* omittitur a vett. editt. male. Herm. olim ediderat: *Sed huc nunc ea quid impulsu introierit meo*, qua correctione non est opus.

V. 12. *Qui in hisce* cet. *qui* non eliditur, ut saepe. *Quoniam* caussam cum temporis sive occasionis notione iunctam habet. *Da nun*, *da einmal.* V. supra ad Captiv. III, 1, 30. *Ei, qui me aleret, nil.* Verba sic ordinanda videntur: *Ei nil, qui* cet., i. e. nihil, unde me aleret. *Quicum* generis omnis est, unde etiam saepe ad femininum refertur. De consecutione temporum in vv. *aleret* et *exigat*, cf. Milit. II, 1, 53. Nam *video* vim habet perfecti, qua de causa sequitur imperfectum *aleret.* Verum in v. *exigat* tam aperta est rei futurae significatio, ut imperfectum poni non posset, nisi ubi vellet poeta vim consilii olim capti significare, quod non accommodatum. Cf. quae dixi ad Amphitr. I, 2, 26. De hiatu in v. *aetatem* cf. Lingius in lib. de hiatu in vv.

Huic nómen Graece ést Thesauro fábulae;
Philémo scripsit, Plaútus vortit bárbare;
Nomén Trinummo fécit. Nunc hoc vós rogat
Ut líceat possidére hanc nomen fábulam.
Tantúmst. Valete, adéste cum siléntio.

ACTVS I. SCENA I.

Megaronides.

Nae amícum castigáre ob meritam nóxiam,
Immoéne est facinus; vérum in aetate útile

Plautt. p. 21. *Huic nomen Graece.* Sic vulgo. Hiatum, cui transpositione mederi volebat Hermannus, defendit Lingius in libello de hiatu in vv. Plautt p. 13. *Philemo scripsit.* Non Philemo solum, sed etiam Menander comoediam scripsit, *thesaurum* appellatam, quod discitur ex Donat. ad Terent. Eunuch. prol. 9. *Barbare;* Latine. Sic saepe de Graecorum sententia palliatarum fabularum poetae. Cf. supra Milit. Glor. II, 2, 58. Festus vv. *Barbari* p. 29. et *vapula Papyria* p. 277 seq. Ceterum partem huius v. 19. citat Donat. ad Terent. Eunuch. prol. 7. — *Ut liceat possidere.* Ridicula benivolentiae captatio. Quasi multum spectatorum interesset, hoc vel illo nomine appellari hanc comoediam. *Hanc nomen fabulam.* Ita Codd. Pall. et vett. editt. Vnus Cod. Lips. *hoc nomen fabulam*, ex correctione. Plena erat oratio: *hoc nomen hanc fabulam;* poterat autem utrumque pronomen omitti. Quum vero alterutrum omittendum esset, utrum omitteretur, nihil referebat.

Act. I. Sc. I. Callicles, ut diximus, thesauri servandi caussa, aedes emerat Lesbonici, cuius ipse tutor relictus erat a patre Charmide. Eam rem civium rumoribus male acceptam et dilatam Megaronides quoque audierat et amico Callicli vitio verterat. Is nunc Calliclem convenit, ut crimen illud ei exprobret amicumque ob culpam admissam castiget. Ac primum solus introducitur Megaronides consilium suum ostendens multaque de pravis civitatis moribus conquerens.

Quattuor huius scenae primi versus afferuntur in libro ad Herenn. II, 23.; quintum addidit Cic. de Inv. I, 50., qui eundem locum citat. *Noxiam* a *noxa* ita differre volunt, ut *noxa* sit damnum, crimen; *noxia* autem culpa crimine admisso contracta. Nonius p. 438. *Noxa et noxia hanc habent diversitatem, quod est noxa peccatum leve; — noxia nocentia. — M. Tullius in Hortensio: Et ceteras quidem res, in quibus peccata non maxime afferunt noxias* cet. Fronto in differentiis verborum: *Noxa poena est, noxia culpa.* Sed hoc discrimen non ubique observari neque observari posse, quod *damnum*, *crimen* et *culpa* persaepe non satis discernuntur, iam dudum ab aliis ostensum est. Pro *immoene* fere omnes apud Cic. Codices *immane*, quod Ernestius defendi posse putabat. Libri Plautini vetustissimi, h. e. Codd. Pall., *immene*, antiqua scriptura, exhibent. Festus v. *immunis* pag. 81. ed. m hanc vocem pro *improbo* aliquoties poni testatur, hunc locum adhibens. Rectius Dousa *immune facinus* interpretatur *ingratum beneficium*, quod quia nihil habet in se *muneris*

Et cónducibile. Nám ego amicum hodié meum
Concástigabo pró commerita nóxia,
Invítus, ni id me invítet ut faciám fides.
Nam hic nímium morbus móres invasít bonos.
Ita plérique omnes iám sunt intermórtui.
Sed dum ílli aegrotant, ínterim morés mali,
Quasi hérba irrigua, súccreverunt ubérrume.
Neque quícquam hic vile núnc est, nisi morés mali.
Eorúm licet iam méssem metere máxumam,
Nimióque hic pluris paúciorum grátiam
Faciúnt pars hominum, quam íd, quod prosit plúribus.
Ita víncunt illud cónducibile grátiae,
Quae in rébus multis óbstant, odiosaéque sunt
Remorámque faciunt reí privatae et públicae.

---

i. e. beneficii, ingratum accidit, nec gratia dignum est; ex eius quidem sententia, cui accidit. Adde quod *munis* officiosum notat. Plaut. Merc. I, 1, 104. *Dico eius pro meritis gratum me et munem fore.* Adde Fest. v. *munis* pag. 99. ed. m. — *in aetate*, in vita, ἐν βίῳ, i. e. interdum. Cf. infra Trin. II, 4, 61. ubi tamen fere idem significat haec formula, atque *ad aetatem agundam*, cf. Trin. II, 1, 10. *Pro commerita.* Libri apud Ciceronem l. c. *pro commissa*, quod merum est interpretamentum. Eodem modo *culpam mereri* et *commereri* saepe apud Terentium; veluti Hecyr. IV, 4, 9. Phorm. I, 4, 28. *Plerique omnes.* Maxima pars, atque illa integra; plerique, et illi omnes; der grösste Theil ganz, h. e. fere omnes. Codd. Pall. *plerumque*, mendose. Notissimam formulam: *plerique omnes*, ignorantes librarii de suo ingenio mutarunt. Cf. Terent. Andr. I, 1, 28. *Quod plerique omnes faciunt adolescentuli*, ad quem locum cf. Donatum, qui comparat Graecorum πάμπολλοι, et locum citat Naevii: *Plerique omnes subiguntur sub suum iudicium.* Adde Terent. Phorm. I, 3, 20. Heautont. IV, 7, 2. A. Gellium VIII, 12. — V. 9. *Succreverunt* sic vulgo et in Codd. Pall.; *succrevere* Herm. et Both. propter versum. Tribus syllabis pronunciandum verbum, ut *oblivisci* Mil. gl. IV, 8, 49. *Muliebres mores discendi, obliviscendi stratiotici.* Sic *Vivendi* disyllabum est apud Terent. Andr. I, 1, 26. Quae quum olim ad hunc locum adnotassem in peculiari Trinummi editione, rem amplius prosecutus est, dissimulata mea animadversione, Vilelm. Ad. Becker, Vir Cl., Professor Lipsiensis, in Antiq. Plaut. generatim expl. Part. I, pag. 12 seqq., ubi alia quaedam huius contractionis exempla collecta reperiuntur.

V. 10. Tanta laborant mores boni aegritudine, ut paene iam mortui videantur. Sed dum hi aegrotant, mali mores efflorue-runt uberrime, ut nihil sit nunc frequentius. *Vile* enim nativa significatione est id quod venundatur, quod in foro mercantibus proponitur, deinde cuius larga est copia, plane ut Germanorum *feil*, quocum communem habet radicem. Cf. notata supra ad Captiv. II, 1, 39. Ad sententiam cf. Grotii Excerpt. Comic. p. 942. Ὡς πάντα τιμῆς ἐστὶ πλὴν κακοῦ τρόπου. *Nimioque hic pluris* cet. Pars hominum nimium mavult gratiam inire a paucioribus i. e. potentioribus, quam pluribus, i. e. populo et reipublicae, prodesse.

ACTVS I. SCENA II.

Callicles, Megaronides.

Ca. Larém corona nóstrum decorarí volo:
Uxór, venerare: ut nóbis haec habitátio
Bona, faústa, felix, fórtunataque évenat;
Teque út, quam primum póssim, videam emórtuam.
Me. Hic ille ést, senecta aetáte qui factúst puer,
Qui admísit in se cúlpam castigábilem.
Aggrédiar hominem. *Ca.* Quoía vox prope mé sonat?
Me. Tui bénevolentis, si ita es, ut égo volo;
Sin áliter es, inimíci atque iratí tibi.
Ca. O amíce, salve, átque aequalis. 'Ut vales,

Lamb. — *Pars* plurali numero iunctum saepe et alibi et apud Plautum, veluti Mostell. I, 2, 33. *Sed magna pars moram hanc induxerunt.* — *Gratiae*, h. e. gratiarum et benevolentiae captationes superant studium illud utilitatis afferendae aliis. Versus 15. et 16. exsignati sunt a Festo in v. *Remeligines et remorae*, qui cf. pag. 136. et 229. ed. m. et pag. 276. ed. m.

Act. I. Sc. II. Callicles domo nuper emta egrediens intro loquitur ad familiam et uxorem. Tum progressus cum Megaronide init colloquium. Culpatus a Megaronide, tanquam aedes Lesbonico eripuisset, immerito se castigari facile edocet amicum. Unde ille se ipsum vituperat, quod tam temere se decipi passus sit.

Ut feliciter habitatio incipiatur nova, Larem coronari eique sacrificari iubet Callicles. De huiusmodi sacris Laribus oblatis cf. Tibull. I, 1, 15. ibique interpp. *Bona, fausta* cet. Alludit ad solemnem illam in negotiis incipiundis formulam: *Quod bonum, faustum, fortunatumque sit.* — *Evenat.* Vulgo et in Codd. *eveniat.* Trisyllabam formam testatur Ennius apud Nonium pag. 507. ubi sic legitur: *Evenat pro eveniat. Ennius Hecuba: Senex sum; utinam mortem oppetam prius quam evenat, Quod in pauperie mea senex graviter gemam.* Apud Plautum raro aliter *evenat* legitur, nisi in clausula versus iambica, ubi hodie semper scribitur *eveniat.* Cf. Epid. II, 3, 105. *Ne qua ob eam suspicionem difficultas evenat.* Similiter infra Trin. I, 2, 56. ubi nunc *perveniant* legitur, quod *pervenant* aut scribendum aut pronunciandum. Nam Epidic. III, 1, 2. res dubia est, quod versus sunt cretici, ubi choriambus interdum admittitur: *Quómodo mi 'Epidici blánda dicta éveniant.* — Iocum in mulierem subiungit. Nimis frequens est apud poetas Graecos et, qui eos imitati sunt, palliatae comoediae scriptores contemptus quidam ridiculus atque iocularis mulierum, qui ex feminarum apud Athenienses condicione repetendus est. V. 5. *Senectà aetate. Senectus* participium a *senesco*, ut *obsoletus*, ab *obsolesco*, *solitus* a *soleo*, *gavisus* a *gaudeo*, *licitus* a *liceo*, *cretus* a *cresco*, et similia permulta. Sallustius in IV. Historiarum apud Priscian. IX, 9. p. 464. et X, 3. p. 487. tom. I. *Omnis, quibus senecto corpore animus militaris erat.* Cf. Parei lexic. s. v. *senecta aetas.* V. 8. *Si* non eliditur. *Es* producitur utrobique. — V. 10. *Salve* sine pronomine Codd. Pall. et vulgo. *Salve atque aequalis mihi* ed. Cam. *Salve mi atque ae.* Herm. Admittit *salve* legitimum hiatum hoc versus loco; res non

Megarónides? *Me.* Et tu édepol salve, Cállicles,
Valén'? Valuistin'? *Ca.* Váleo et valui réctius.
Me. Quid agít tua uxor? Ut valet? *Ca.* Plus quam égo volo.
Me. Bene hercle ést, illam tibi béne valere et vívere.
Ca. Credo hércle te gaudére, si quid míhi mali est.
Me. Omníbus amicis, quód mihi est, cupio ésse idem.
Ca. Ehó, tua uxor quíd agit? *Me.* Ímmortális est.
Vivít, victuraque ést. *Ca.* Bene hercle núncias,
Deosque óro, ut vitae tuaé superstes súppetat.
Me. Dum quidem hércle tecum núpta sit, sané velim.
Ca. Vin' cómmutemus? Túam ego ducam, et tú meam?
Faxo haúd tantillum déderis verborúm mihi.
Me. Namque énim tu, credo, mi ímprudenti obrépseris.
Ca. Nae tu hércle faxo haúd scies, quam rem égeris.

---

est dubia. *Aequalis* ὁμῆλιξ, eiusdem aetatis, *parili aetate*, ut ait Ovidius. V. 12. *Rectius.* Comparativus sine re comparata varias habet apud Latinos significationes, repetendas illas ex tacita comparatione, quae ubique subintelligenda est. Usitatissima est notio, ubi omittitur talis formula: *quam par est*, unde comparativus notionem particulae *nimis* asciscit. Alia est, ubi tale quid omittitur: *quam sperare, exspectare poteras*, quae hic quidem obtinet. Aliquanto *rectius*, quam sperare quis posset. Ziemlich gut, über Erwarten gut. — V. 17. Affertur ad h. l. Philemonis versus: Ἀθάνατόν ἐστι κακὸν ἀναγκαῖον γυνή. V. 19. *Superstes suppetat. Suppetere* intransitivum significat satis esse, sufficere; velut apud Horatium: *Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.* Respondet nostro: *hinreichen, ausreichen.* Sententia est igitur: Deos oro, ut vita uxoris tuae sufficiat, quo tibi superstes esse possit. Conf. Pers. III, 1, 3. *Ut mihi supersit, suppetat, superstitet. Nupta tecum.* Cf. Apulei. Metam. II, 5. — *Faxo.* Cf. notata ad Captiv. prol. v. 65. Sententia est: asseverare tibi possum, certo scio, non me deceperis, si uxorem tradideris, accepta mea. Sine dubio neutra commendabilis. *Namque enim.* Sic h. l. codices. Camerarius et Lambinus: *nunquam tu.* Bothius *namque* pro glossemate habuit. Sed recte monuit Gronovius, dici eodem modo ut *quia enim;* de quo vide quae diximus supra ad Captiv. IV, 2, 104. et ad Mil. III, 2, 21. Idem bene docuit, esse compendium loquendi, in quo reticeri, quid facere velis aut nolis, exposita solum ratione, cur id facere velis aut nolis; de qua re vide, quae supra notavimus ad Milit. II, 5, 19. Sed nemo dum animadvertit, hanc Megaronidis responsionem ironice accipiendam esse, ut hoc dicat: Scilicet tu' enim, opinor, inscientem fefelleris, i. e. noli putare, te, si illud fecerim, me decipere posse. Ich mag nicht, denn du könntest etwa, mein' ich, mich so unter der Hand anführen wollen. Nempe hoc fieri aut te credere fieri posse absonum est. — V. 24. *Faxo haud scies.* Sic vulgo atque in Codd. Pall. Sed Herm. eumque secutus Göller. dederunt: *faxo tunc scias.* Perit vis ac virtus ironica, quae formulae inest, si legas *tunc* pro *haud.* Coniunctivus autem quanquam usitate iungitur v. *faxo;* tamen aliquoties futurum quoque infertur. Veluti Asin. IV, 1, 4. *Horrescet faxo lena.* Poen. I, 1, 34. *Vtrum-*

Me. Habeás, ut nactu's; nóta mala res óptumast.
Nam ego núnc si ignotam cápiam, quid agam, nésciam.
Edepól, proinde ut bene vívitur, diu vívitur.
Sed hoc ánimum advorte, atque aúfer ridiculária;
Nam ego dédita opera huc ád te advenio. *Ca.* Quíd venis?
Me. Malís te ut verbis múltis multum obiúrgitem.
Ca. Men'? *Me.* Núm quis est hic álius praeter me átque te?
Ca. Nemó'st. *Me.* Quid igitur rógitas, tene obiúrgitem?
Nisi túte mihi me cénses dicturúm male.
Nam si ín te aegrotant ártes antiquaé tuae,
Sive ímmutare vís ingenium móribus,
Aut sí demutant móres ingeniúm tuum,
Neque eós antiquos sérvas, ast captás novos;
Omníbus amicis mórbum tu incutiés gravem,
Ut té videre audíreque aegrotí sient.
Ca. Qui in méntem venit tíbi istaec dicta dícere?
Me. Quia ómnes bonos bonásque accurare áddecet,
Suspícionem et cúlpam ut ab se ségregent.
Ca. Non pótest utrumque fíeri. *Me.* Quaproptér? *Ca.* Rogas?
Ne admíttam culpam, ego meó sum promus péctori;
Suspício est in péctore alienó sita.
Nam núnc ego si te súrripuisse súspicer
Iouí coronam dé capite, e Capitólio,

---

que faxo habebit et nequam et malum. Ibid. I, 1, 45. *At ego iam faxo scies.* Ibid. V, 4, 57. *Iam faxo scibis.* Et v. seq. *Nam faxo mea eris sponsa.* In talibus *faxo* tanquam in parenthesi ponitur, ut *opinor*, *credo*, similia. Adde Men. II, 2, 51. *Iam ergo haec madebunt faxo.* Pseud. IV, 4, 2. *post faxo scibis.* Terent. Phorm. II, 1, 78. *Iam faxo hic aderit.* — *Edepol proinde* cet. Acidalio hunc versum Calliclis personae tribuenti, et vv. *bene* et *diu* commutanti non sumus assensi. Ex vulgata lectione sententiae ita cohaerent. Dixerat Megaronides: Nolo ego aliam uxorem: nota res mala optima est. Novae uxoris novi mores ediscendi essent, et vitam non ex diuturnitate sed ex beatitate metiri debemus. Ego vero infelicissimus essem, si nova uxor nova mihi facesseret negotia. Sed iam serio agamus.

V. 34. *Artes antiquae;* vivendi ratio, quam olim secutus es. Ea si *aegrotat*, debilis facta est, non eo vigore se prodit, quo olim fuit, obscurata est, *morbum incuties gravem* curam ac sollicitudinem creabis amicis, ut, cum te videant audiantve, *aegroti fiant*, summo afficiantur moerore. *Mores* autem, quibus *ingenium* immutatur, sunt pravorum exemplorum imitationes, contagio, quam mores seculi dederunt, quaque contaminantur subinde etiam probi. *Suspicio* antepenultima producta ubique.

V. 44. *Promus*, qui depromit, cellarius. Tum qui rem domesticam administrat, ταμίης, Schaffner, Verwalter. Hoc igitur dicit: innocentiam praestare possum; quid homines de me loquantur, non possum. *Iovi coronam;* proverbiale de iis, qui summum

Qui in cúlmine adstat súmmo; si id non féceris,
Atque íd tamen mihi lúbeat suspicárier;
Qui tu íd prohibére mé potes ne súspicer?
Sed istúc negoti scire cupio, quícquid est.
Me. Habén' tu amicum aut fámiliarem quémpiam,
Quoi péctus sapiat? *Ca.* 'Edepol haud dicám dolo.
Sunt, quós scio esse amícos; sunt, quos súspicor,
Quorúm non possum ingénia atque animos nóscere,
Ad amíci partem, an ád inimici pérvenant.
Sed tu éx amicis céitis mi es certíssumus.
Si quid scis me fecísse inscite aut ímprobe,
Si id nón me accusas, tu ípse obiurgandu's. *Me.* Scio,
Et, si ália huc caussa ad te ádveni, aequom póstulas.
Ca. Exspécto, si quid dícas. *Me.* Primumdum ómnium,
Male díctitatur tíbi volgo in sermónibus;
Turpílucricupidum té vocant civés tui.
Tum autém sunt alii, quí te volturiúm vocant;

---

facinus audent. Cf. Menaechm. V, 5, 38. — V. 48. *Qui in culmine adstat summo.* Libri omnes: *Quod in culmine a. s.* Sed V. A. Becker. V. Cl. in Antiq. Plaut. generatim expl. Part. I, pag. 39 seq. felici coniectura restituit, quod exhibuimus. Is recte vidit, non dici posse Latine: *Capitolium adstat in summo culmine,* nec opus fuisse, ut docerentur Romani, Capitolium in clivo, non in valle quaerendum esse; praeterea testes esse locupletissimos, stetisse in culmine aedis Capitolinae Iovis effigiem cum quadrigis. Ex quibus omnibus satis intelligitur, *Qui*, non *Quod* esse scribendum. *Istuc negoti*, quod te huc adduxit, cuius caussa me obiurgare volebas. *Quoi pectus sapiat;* qui sapiente, intelligente est animo, qui recte intelligit. *Haud dicam dolo.* Dicam aperte, quod sentio. — V. 55. Vulgo legitur: *Sunt quorum ingenia atque animos non possum noscere.* Recte et vere ostendit V. Cl. V. A. Becker. in libello supra citato pag. 7. non tria, sed duo tantum a poeta intelligi amicorum genera, primum quos certo sciat esse, alterum quos suspicetur; quare in altero v. *sunt* omittendum esse. Sed deleta v. *sunt* inconcinnus oritur numerus, quapropter transpositis verbis legendum puto: *Quorum non possum ingenia atque animos noscere.* Idque dedi. *Ad amici partem — pervenant.* Amicis an inimicis propiores sint. Dicunt enim Latini *in partem alicuius rei venire*, i. e. *participem fieri.* Non absimile est, quod h. l. dicitur: *ad amici partem pervenire*, quasi ad eam partem attingere, quae est amici. Ceterum *pervenat* h. l legitur in V. C. Cam. teste Pareo. *Perveniat*, singulari numero scripserunt Cam. et Pareus. Vide quae diximus supra ad v. hui. scen. 3. *Adveniat* vulgo legitur Pseud. IV, 3, 13. ubi Cod. V. Cam. *advenat.* — *Si id non me accusas.* Cf. notata supra ad Mil. IV, 4, 22. *Aequom postulas.* Iure tuo dicis, quod me obiurgandum esse dicis, si alia caussa huc veni, quam ut, sciens te male fecisse, te obiurgem. *Si quid dicas;* Graecorum ἔτι pro eo quod est ὅτι. *Primumdum;* πρῶτον δή, καὶ πρῶτον μὲν δή. Cf. quae notavimus ad Captiv. I, 2, 71.

V. 64. *Volturium*, avem rapacem esse constat. Proverbiale

Hostísne an civis cómedis, parvipéndere.
Haec quom aúdio in te díci, excruciór miser.
Ca. Est, átque non est, mi ín manu, Megaróaides;
Quin dícant, non est; mérito ut ne dicánt, id est.
Me. Fuitne híc tibi amicus Chármides? *Ca.* Est, ét fuit.
Id ita ésse ut credas, rém tibi auctorém dabo.
Nam póstquam hic éius rem confregit fílius,
Videtque ípse ad paupertátem protractum ésse se,
Suámque filiam ésse adultam vírginem,
Simul éius matrem suámque uxorem mórtuam;
Quoniam hínc iturust ípsus in Seleúciam,
Mihi cómmendavit vírginem, gnatám suam,
Et rém suam omnem, et íllum corruptum fílium.
Haec, sí mi inimicus ésset, credo, haud créderet.
Me. Quid tu ádulescentem, quem ésse corruptúm vides,
Qui tuaé mandatust fídei et fidúciae,

---

fuit Romanis, probri caussa vulturem sive vulturium hominém appellare avidum, studio habendi deditum. Sic Cicero in oratione in Pison. 16. fin. *Vulturius provinciae.* Cf. etiam Charisius I, p. 85. ed. m. *Hostisne.* Hoc loco sine dubio, ut saepe apud antiquos, intelliguntur peregrini. Cf. supra ad Mil. Gl. II, 5, 40. *Comedis*, coniunctivus est, ut *edim* pro *edam*, *temperint* pro *temperent* Truc. I, 1, 41. *Carint* pro *careant* Mostell. IV, 1, 1. ubi *caruint* legendum censet. Herm. Tum vulgo legitur: *in te dicier;* sed ultima antiquae huius formae apud Plautum nunquam correpta reperitur; Codd. Pall. exhibent *in te dicis.* Hermannus ad evitandum hiatum *ego* interposuit. Non est opus. Cf. Kampmann. Annott. ad Plauti Rud. pag 11 seq.

V. 70. *Rem tibi auctorem dabo.* Auctor est, qui primus rem narravit, Urheber einer Erzählung, Bürge für dieselbe. Hoc igitur dicit: rem ipsam, factum aliquod, tibi narrabo, quae instar auctoris tibi sit, cuius auctoritas summa sit; re ipsa tibi fidem dabo. — V. 75. *Quoniam hinc iturust ipsus.* Ita praeeunte Hermanno scripsimus. Vulgo: *Quoniam hinc iturus est ipse*, qua scriptura pravus nascitur numerus, et v. *est* praeter rationem ictu elevatur, *ipse* vero deprimitur. — V. 78. *Haec si mi inimicus.* Sic vulgata e Cod. V. Cam., ubi tamen *Hic si mihi inim.* Deest *mi* in Cod. Dec. et Edd. vett. *Esset — cederet.* Cf. quae supra notavimus ad Captiv. III, 5, 47. *Quid tu — quin.* Anacoluthi speciem haec habent. Coeperat enim: *Quid tu adolescentem;* iam sequi debebat: *non restituis.* Sed interpositis illis: *quem — fiduciae*, denuo incipit sententiam, sed aliis verbis: *Quin eum restituis.* Ceterum *quin* pro *qui non*, i. e. *quidni* saepe poni, supra observavimus ad Mil. II, 5, 16. *Qui tuae mandatust fidei.* Vulgo legitur: *Qui tuae mandatus est fidei.* Sed ita si scribitur, *est* praeter causam erigitur, *fidei* deprimitur, veluti paullo ante v. 75. factum vidimus, quare medicina similis adhibenda erat. *Fidei* non eliditur, quod ubi incommodum videbitur, legendum erit: *Qui tuae mandatus fidei est et fiduciae.* Sed frequentem esse hiatum hoc versus loco, abunde demonstravit

Quin eúm restituis? Quín ad frugem córrigis?
Ei rei óperam dare te fúerat aliquanto aéquius,
Si quí probiorem fácere posses; nón uti
In eándem tute accéderes infámiam,
Malúmque ut eius cúm tuo miscerés malo.
Ca. Quid féci? *Me.* Quod homo néquam. *Ca.* Non istúc meumst.
Me. Emístin' de adulescénte has aedis? Quíd taces?
Ubi núnc tute habitas? *Ca.* 'Emi, atque argentúm dedi,
Minás quadraginta ádulescenti ipsi ín manum.
Me. Dedísti argentum? *Ca.* Fáctum; neque factí piget.
Me. Edepól fidei adulescéntem mandatúm malae.
Dedistíne hoc pacto ei gládium, qui se occíderet?
Quid sécus est, aut quid ínterest dare te ín manus
Argéntum amanti homini ádulescenti, animi ímpoti,
Qui exaédificaret suam ínchoatam ignáviam?
Ca. Non égo illi argentum rédderem? *Me.* Non rédderes;
Neque de íllo quicquam néque emeres, neque vénderes,
Nec, quí deterior ésset, faceres cópiam.
Incónciliastine eúm qui mandatúst tibi?

Kampmann. in Annott. ad Rud. p. 30 seqq. *Restituere* pr. in pristinum statum, locum reponere; h. l. ad integritatem morum et sanitatem revocare. *Corrigere* h. l. nativa notione legitur, ut recte animadvertit Dousa Plaut. expll. IV, 21. *Corrigimus* enim prava, luxata, i. e. recta facimus. *Posses* recte emendavit Herm. Vulgo *possis*, quod soloecum. *Misceres.* Tuam ut culpam cum eius culpa coniungeres, consociares; ut etiam tu in illius culpae partem venires.

V. 92. *Dedistine hoc pacto* cet. *Dedistine* pro eo quod usitatius est: *nonne dedisti.* Conf. notata supra ad Captiv. III, 5, 56. *Qui* est ablativus. *Impos animi*, qui animum suum, i. e. cupiditates suas non in sua habet potestate, eas coercere et regere nequit. *Exaedificaret* aedificationem ad finem perduceret. Imago sumta ab aedibus exstrui coeptis. *Non — redderem*; quid caussae fuit, te iudice, cur non redderem? Coniunctivus rem tanquam cogitatam, h. e. ex alicuius sententia hoc vel alio modo se habentem pronunciat. Igitur *non redderem* est: *si te audirem, non redderem?* Cf. praeterea quae supra notavimus ad Captiv. III, 4, 5. Ceterum *reddere* est ἀποδιδόναι, abtragen, abliefern, auszahlen. *Inconciliastine eum.* Hunc locum Festus ob oculos habuisse videtur, apud quem haec leguntur: *Inconciliasti, comparasti, commendasti, vel, ut antiqui, per dolum decepisti.* Recte. Nam *inconciliare* proprie nihil aliud significare potest, nisi *conciliando inducere*, blandimentis, verbis ad persuadendum compositis ad aliquid permovere. Sed habet quoque contrariam notionem, quum praepos. *in* verbis apposita interdum contrariam vim verbo addat. Sic Plaut. Pers. V, 2, 53. *Quia non inconciliavit, quum te emo*, h. e. ut recte interpretatur Lambinus: non adversatus est emtioni, quam qui iuvat *conciliare* dicitur. Magis etiam haec verbi vis apparet Bacch. III, 6, 22. *Ille, quod in se fuit,*

Ille quí mandavit, eum éxturbasti ex aédibus?
Edepól mandatum púlchre et curatúm probe.
Crede huíc tu te; tuam iam melius rem gésserit.
Ca. Subigís maledictis mé tuis, Megarónides,
Novó modo adeo, ut, quód meae concréditumst
Tacitúrnitati clám fidei et fidúciae,
Ne enúnciarem quoíquam, neu facerém palam,
Ut míhi necesse sít iam id tibi concrédere.
Me. Mihi quód credideris, súmes, ubi posíveris.
Ca. Circúmspice dum te, né quis assit árbiter
Nobís; et quaeso idéntidem circúmspice.
Me. Auscúlto, si quid díras. *Ca.* Si taceás, loquar.
Quoniám profectus hínc est peregre Chármides,
Thesaúrum demonstrávit mi hisce in aédibus,
Hic ín conclavi quódam; sed circúmspice.
Me. Nemo ést. *Ca.* Nummorum Phílippeum ad tria míllia.
Id sólus solum pér amicitiam et pér fidem

---

accuratum habuit, quod posset mali facere, et in me inconciliare copias omnes meas; i. e. abalienare, inimicos reddere. Adde Mostell. III, 1, 85. Ceterum *inconciliastine* pro eo quod est, *nonne inc.* Cf. quae paullo ante notavimus. *Ille qui mandavit.* Ita Codd Pall. et vulgo. *Illum qui m.* pleraeque editt. mendose. Notissimum est genus attractionis. Cf. quae diximus ad Captiv. prol. 1. — V. 102. Vulgo: *Crede huic tute: suam iam melius rem gesserit.* Herm. sequente Göllero: *Crede huic tute; hic iam tuam rem melius gesserit.* Both. *Crede huiic tute: tuam rem melius gesserit*, ut v. *huiic* sit disyllabum. Vulgatae consentiunt Codd. Pall. *Suam* plane absonum. Pro *tute* scribendum putavi *tu te*, divisim, quod accusativus requiri videbatur. Ordinem Codd. servavi. *Ut — ut mihi necesse sit;* repetitum *ut* propter longius enunciatum interpositum. *Fides* et *fiducia* h. l. sic differunt, ut *fides* sit dignitas eius, cui creditur; *fiducia* autem constantiam illius virtutis notet. *Mihi quod credideris.* Simile quid supra legitur Mil. Gl. II, 2, 82. *Salva* (consilia concredita mihi) *sumes indidem.* Sententia igitur est: Servabitur tibi, quod mihi credideris, integrum; nemini prodetur. *Ausculto, si quid.* cf. supra ad h. sc. v. 51.

V. 112. *Quoniam* h. l. meram temporis notionem habet, ut fere idem sit, quod *quum, postquam.* Sic Plaut. Aulul. prol. 9. *Is quoniam moritur, ita avido ingenio fuit, nunquam indicare id filio voluit suo.* Cf. etiam Donatum ad Terent. Adelph. prol. init. Ceterum Codd. Pall. cum vulgata: *Quoniam hinc est profectus.* Vt versui succurreret, Herm. scripsit: *Nam quoniam h. e. pr.* Probavi Gölleri emendationem, propterea quod *profectus* vim ac pondus sententiae habere videbatur. — V. 113. Vulgo: *Thesaurum mihi demonstravit in hisce aedibus.* Sed Codd. Pall. v. *mihi* post v. *demonstravit* collocant, quare, leniori transpositione scribendum iudicavi: *Thesaurum demonstravit mi hisce in aedibus.* Idem ordo verborum restituendus est Mostellaria IV, 2, 35. *Non hic Philolaches adulescens habitat hisce in aedibus*, ubi vulgo deest praep. *Revenit.* Familiare Plauto vocabulum. Cf. Captiv.

Flens me óbsecravit suó ne gnato créderem,
Neu quoíquam, unde ad eum id pósset permanáscere.
Nunc si ílle huc salvos révenit, reddam suúm sibi.
Si quíd eo fuerit, cérto illius fíliae,
Quae míhi mandata est, hábeo, dotem únde dem,
Vt eam ín se dignam cóndicionem cóllocem.
Me. Pro di ímmortales, vérbis paucis quám cito
Aliúm fecisti me; álius ad te véneram.
Sed ut óccepisti, pérge porro próloqui.
Ca. Quid tíbi ego dicam? Qui íllius sapiéntiam
Et meám fidelitátem, et celata ómnia
Paene ílle ignavus fúnditus pessúm dedit.
Me. Quidúm? *Ca.* Quia ruri dúm sum ego unos séx dies,
Me abséute atque insciénte, inconsultú meo,
Aedís venalis hásce inscribit lítteris.

II, 3, 87. Mil. Gl. III, 2, 49. Adde Merc. IV, 2, 3. Amphitr. I, 1, 38. ed. m. Saepius legitur apud Apuleium, veluti Metam. VII, 13, fin. ubi vide interpp. *Suum sibi* cf. notata supra ad Captiv. I, 1, 13. *Si quid eo fuerit*, si quid ei acciderit. *Esse* enim, ut *facere*, *fieri*, ablativo iungitur, rem notans, quae in aliquo accidit, ubi nos dicimus: mit iemandem vorgehen; mit iemandem anfangen. *Quid me fiet;* was soll aus mir werden? *Quid te faciam;* was soll ich mit dir anfangen? *Si quid me erit;* wenn etwas mit mir vorgeht. Sic Poen. V, 2, 125. *Si quid me fuat.* Et saepe alibi. *Certo* scribendum e consensu librorum. Bothius et Weisius dederunt *certe*. Nam quanquam apud Terentium et Plautum non magnopere differunt *certe* et *certo*; tamen a Codd. scriptura standum est. Sententia autem est *in tuto habeo, sine metu discriminis habeo*, sic habeo, ut nihil timeam, ich besitze mit Gewissheit, mit Sicherheit. In vv. *dotem unde* hiatus est legitimus et v. *condicio* significat matrimonium, *die Partie, Heirath*, ineundi matrimonii propositionem. Cf. infra ad III, 3, 18. *Perge porro.* Sic hoc coniungere solent scriptores etiam pedestres. Cf. Cic. in Pisou. c. 15. init. *Qui — paene ille — pessum dedit.* Fere idem est, ac si dixisset: *Hic iam — ille ignavus — paene pessum dedit.* Pro *hic* dixit *qui*, ut aliquam tamen ad superiora relationem significaret, tanquam si *nam*, *enim*, vel *scilicet* vel tale quid, quod caussam indicaret, apposuisset. Cf. supra ad Captiv. III, 4, 23. Eodem modo Epid. III, 1, 8. *Qui — is.* — V. 129. *Qui dum*, πῶς δῆτα; wie denn so. Cf. supra ad Captiv. I, 2, 71. *Unos sex dies.* Sic saepe apud Plautum veluti Pseud. I, 1, 52. *Nunc unae quinque remorantur minae.* Quum enim *unus* vulgo dicatur pro *solo*, non mirum est, etiam pluralem hac notione poni. Ceterum *ruri* scripsi cum Herm. licet in omnibus libris *rure;* e Codd. Pall. nihil adnotavit Pareus; ipse ut ceteri *rure.* Quod apud antiquiores vix aliter nisi in motu a loco significando usurpatum fuit, veluti apud Horat. Epist. I, 15, 17. *Rure meo quidcis possum perferre patique. Inscribit litteris.* Libello proposito venales scribebantur domus, item praedia, quod ipsum etiam *proscribere* dici consuevit. Locandae etiam aedes proscribebantur, pendente ex iis tabula indice, quod apud Te-

Me. Adésurivit mágis et inhiavit ácrius
Lupus; óbservavit, dúm dormitarét canes,
Gregem úniversum vóluit secum avórtere.
Ca. Fecísset edepol, ni haéc praesensissét canes.
Sed núnc rogare hoc égo vicissim té volo:
Quid fúit officium meúm me facere, fác sciam.
Utrum índicare me eí thesaurum aequóm fuit,
Advórsum quod me eius óbsecravissét pater;
An ego álium dominum páterer fieri hisce aédibus?
Qui emísset, eius éssetne ea pecúnia?
Emi égomet potius aédis, argentúm dedi
Thesaúri caussa, ut sálvom amico tráderem.
Neque ádeo hasce emi míhi neque usuraé meae:
Illí redemi rúrsum; a me argentúm dedi.
Haec súnt, seu recte, seú pervorse fácta sunt;
Egomét fecisse cónfiteor, Megarónides.
En meá tibi malefacta; én meam avaritiám tibi.
Hascíne propter res máledicas famás ferunt?
Me. Pausá. Vicisti cástigatorém tuum;

---

rentium *aedes mercede inscribere* dicitur. Cf. Terent. Heautont. 1, 1, 92. — V. 132. *Magis et inhiavit.* Ita recte Codd. atque editt. *Inhiavit* trisyllabum est. Cf. Vil. Ad. Becker. in Ant. Plaut. generatim explicatae part. 1, pag. 13. Adde quae supra dixi ad Trin. 1, 1, 9. *Voluit secum.* Codd. *voluit totum;* Camerar. *voluit tecum*, atque ita vett. editt. Recte Acidalius *secum*, quem secutus est Hermannus. Both. posuit: *universim voluit totum. Canes.* Ita Codd. et vett. editt. omnes, nisi quod pluralem verbi *dormitarent*, addunt. Sed iidem *praesensisset* sing. exhibent. De nominativo sing. *canes* cf. Varro de L. L. VI, p. 319 seq. ed. Sp. Charis. p. 72. ed. m. Schneider. Lateinische Gramm. Formenl. I, pag. 468. — V. 136. *Rogare hoc.* Abest pronomen a vulgata et edd. o. nec minus a Codd. Pall. Addidit Herm., quem sequitur Göllerus, hiatus vitandi causa. Rarissime invenitur hiatus in brevi syllaba, hoc quidem versus loco. Tum v. seq. libri omnes *face sciam;* Herm. scripsit *fac sciam*, non sine causa. Nam haec formula *fac sciam* in fine versuum sine varietate saepe apud Plautum recurrit, ut Curcul. V, 2, 19. *Advorsum quod;* cui rei contrarium pater me rogasset. Acidalius eadem ratione dictum esse putat, qua *praeter quod*, *prae quod.* Sed Codd. Pall. exhibent *adversum quam*, quam formulam Gronov. ad Liv. XXX, 10, 4. cum formula *contra quam* comparavit. Mihi quidem et alienum videtur *adversum quam*, et non satis testatum. Contra *adversum quod* sententia eadem, atque apud Plautum, legitur apud Liv. XXXII, 2. *adversus quod iis, in fidem P. R. venientibus, cum L Marcio Septimo convenisset.* — V. 149. *Maledicas famas ferunt.* Vulgo: *Hascine me propter res maledicta differunt.* Sed MSS. *maledictas famas ferunt*, servato pron. in supp. Emendavit Hermannus. *Serunt* pro *ferunt* malebat Bothius, quo non est opus. *Famas* plurali numero citatur e Sallustio a Seneca Epist. 114.

V. 150. *Pausa.* Haec vox apud antiquissimos scriptores inve-

Occlústi linguam; níhil est, qui respóndeam.
Ca. Nunc égo te quaeso, ut me ópera et consilió iuves,
Commúnicesque hanc mécum meam províuciam.
Me. Pollíceor operam. *Ca.* Ergo úbi eris paullo póst?
Me. Domi.
Ca. Numquíd vis? *Me.* Cures tuám fidem. *Ca.* Fit sédulo.
Me. Sed quíd ais? *Ca.* Quid vis? *Me.* 'Ubi nunc adulescéns habet?
Ca. Postículum hoc recépit, quom aedis véndidit.
Me. Istúc volebam scíre, i sane núnc ïam.
Sed quíd ais? *Ca.* Quid? *Me.* Nunc vírgo nempe apud te ést. *Ca.* Ita est;
Iuxtáque eam curo cúm mea. *Me.* Recté facis.
Ca. Num quíd, priusquam abeo, mé rogaturú's? *Me.* Vale.
Nihil ést profecto stúltius, neque stólidius,
Neque méndaciloquiús, neque argutúm magis,

---

nitur, et qui priscos imitati sunt, veluti apud Apuleium, Gellium. Nonius p. 158. haec: *Pausa est quies alicuius rei. Accius Epigono: Sed iam Amphilochum huc vadere cerno, et nobis datur bona pausa loquendi. Lucilius Satirarum libro I: Haec ubi dicta dedit pausam facit ore loquendi.* Praeterea legitur apud Ennium et Lucretium, item in fragmm. Corn. Nepotis et quidem in Epistola Corneliae, Gracchorum matris c. 2. Detortum est a Graeco παῦσις. Sed h. l. ultima producta imperativum verbi *pausare* arguit.

V. 153. *Communicesque* cet. *Communicare aliquid cum aliquo* dicitur non solum qui suam rem communem facit, sed etiam qui alterius rem ut communem suscipit. Gronov. *Numquid vis.* Cf. notata supra ad Captiv. I, 2, 88. *Cures tuam fidem.* Ut persuasionem, quam de te alii habent, non laedas, non minuas. *Sed quid ais.* Formula eorum, qui ad aliud transeuntes in colloquio, de illo iam praecipue alterius sententiam sciscitantur. Aber was wirst du *dazu* sagen. Was meinst du *dazu.* Was hast du *darauf* zu antworten. Cf. Menaechm. I, 2, 52. Amphitr. II, 1, 73. et paullo post v. 159. *Habet*, saepe pro *habitat* apud Plautum. Usurpasse etiam Cicero creditur. Cf. Ernesti Clav. Cic. s. h. v. Adde infra Trin. II, 2, 115. *Recepit* interpretatur Nonius p. 384. *exceptum fecit.* Diligentius A. Gellius XVII, 6. *Quum aedis vendidit, particulam quandam, quae post eas aedis erat, non vendidit, sed retinuit.* Ceterum citatur hic locus a Nonio l. c. et p. 54. et ab eodem Gellio item l. c. Apud Nonium priore loco *venderet*, sed recte altero. Verba: *Iuxtaque eam curo cum mea;* affert Nonius p. 322. vocem *iuxta* explicans *similiter.* — V. 161. Vulgo *Num priusquam* omisso *quid.* Herm. *Num etiam priusquam.* Sed requiritur obiectum verbi *rogaturus.* Nec Plautinum est *num rogas*, pro eo quod est *numquid rogas*, nec dicitur *num vis* pro eo quod est *num quid vis.*

V. 163. *Argutus* dicitur, qui saepe arguendo, coniectando recte iam arguere, coniectare didicit. Tum qui celeriter excogitare et proloqui potest, quae oportet, quaeve libet. In utram-

Neque cónfidentilóquius, neque periúrius,
Quam urbáni assidui cíves, quos scurrás vocant.
Atque égomet me adeo cum íllis una ibidém traho,
Qui illórum verbis fálsis acceptór fui:
Qui omnía se simulant scire, nec quidquám sciunt.
Quod quísque in animo hábet aut habiturúst, sciunt:
Sciunt íd quod in aurem réx reginae díxerit;
Sciúnt, quod Iuno fábulata est cúm Iove;
Quae néque futura néque facta, illi sciúnt tamen.
Falsón' an vero laúdent, culpent, quém velint,
Non flócci faciunt; dum íllud, quod lubeát, sciant.
Omnés mortales núnc hunc aibant Cálliclem
Indígnum civitáte ac sese vívere,
Bonís qui hunc adulescéntem evortissét suis.
Ego de eórum verbis fámigeratorum ínscius
Prosílui amícum cástigatum innóxium.
Quod si éxquiratur úsque ab stirpe auctóritas,
Vnde quídque auditum dícant, nisi id appáreat,

---

que igitur partem accipitur. Erfinderisch. Lügenhaft. *Urbani assidui cives.* Assiduos ab assidendo dici, qui semper assideant in conciliabulis et desidiabulis, ubi garriendo et criminando alios bonas horas perdant, recte interpretatus est Dousa Plaut expl. IV, 22. *Scurrae.* Primum quidem satis honesto sensu dicebantur homines urbano otio affluentes et ad iocandum ridendumque apti et parati. Postea inhonesto sensu dici coeptum est vocabulum de his, qui non habita ratione verecundiae et dignitatis risum a sodalibus captarent. Spassmacher, Zungendrescher. *Una ibidem traho.* Cf. quae notavimus infra ad II, 4, 10 *Quod quisque in animo habet.* Hiatus, de quo cf. Lingius de h. in Quaestt. Plaut p. 13. *Sciunt id quod.* Sic vulgata cum Codd. Pall. Dederat Herm. *Sciunt, quid in aurem. Sciunt quod Iuno* cet. Non abs re comparare iubemur quae Theocritus de curiositate mulierum dicit in Ἀδωνιαζούσαις v. 64. Πάντα γυναῖκες ἴσαντι, καὶ ὡς Ζεὺς ἀγάγεθ' Ἥραν. *Quae neque* cet. Bentleius in schediasmate de metris Terentianis p. 16. quum vulgo sine metro legeretur: *Quae neque futura, neque facta sunt, tamen illi sciunt,* legendum suasit: *Quae neque futura, neque sunt, tamen i. sc.* Hermannus *Quae* omisit et locum transpositione persanavisse sibi visus est. Erroris fontem esse ego putavi, quod *sunt* tanquam necessarium adderent librarii. *Tamen* extremo versu positum satis familiare Plauto, quod ipsum quoque erroris ansam dare potuit. — V. 176. *Ac sese.* Ita Gulielm. Veris. I, 24. Vulgo: *hac esse et.* Codd. Pall. *hac esset v.* Plane absonum est *civitate hac.* Non enim credibile est, Athenienses de urbe sua tam bene sensisse, ut hominem avarum et fraudulentum tanquam unicum in civitate flagitii exemplum essent exosi. Civitas est *ius civitatis.*

V. 181. Vulgo *Vnde quicquid.* Ex Parei adnot. ad hunc locum non satis manifestum est, quid legatur in Codd. Pall. Legendum sine dubio *quidque*, quod solenni errore cum illo con-

Famígeratori rés sit cnm damno ét malo.
Hoc íta si fiat, públíco fiát bono.
Paucí sint faxim, quí sciant, quod nésciunt,
Occlúsioremque hábeant stultiloquéntiam.

ACTVS II. SCENA I.

Lysiteles.

Multás res simítu in meó corde vórso,
Multum ín cogitando dolórem indipíscor;
Ego me ét concoquo, ét macero, ét defetígo.
Magíster mihi éxercitór animus híc est.
Sed hóc non liquét, nec satís cogitátumst,
Vtrám potius hárum mihi ártem expetéssam;
Vtram aétati agúndae arbitrér firmiórem;
Amórine me án rei obsequí potius pár sit;

---

funditur. — *Famigeratori.* Vulgata ex Guliel. emendatione fluxit. Codd. Pall. *Famigerator ire sit.* Acidalius volebat: *Famigeratoris res sit.* Sed „usitatum loquendi genus in litibus et iudiciis maxime: *res mihi cum eo est.* De quibus hic Plautus quum ageret, occasionem sumsit lepidissimi ioci: *res cum malo ei sit*, pro quo usitate dicimus: *malum habeat.*“ Verba sunt I. Gulielmi Quaest. in Trin. c. I. *Pauci sint, faxim.* Cf. supra notata ad Captiv. prol. 65.

Act. II. Sc. I. Lysitelis, Philtonis filius, qui Lesbonici sororem, filiam profecti Charmidis, uxorem ducere cupit, iculariter secum de amore expostulat eique se in posterum valedicturum ait. Est haec scena ex iis antiquitatis reliquiis, quarum si fecissemus iacturam in tot tantisque aliis naufragiis, peius etiam de bonis litteris actum esset. Metrum ab initio est bacchiacum. Tota scena canticum est.

V. I. *Simitu* quum hucusque pro anapaesto habitum esset, bene de Plauto meritus est Kampmannus, qui in Rebus Plauti Militar. pag. 34. demonstravit, apud Plautum et antiquiores *simitu* penultimam producere. Qua de causa h. l. ordo vulgatus, qui est omnium librorum: *Multas res simitu*, servandus fuit, nec verba transponenda, quemadmodum fecerunt Hermannus, Bothius aliique et ipse egomet in prioribus editt. meis. *Magister mihi exercitor.* Magister exercitor dicitur, qui exercet. Sunt enim *exercitores*, qui adolescentes in gymnasiis exercebant, παιδοτρίβαι, προγυμνασταί, saepenumero acres monitores et exactores. Ultima in *exercitor* producitur. Cf. supra ad Captiv. IV, 2, 11. *Hic est.* Vulgo *hinc est.* Male. Hoc enim dicit, animum suum sibi esse acrem exactorem, se ab animo suo vehementer vexari. *Animus* autem est h. l. in universum *vis cogitandi.* Itaque idem dicit, atque supra: multum in cogitando dolorem indipiscor. *Ars* est vitae ratio; via, quam quis in vita agenda ingreditur. Veluti apud Horatium Carm. III, 3, 9. *Hac arte Pollux et vagus Hercules Enisus, arces attigit igneas.* — *Rei obsequi* est rei familiari operam dare, nachgehen; ut *lucro obsequi*, dem Gewinne

Vtra ín parte plús sit volúptatis vítae
Ad aétatem agúndam.
De hac ré mihi satis haúd liquet, nisi hóc si faciam, opínor:
Vtrámque rem simul éxputem; iudéx sim reusque ad eám rem.
Itá faciam, ita placét.
'Omnium primum amóris artis, quemádmodum expediant, éloquar.
Núnquam amor quémquam nísi cupidum hóminem póstulat cónicere ín plagas;
'Eos cupit, eos cónsectatur, eís blanditur súbdole.
'Ab re consulit bláudiloquentulus, méndax, cuppes, hárpago,
Látebricolarum hominúm corruptor, déspoliator élegans.

---

nachgehen. Magis tamen verbum *obsequi* per zeugma, quod dicitur, utrique substantivo aptatum videtur. *Voluptatis vitae ad aetatem agundam.* Vulgo inverso ordine *voluptatis sit vitae. Voluptas vitae* pro una notione accipienda sunt, tanquam si uno vocabulo dixisset, *Lebensglück.* Verba autem *ad aetatem agundam* significant *ad reliquam aetatem agundam, in posterum.* Auf welcher Seite mehr Lebensglück gewonnen werden könne für die Folgezeit.

V. 11. Ab hoc versu numerus mutatur sequunturque primum duo iambici septenarii, de quibus cf. Herm. Elem. doctrin. metr. pag. 149 seqq., quos excipit clausula iambica. Porro usque ad versum 19. leguntur trochaici tetrametri catalectici, quos, transpositis aliquot verbis, de Codicum scriptura exhibuimus. Tum versu 20. per bacchiacum tetrametrum fit transitus ad creticos, in quibus emendandis Hermannus felicem operam posuerat, Elem. d. metr. pag. 212. — Versu 29. per iambicum monometrum ad trochaicos tetrametros; quo facto systema totum v. 33. clausula bacchiaca finitur. — *Nisi hoc si faciam.* Ita dedi ex Codd. Pall.; vulgo *nisi hoc sic.* Formula *nisi si* Plauto perquam familiaris. *Omnium* disyllabum est; similiter disyllaba sunt *sarriunt* Captiv. III, 5, 5. *ambiunt* Mil. I, 1, 69. Tum vulgo inverso ordine: *eloquar quemadmodum expediant*, sed structura pariter atque metrum transpositionem commendat. — V. 15. Vulgo: *postulat se in plagas coniicere.* In quibus *se* et metro et sententiae officit. Sententia enim est: *Amor postulat in plagas coniicere non nisi cupidos homines*, h. e. Amor neminem, nisi cupidos homines, in suas plagas adigere potest. A venatione ducta metaphora. Ridiculum est, optare venatores, ut ferae se ipsae in plagas coniiciant, quas potius amant in plagas compellere. Etenim qualis esset ista venandi voluptas, si ferae sponte in retia coirent? Hanc quidem vehementer recusaturi essent venatores. Non potuit ita Plautus scribere. *Conicere* Codd. Palatt. — V. 16. Vulgo: *subdole blanditur,* omisso pronomine, quod cum ordo a librario mutaretur facile perire potuit. — V. 17. Vulgo: *harpago, mendax, cuppes, avarus.* Interpretamentum *avarus* de loco indicium facit, ubi *harpago* positum fuerit; quare suo loco reposui. *Ab re consulere* recte ostendit Dousa contra Lambinum significare idem quod pestiferum consilium dare atque, contrarium esse eius, quod est *in rem consulere. Cuppes* est qui cupedia amat, lautioribus cibis inhiat. — V. 18. Vulgo inverso ordine: *Elegans*

Blándus inops, celátum indagátor. Nam quom quísque amat,
Quom éxtemplo sávi sagíttis percússust;
Íllico rés foras lábitur, líquitur.

---

despoliator latebricolarum hominum corruptor. Ordo immutandus erat non metro tantum, verum etiam sententia indicium faciente. Nam si quid video *latebricolae homines* non in vitio ponuntur, sed honesto sensu appellantur, qui ab hominum consortio remoti sibi vivunt, quique tamen eleganter despoliantur ab Amore. *Elegantia* vero quo sensu apud antiquiores Romanos dicta sit, testis est A. Gellius XI, 2. Sententia igitur est: Etiam in hos homines, qui ab hominum consortio remoti sibi vivere videntur, Amor potentiam suam exhibet, elegantiae specie eos alliciens atque ita despolians. — V. 19. *Celatum indagator*, vulgo *celati indagator*, sed Codd. Pall. *celatum*, quod aut accusativus sing. aut genitivus pluralis est. Accusativum esse ut statuamus, persuadet analogia Plautinae consuetudinis. Tametsi enim quae afferuntur exempla structurae substantivorum verbalium cum casu verbi, pleraque sunt verbalia in *io* desinentia, veluti: *quid tibi hanc curatio est rem* Amphitr. I, 3, 21.; tamen credibile est, hoc genus latius patuisse. — *Nam quom quisque amat.* Ita scripsi Goellerum secutus, qui tamen *quam* adiecit. Codd. Pall. exhibent: *Nam quam* (Cod. Dec. *quis*) *ad quod damat.* Vnde vulgo secundum Camerarii inventum: *nam qui ab eo quod amat.* Cod. Palimps. Ambr. *nam qui amat quod amat.* Mihi ponendum videbatur, quod metrum postularet. Ceterum nemo est, qui quidem rationem veteris scripturae noverit, quin mecum intelligat, quam facile *ad quod* et *quisque* confundi potuerint. In sententiis quae cogitata tantum enunciant, inprimis post vv. *ut* et *ubi* et *cum*, pronomen *quisque* usitatum. Exempla attulit Goellerus Bacch. III, 3, 67. *ubi quemque attigit.* Curcul. I, 1, 59. *Vt quaeque illi occasio est.* Adde Captiv. III, 2, 4. *Vbi quisque vident.* — V. 20. *Quom extemplo savi sagittis percussust.* Hanc palmariam Hermanni emendationem qui non ambabus manibus susceperunt, profecto omni elegantiae sensu caruisse putandi sunt. Vulgo enim legitur: *Quam extemplo saviis sagittatis percussus est.* Ac primum quidem *quom extemplo* recte tuitus est G. A. Beckerus, prof. Lips. V. Clariss. in Antiq. Plaut. generatim expl. I, pag. 15. citans exempla Rud. IV, 3, 40. Trin. III, 2, 99. Bacch. II, 3, 70. Captiv. II, 3, 74. Ibid. IV, 2, 6. Tum MSS. Pall. exhibent *suvis sagittatis*, quod Plautum scripsisse non est credibile. Nam licet concedamus, v. *sagittatis* corripere posse duas priores syllabas, quod recte ostendit Kampmannus, V. Cl., in dissertatione de rebus Plauti militaribus pag. 36., idem animadvertente G. A. Beckero loco supra citato; tamen quin hoc loco idem fiat, impedit v. *saviis*, quod non aliter nisi trisyllabum proferri debuit. Plautus enim constanter hanc legem observasse videtur, ut dativum et ablativum pluralem in *iis* desinentem nunquam contracta syllaba enunciaret, excepta *dis* voce et excepto *iis* pronomine, quod tamen apud Plautum semper *eis* scribendum videtur. Contra genitivum singularem in *ii* desinentem non aliter protulisse videtur idem, nisi per unam syllabam, veluti *consili* Epid. I, 2, 49. Poen. I, 1, 2. Stich. IV, 1, 72. *Mercuri* Amphitr. prol. 20. ubi vide quae notavi. *ingeni* Stich. I, 2, 69. et alibi. Quare sine dubio recte scripsit Hermannus *savi sagittis.* Ceterum *Quom* non

Dá mihi hoc mél meum, sí me amas, si aúdes.
'Ibi ille cucúlus: o océlle mi fíat;
'Et istuc et si ámplius vís dari, dábitur.
'Illa pendentém ferit, iam ámplius órat.
Nón satis id ést mali, ni ámpliust étiam,
Quód bibit, quód comest, quód facit súmpti.
Nóx datur; dúcitur fámilia tóta:
Vestíplicae,
'Vnctor, auri cústos, flabellíferae, sandalígerulae,
Cántrices, cistéllatrices, núncii, renúncii,
Pánis et pení raptores; ípse dum illis cómis est
Inóps fit amátor.
Haec égo quom ago cúm meo animo, et récolo, ubi qui egét, quam

eliditur. — V. 22. *Si audes* tuentur Codd. Pall. *sodes* scripserat Cam. *Audes* pro eo quod est *audies* videtur esse antiqua futuri forma verbi *audere* pro *audire* ad tertiam coni. deflexa. Cf. Priscian. XIII, 3. Kr. ubi eadem formula *si audes* citatur e Plauti Vidularia. — V. 23. *Ibi ille cuculus.* Sic vulgo. Hermannus *tum* interposuit. Exemplum non elisae ultimae in v. *ibi* legitur Mostell. V, 2, 57. *Ibi utrumque et hoc et illud poteris ulcisci probe.* Ceterum formula *ibi tum* Plauto non inusitata quidem, sed rarior et fortasse nusquam certa. Quare non dubitavi, hiatum in vv. *Ibi ille* admittere. Tum *o ocelle* scripsi e vestigio V. C. Cam. qui *occelle.* Simili modo *o ocellus* exhibetur Mostell. I, 4, 12. ubi Codd. Pall. *o hocellus.* Quemadmodum isto Mostellariae loco balbuties hominis ebrii exprimitur, sic hoc Trinummi loco stuporem hominis amantis poeta balbutiendo expressisse videtur. *Cuculus* penultima producta, ut semper apud probatiores poetas. Plaut. Asin. V, 2, 72. Horat. Sat. I, 7, 30. Est autem *cuculus* solemnis appellatio hominis stupidi ac stolide se gerentis. cf. Acidalius ad h. l. — V. 25. Vulgo: *Ibi illa pendentem.* Herm. *Ibi pend.* Sed mihi videtur illud *ibi* ex superioribus huc male retractum. *Illa* autem pyrrhichius est. In vv. *pendentem fecit* alluditur ad gravissimam illam servorum poenam, qui pendentes, h. e. de clavo aut tigillo suspensi virgis caedi solebant. — V. 26. *Satis* pro *sat* praeeunte Herm. et metro iubente scriptum est. — V. 27. Vulgo *Quod ebibit.* Pall. Codd. *Quod ebebit.* Citatur hic versus a Nonio duobus locis pag. 81. et pag. 484. quorum altero nunc legitur *et bibit*, altero *ebibit.* Cf. Gerlachii et Rothii edit. pagg. 58. et 330. — V. 29. *Vestiplicae* e Codd. Pall. scribendum erat. Vulgo *Vestispicae.* Nonius pag. 12. *Vestispici.* Sed idem Nonius ibid. ex Afranio et Varrone femininam formam excitat. Cf. Boettiger Sabina pag. 349. Versus est iambicus monometer, transitum faciens ad trochaeos, quos excipit clausula bacchiaca. — V. 32. 33. Hi versus vulgo sic leguntur: *Raptores panis et peni. Fit ipse dum illis comis est Inops amator.* Hermanni rationem, levi transpositione versus aptissimos restituentis, secutus sum.

V. 34. Sequuntur bacchiaci tres, quos excipit trochaicus tetrameter catalecticus; inde rursus duo bacchiaci. Tum inde a v. 41.

Pretí sit parvi; á me apage, amór; non placés, nil
Te útor; quamquam íllud dulce ést, esse et bíbere.
'Amor amara dát tibi, satis quod aégre sit; fugít forum,
Fugát tuos cognátos, fugát ipse se á suo
Contú'u; neque eúm sibi volúnt dici amícum.
Mílle modis amor ígnorandust, prócul habendust, abstinendust.
Nám qui in amorem praécipitavit, péius perit, quasi sáxo saliat.
'Apage, sis, amor; tuás res tibi habe, amór; mi amicus né fuas unquam.
Súnt tamen, quos miseros male habeas, quós tibi obnoxiós fecisti.

---

leguntur trochaici tetrametri acatalecti quattuor, unde numerus ad creticos redit. *Haec ego quom ago.* Hermannus metro succurrendum ratus scripsit *agito*, quod verum esset, si poeta scripsisset: *Haec ego quom animo agito.* Nam *animo agitare*, non *animo agere* dicitur, hac sententia, ut fere idem sit, quod *animo volvere.* Contra *agere cum aliquo*, non *agitare cum aliquo*, dicendum, ubi sententia est haec: *tractare cum aliquo de re quadam*, unterhandeln. Qua de causa MSS. lectio *ago* servanda et *quom* sine elisione pronunciandum est. *Ubi qui eget.* In his *qui* indefinitum est. Sententia enim est: *quam parvi pretii sit, quum quis eget.* — V. 36. *Te utor* libri omnes, hiatum admittentes, ad quem vitandum Herm. interposuit *ego*, quod pro vero habere non ausim. V. 38. *Fugat ipse se a suo contutu.* Ordo vulgatus non erat mutandus, quum ultima v. *fugat* recte producatur. Cf. quae notavi ad Captiv. prol. v. 9. et Kampmann. in dissertat. quae inscr. Annot. ad Plauti Rud. p. 7 seqq. Ceterum sententia est: Amor suo se adspectui subducit, h. e. amantes suo se, si fieri posset, conspectu subducere et semet ipsos effugere vellent. — V. 39 Vulgo: *neque enim eum sibi amicum volunt dici.* Sed *enim* abest a C. V. Cam., et ordinem verum metro iubente restituit Herm. — V. 40. Vulgo: *procul adhibendus est atque abstinendus.* Docet metri ratio, *atque* eiiciendum esse. Pro v. *adhibendus* Acidalius *abhibendus* putabat rescribi posse, verbo inusitato, probe ille quidem sentiens, *procul adhibere* ne dici quidem posse; quod enim *adhibetur*, *procul* esse non potest. Quare non dubito, scribendum esse, quod dedi: *procul habendust*, *abstinendust.* Cf. Tacit. Annal. I, 1 fin. *Sine ira et studio, quorum causas procul habeo*, h. e. ab animo meo removi. Error scripturae ortus ex verbo sequenti. *Abstinere aliquid* non raro dicitur apud Plautum, veluti Menaechm. V, 6, 20. *Metum ut mi adhibeam, culpam abstineam.* — V. 41. *Quam si saxo saliat* exhibet vulgata, nec aliter codd. Pall. frequenti errore. Cf. quae notavimus ad Mil. II, 6, 2. — V. 42. *Tuas res tibi habe* verba sunt in divortiis solemnia, quum maritus uxori res tradit, quae sunt illius. Itaque *aliquam res suas habere iubere* est devortium facere, valedicere alicui. Cf. Brisson. de Formulis et sol. P. R. vv. pag. 722. — V. 43 *Quos miseros maleque habeas.* Ita vulgo contra usum Plauti, qui adverbia adiectivis adiungere solet sine coniunctione, in hunc modum, veluti est Stich. I, 3, 57. *Ita me mancupia miserum adfecerunt male.* Licet enim non ignorem, et *miserum habere* et *male habere aliquem* apud Plautum legi; tamen haec

Cértum, ad frugem ápplicare ánimum, quamquam íbi animo
Labós grandis cápitur.
Bóni sibi haec éxpetunt, rém, fidem, honórem,
Glóriam et grátiam; hóc probis prétiumst.
Eó mihi mágis lubet cúm probis pótius,
Quam cum ímprobis vívere vánidicis.

ACTVS II. SCENA II.

Philto, Lysiteles.

Ph. Quo íllic homo fóras se penetravit ex aédibus?
Ly. Pater, ássum, imperá, quod vis, néque ero in morá, nec
Latébrose me ábs tuo conspéctu occultábo.
Ph. Féceris pár tuis céteris fáctis, si
Tuúm patrem pércoles. Pér pietatém tuam,

---

ita coniunctim dici nego, ut copula interponatur. Quod non magis fieri potuisse persuasum habeo, quam pro *malam rem magnam mittere* si quis dictum velit: *malam rem et magnam m.* Cf. Pseud. 1, 3, 5. Scripsi igitur: *quos miseros male habeas*, h. e. quos, cum sint miseri, insuper male tractes et crucies. — V. 44. Vulgo *certumst.* Sed versus est creticus tetrameter. — V. 45. Bacch. est dimeter, quem sequuntur tres cretici tetrametri catalectici, quales supra legimus h. sc. v 23. Finitur totum systema clausula non inusitata, quae constat diiambo et penthemimere dactylico. — V. 46. *Boni sibi haec.* Scripserat Herm. *Sibi boni haec.* Bothius: *Haec sibi boni*, uterque non recordatus, *boni* esse pro monos. quemadmodum omnes casus adiectivorum *bonus* et *malus* pariterque adverbia *bene* et *male.* In v. *fidem* ultima non colliquescit, quemadmodum in v. *gratiam.* *Magis lubet — potius.* Cf. quae supra notavi ad Captiv. III, 4, 111.

Act. II. Sc. II. Lysitelem Philto pater supervenit. Post varias praeceptorum et hortationum ambages tandem a filio rogatur pater, ut filio sororem Lesbonici in matrimonium poscat, quod pater in se recipit. Metrum primi versus est creticum, duorum sequentium bacchiacum, tum sex sequuntur cretici tetrametri. *Foras se penetravit.* Haec est lectio omnium librorum, quam immutaverunt qui nescirent vel non meminissent, *foras* esse monosyllabum. Cf. Epid. III, 4, 36. Poen. V, 5, 4. Stich. IV, 2, 17. 18. ubi *foras* et *foris* pro monosyllabis sunt: *Quid foras? Foras hércle vero. Qui malum, tibi lassó libet Fóris coenáre?* Vbi una legitur *foras* disyll. Adde Stich. V, 4, 55. *Se penetrare* saepe apud Plautum, ut *se aliquo conferre;* sic infra h. sc. v. 16. cf. Nonius, p. 374., ubi hic locus excitatur. Eodem modo dicitur *migrare se*, infra III, 2, 13. *Latebrose me abs tuo.* Penultima voc. *latebrae* apud Plautum plerumque corripitur. Qua de causa Herm. scripsit: *Latebróse me ego ábs tuo.* Neque tamen dubito, in his canticis lyricorum licentia usum esse poetam. *Feceris*, facies ex mea quidem sententia. Cf. quae notav. ad Captiv. II, 2, 64. *Per pietatem*, notissima obsecrandi formula, paullum mutata, quum sequatur *nolo*, pro *obsecrandi* verbo.

Nólo ego cum ímprobis té viris, gnáte mi,
'In via néque foro ullúm sermonem éxsequi.
Nóvi ego hoc saéculum, móribus quíbus siet.
Málus bonum málum esse volt, símilis ut sít sui.
Túrbant, miscent móres; malus, rapáx, avarus, ínvidus;
Sácrum profanum, públicum privátum habent, hiúlca gens.
Haéc ego doleo; haec súnt, quae excruciant; haéc dies, noctís tibi
Cánto, ut caveas. Quód manu haud queunt tángere, tantum fás habent,
Quó manus abstíneant; caeterá rape, trahe, fuge, ét late.
Lácrumas haec mihí, quom video, elíciunt, quia ego ad hóc genus
Hóminum duraví. Quin prius me ad plúris penetraví? Nam hi
Móres maiorúm collaudant; eósdem, quos laudánt, lutant.
Hísce ego te ártibus grátiam fácio,

V. 9. *Esse* pyrrhichius est, ut saepe. Cf. Capt. II, 1, 53. Merc. V, 4, 2. Rud. III, 1, 12. Men. V, 4, 1.

V. 10. Inde ab hoc versu numeri trochaici. Nominativi *malus*, *rapax*, *avarus*, *invidus* absolute sunt positi, ad indicandam orationis vehementiam et animi commotionem; pr. enim dicendum erat: *alius est malus*, *alius rapax* et reliqua. *Canto*, saepius repeto, quasi cantilenam, quae memoria tenetur. *Quo manus abstineant;* nefas habent, manibus contingere, rapere. *Duravi*, vitam produxi. *Quin*, cur non. Cf. supra notata ad Mil. II, 5, 16. *Ad plures se penetrare*, ad manes migrare, ad mortuos, ad quos omnes tandem deferuntur. Sic apud Graecos οἱ πλείονες, pro οἱ τετελευτηκότες. Cf. Parei lexicon v. *plures*. De formula sè penetrare cf. supra ad h. sc. v. 1. — V. 16. 17. *Nam hi mores maiorum laudant: eosdem lutulant*, *quos collaudant.* Sic vulgo. Recte emendavit Hermannus, uti dedimus, nisi quod is *Nam ii*, quo non est opus, cum libri omnes *nam hi*. *Nam* in thesi non elisum haud sine exemplo est, veluti Poen. V, 2, 94. ubi contra Codd. editur: *Namque haud repudio.* Saepius in arsi *nam* non elisum invenitur, ut Merc. II, 2, 54. *nám ibi mihi negotiumst.* Poen. IV, 2, 104. *Nám et hoc docte cónsulendum.* Similiter saepe *cum* praep., *quom* coni., *dum* et *iam* et in arsi et in thesi non eliduntur apud Plautum. Pro *lutulant* Codd. Pall. *latilant*. Vtrumque nihili verbum. Ordo verborum a librariis immutatus, quod verba: *quos collaudant*, quae exciderant, quapropter etiam in aliquot codd. et edd. desunt, postea alieno loco reposita sunt. Apertum quoque est, poetam parechesim quaesivisse in vv. *laudant* et *lutant*, qui lusus magna ex parte perit, si vulgata retineatur.

V. 18. Hic denuo numerus mutatur. Et primum sequuntur tres cretici tetrametri catalectici, quorum supra exemplum legimus. Tum sequuntur duo iambici septenarii, quorum in priore caesura usitata est neglecta, de quo genere cf. Herm. in Elem. doctr. metr. pag. 152. Finitur canticum duobus trimetris choriambicis catalecticis in disyllabum, qui constant duobus choriambicis et trochaeo sive spondeo, quod genus Hermannus in Elem.

Neú colas, néve eis ímbuas ingénium.
Meó modo et móribus vívito antíquis.
Quae égo tibi praecípio, haec facito; níhil ego moror ístos
Facétos mores túrbidos, quibús boni dedecoránt se.
Haéc tibi si mea ímperia capésses,
Múlta bona in péctore consídent.
Ly. Sémper ego usque ad hánc aetatem ab íneunte adulescéntia
Tuó servivi sérvitutem império et praeceptís pater.
Pro íngenio, ego me líberum esse rátus sum; pro imperió tuo
Méum animum tibi sérvitutem sérvire aequom cénsui.
Ph. Quí homo cum animo inde áb ineunte aetáte depugnát suo,
'Vtrum is itane esse mávelit, ut eum áuimus aequom cénseat,
'An ita potius, út parentes éum esse et cognatí velint:
Si ánimus hominem pépulit, actumst; áuimo servit, nón sibi.

---

d. m. pag. 429. nondum cognoverat. — *Hisce ego te artibus.* Bothius scripsit: *Hisce ego de art.* satis probabiliter, quum *gratiam facere de aliqua re* satis sit frequens; sed pronomen necessarium esse videtur. Quare adducor ut credam *gratiam facere aliquem aliqua re* dixisse Plautum, ut *condonare aliquem al. re.* — V. 19. *eis* additum et sententia et metro postulante. Similiter supra II, 1, 16. in vv. *eis blanditur subdole* idem pronomen addendum erat. *Imbuas* disyllabum est, ut in v. *tueri* inque eius compositis et derivatis *u* saepe per synizesim eliditur. Cf. quae diximus in libello de v. prosodia. — V. 21. *Quae* non eliditur. Pro vv. *haec facito* vulgo *ea facito;* Pareus legit *et facito.* Et quemadmodum pro v. *praecipio* Pall. codd. *praecipito*, sic contra pro v. *facetos* in iisdem codd. legitur *faceos. Faceti autem mores turbidi* sunt elegantes quidem et qui facile se commendent, sed revera turbati, veluti aqua luto admixto turbata. Supra v. 10. *turbant*, *miscent mores.* Ceterum vulgo legitur *Fatuos mores turbidos*, quod Aldina dedisse videtur prima.

V. 25. Inde ab hoc versu usque ad scenae finem sequuntur trochaici tetrametri catalectici. *Pro ingenio*, pro natura mihi ingenita. *Animus* est quaevis libido; affectus a ratione alienus. Sic in notissima ista formula *animi caussa*, aus Lust, aus Neigung. Atque tunc quidem animus *rationi* opponitur. Eodem modo dicitur *animo obsequi.* — V. 30. *Vtrum is itane esse.* Ita vulgata recte. MSS. Pall. *Vtrum id itane esse.* Herm. dederat: *Vtrum is ita esse.* Sed metrum non obstat, quin legatur *itane*, cum v. *esse* sit pro pyrrhichio. De formula *utrumne — an* vel *utrum — ne — an* cf. quae supra dixi ad Capt. II, 2, 18. Adde Cic. Tuscul. dispp. IV, 27. *Pepulit*, quod Herm. emendavit pro v. *perpulit*, significat: *in fugam convertit*, *superavit.* Er hat ihn geschlagen, i. e. besiegt, überwunden. *Perpulit* utrobique vulgata. Codd. Pall. priori loco *perpulit*, altero *pepulit.* Tum vulgo: *dum vivit*, atque ita Codd. Pall. ex prava loci interpretatione. Vitium sustulit Herm., servavit Weisius, sic versum adornans: *Si ipse animum pepulit, dum vivit* cet. Quam scripturam licet tueantur Codd. Pall.; tamen et numerus et sententia satis docet, recte scripsisse Hermannum. Nam perversitas numero-

Sín ipse animum pépulit, vivit, víctor victorúm cluet.
Tu ánimum si vicísti potius, quam ánimus te, est quod gaúdeas.
Nímio satiust, út opus est te ita ésse, quam ut animó lubet.
Qui ánimum vincunt, quám quos animus, sémper probiorés cluent.
Ly. 'Istaec mihi ego sémper habui aetáti tegumentúm meae,
Né penetrarem me úsquam, ubi esset dámni conciliábulum;
Né noctu irem obámbulatum, neú suum adimerem álteri.
Neú tibi aegritúdinem, pater, párerem, parsi sédulo.
Sárta tecta túa praecepta usque hábui mea modéstia.
Ph. Quíd exprobras? bene quód fecisti, tíbi fecisti, nón mihi.
Míhi quidem aetas ácta ferme est; túa istuc refert máxume.
'Is probus est, quem poénitet, quam sít probus et frugí bonae.
Qui ípsus sibi satís placet, nec próbus est, nec frugí bonae.
Bénefacta benefáctis aliis pértegito, ne pérpluant.

---

rum in *animúm pepulit*, et languor verborum *dum vivit*, quae plane sunt fatua et frigida, ostendunt, pravam esse Codd. lectionem. — V. 35. *Vt opus est te ita esse.* Servavi in his vulgatam, quam mutaverat Herm. *te ita ut opus est esse.* *Tegumentum.* Haec ego semper habui instar tegumenti et clupei, quibus aetatem tegerem et munirem.

V. 38. *Penetrarem me.* Cf. supra ad v. h. sc. 1. *Usquam.* Cf. supra ad Milit. III, 1, 90. ad Captiv. I, 2, 70. De forma *parsi* cf. Prisc. X, 3, tom. I, p. 484. ed. Kr. *Sarta tecta.* Solemnis formula de aedificiis, quae publice locabantur aedificanda. Ea iubebantur *sarta tecta* praestari. Cf. Scaliger ad Festum v. *Sarte.* p. 252. 691. ed. m. Inde formula *sarta tecta exigere;* cuius rei cura publica apud Romanos Censorum erat. Itaque etiam *sarcire aedes* dicebatur, restituere, integras reddere. Mostell. I, 2, 67. *Non videor mihi sarcire posse aedis meas, quin totae perpetuae ruant.* Igitur aliquid sartum tectum habere, cum translate dicitur, est, conservare, servatum cupere et propterea custodire. Sic Cic. Epist. XIII, 50. *Hoc mihi da atque largire, ut M'. Curium sartum et tectum, ut aiunt, ab omnique incommodo, detrimento, molestia sincerum integrumque conserves.* Cf. praeterea Ernest. Clav. Cic. s. h. v. *Quid exprobras*; tres primae syllabae pro tribracho sunt. Cf. lib. de vet. pros. Versus 43. *Mihi quidem — maxume*; affertur a Cic. ep. ad Brut. 2. *Quem poenitet* cet. Dicimus *aliquem poenitere, quam sit*, sive *quantum fiat*, qui non contentus est eo, quod est, vel quantum fit; *non poenitere*, qui satis eo contentus est. Gronov. ad h. l. Cf. Donat. ad Terent. Eunuch. V, 6, 12. *An poenitebat flagiti, parum videbatur. Ipse alibi* (Terent. Heaut. I, 1, 20.) *quantum hic operae fiat, poenitet. Plautus in Truculento* (II, 6, 52.) *Poenitetne te, quod ancillae sunt iam?* Haec Donatus. Cf. supra ad Mil. III, 1, 144. Ceterum vulgo legitur male: *quem non poenitet.* *Ne perpluant*, ne quid vitii contrahant, ut aedes male tectae, quae imbrem transmittunt. *Perpluere* enim tecta ipsa dicuntur, cum tegulis vitiatis imbrem immittunt. Sic vetera beneficia, nisi novis cumulantur, obsolescunt et quasi vitium trahunt. Versum 45. *Qui ipsus sibi satis — bonae* se primum

Qui ípsus se contémnit, in eo est índoles indústriae.
Ly. 'Ob eam rem haec, pater, aútumavi, quía res quaedamst, quám volo
'Ego me abs te exoráre. *Ph.* Quid id est? véniam dare iam géstio.
Ly. 'Adulescenti huic génere summo, amíco atque aequalí meo,
Mínus qui caute et cógitate suám rem tractavít, pater,
Béne volo ego illi fácere, si tu nón nevis. *Ph.* Nempe dé tuo.
Ly. Dé meo; nam quód tuumst, meumst; ómne meumst autém tuum.
Ph. Quíd is, egetne? *Ly.* Egét. *Ph.* Habuitne rem? *Ly.* Hábuit. *Ph.* Qui eam pérdidit?
Públicisne affínis fuit, an máritumis negótiis?
Mércaturane, án venalis hábuit, ubi rem pérdidit?
Ly. Níhil istorum. *Ph.* Quíd igitur? *Ly.* Per cómitatem edepól, pater.

---

e MS. protulisse atque eruisse testatur Sciopp. suspectt. lectt. II, 13. Deest in Cod. Dec. omissus ob ultimae formulae similitudinem. *Indoles;* cf. supra ad Milit. III, 3, 47. *Autumare* apud Plautum est dicere, enunciare, sic simpliciter. Cf. A. Gellium XV, 3. Verbum hoc origine sua coniunctum est v. *auctor*, quae nativa notione significat *dicentem, narrantem.* Cf. quae dixi ad Festum pag. 418. ad v. *Existimo.* *Quam volo ego me abs te exorare.* Accusativi infinitivo iuncti structura in verbis *cupere, velle, studere*, ubi accusativus ad subiectum spectat, frequentissima apud Plautum. Asin. I, 3, 31. *Volt placere sese amicae.* Eadem ratio est Sallustiani illius: *Omnes homines, qui sese student praestare.* Sed longe insolentior haec structura in verbis *videri, posse.* Veluti Aulul. V, 1, 4. *Certo enim ego vocem hic loquentis modo me audire visus sum.* Lucret. I, 104. *Quippe etenim quam multa tibi me fingere possum*, ubi tamen emendatum est *iam fingere p.* Ceterum cf. Parei lexic. in 'Αντιπτώσει Plautina, Enallage, et synt. insol. *Dare iam* hoc ordine exhibent Codd. Pall. vulgo *iam dare*, qui error a Cam. intruductus omnes editt. pervagatus est. *Nevis* olim monos. hic esse putavi, quod non est ita. Potius *nempe*, quod sequitur, pro pyrrhichio est, quemadmodum Aul. II, 4, 15. Cas. III, 4, 9. Mil. III, 3, 48. Trin. II, 4, 25. Similiter *autem* aliquoties pro pyrrhichio est.

V. 55. *Publicisne affinis fuit* cet. Negotia publica sunt, quae quis civitate elocante suscipit, veluti vectigaliorum, pascuorum conductio. *Affinis* est implicitus, particeps alicuius rei. *Venalis habuit*, mango fuit, servorum mercatum exercuit. Ceterum versus 56 citatur a Nonio p. 212. v. *Mercatus.* Legitur vulgo apud Plautum: *Mercaturamne an*, male; nam *mercaturam habere* Latine non dicitur. Vestigia verae lectionis servant Codd. Nonii, ubi legitur: *mercaturam eam*, hoc est: *mercaturane an*, quod erat restituendum. Ad structuram quod attinet, aut ex supp. repetendum aut ex inff. assumendum est *perdidit.* Duo enim ponit poeta, aut mercatura illum rem suam perdidisse aut negotiis

Praéterea aliquantum ánimi caussa in déliciis dispérdidit.
Ph. 'Edepol hominem praédicatum férme familiáriter,
Quí quidem nusquam pér virtutem rém confregit, átque eget.
Níl moror eum tíbi esse amicum cum eíusmodi virtútibus.
Ly. Quía sine omni málitia est, toleráre egestatem eíus volo.
Ph. Dé mendico málo meretur, qui ei dat quod edit, aút bibat.
Nam ét illud, quod dat, pérdit, et illi pródit vitam ad míseriam.
Nón eo hoc dico, quín, quae tu vis, égo velim, et faciám lubens;
Séd ego hoc verbum quom ílli quoidam díco, praemonstró tibi,
'Ut ita te aliorúm miserescat, né tui alios misereat.
Ly. Déserere illum, et déiuvare in rébus advorsís pudet.
Ph. Pól pudere quám pigere praéstat totidem lítteris.

---

venaliciis. — *Animi caussa*, ut animo indulgeret, ut cupiditatibus satisfaceret. Cf. supra ad v. h. sc. 29 *Ferme familiariter;* eo dicit, quia turpem decoctionem aequalis sui valde comiter et verecunda circumlocutione protulerat, ut appareret, familiarissimum illi esse. Acidalius. *Atque; und nun*, und dann nun. Cf. supra notata ad Captiv. II, 2, 105. et Schütz. doctr. L. L. part. §. 135. Adde Hand. Tursell. s. v. *Nil moror.* Cf. supra ad Milit. II, 3, 8. *Tolerare*, opem ferre, sustinere. Rud. IV, 2, 14. *Paupertatem heri qui et meam servitutem tolerarem.* — V. 63. *Quod edit aut bibat.* Sic vulgo et in Codd. Pall. Herm. dederat: *quod edat aut bibat.* Est vero forma coniunctivi satis frequens apud Plautum *edim, is, it*, de qua vide quae dixi ad Captiv. I, 2, 46. Adde Trin. I, 2, 65. ubi *comedis* pro *comedas.* — *Et illi prodit vitam;* protendit, propagat. Sic recte explicuit Servius ad Virg. Aen. IV, 231. ubi hic etiam versus excitatus legitur. Vulgo editur *producit*, atque ita exhibent Codd. Pall. Sed Servius exhibet quod metrum requirit. *Illi quoidam;* Quum ego illud: *De mendico male meretur* et rel. de illo quodam adulescentulo, quem nondum novi, dico, non eo dico, ut tibi adverser, sed ut tibi praemonstrem cet. *Deiuvare*, iuvare desinere, ut explicant interpp. apud Festum ad v. *desivare*, ed. m. p. 403. Mihi videtur et hic et apud Festum et in Glossariis, quae hanc v. interpretantur οὐ βοηθεῖν, legendum esse *disiuvare*, ut praepositio eandem habeat vim, quam in vv. *displicere*, *dissimulare*, *dissuadere* et permultis aliis. Müllerus ad Festum pag. 72. tuetur *desivare* et apud Festum et in Glossariis, deducens verbum a v. *desivus*, quod a *desinendo* ductum esse putat, ut *oblivio* ab *oblinendo.* De Plauto tacet Müllerus. Codd. Plauti Pall. *deiuvare* diserte exhibent, quod explicandum est ad analogiam verborum *desipere*, *deplere*, *destruere*, aliorum.

V. 69. *Pol pudere, quam pigere* cet. Nonius p. 423., ubi hic versus affertur, ita discrimen definit: *pudet* verecundiae est, *piget* poenitentiae. Addit locum e Pseudolo: *Nimio id quod pudet facilius fertur, quam id quod piget.* — *Totidem litteris.* Haec male Lambinus explicat, dicens ablativos esse absolutos, pro eo

Ly. 'Edepol, deum virtúte dicam, páter, et maiorum, ét tua,
Múlta bona bene párta habemus; béne si amico féceris,
Né pigeat fecísse; ut potius púdeat, si non féceris.
Ph. Dé magnis divítiis si quid démas, plus fit, án minus?
Ly. Mínus, pater; sed cívi immuni scís quid cantarí solet?
Quód habes, ne habeas; ét illud, quod nunc nón habes,
habeás malum:
Quándoquidem nec tíbi bene esse pótes pati, neque álteri.
Ph. Scío equidem istuc íta solere fíeri. Verum, gnáte mi,
'Is est immunis, quoí nihil est, qui múnus fungatúr suum.
Ly. Deúm virtute habémus, et qui nósmet utamúr, pater,
'Et aliis qui cómitati símus benevoléntibus.
Ph. Nón edepol tibi pérnegare póssum quicquam quód velis.
Quoíus egestatém tolerare vís? Loquere audactér patri.
Ly. Lésbonico huic ádulescenti, Chármidai fílio,
Qui íllic habitat. *Ph.* Quí comedit, quód fuit, quod nón fuit?
Ly. Ne ópprobra, pater; múlta eveniunt hómini, quae volt,
quaé nevolt.

---

quod sit: *quum totidem sint litterae.* Sed ablativus *totidem litteris* referendus ad v. *praestat.* Igitur *praestat totidem litteris* est quasi *per omnes litteras melius est*, tanquam litterae in voce *pudere* omnes ac singulae meliores sint, quam in voce *pigere.* Quod de sententia dicendum, de litteris vocabuli pronunciat; ist um eben so viel Buchstaben besser. *Deum virtute;* cf. quae supra notavimus ad Captiv. II, 2, 74. *Multa bona;* hoc ordine vulgata et Codd. Pall. recte. Est enim v. *bona* monosyllabum, vel pro menos. *Civi immuni.* V. C. Cam. *ciui inmuni inmunificos.* Cod. Dec. *ciui inmimi inmunificos.* Vulgo *civi immunifico*, quod interpretamentum est. Emendavit Heraldus obss. c. 44. *Immunis* pr. qui a munere publico alienus est, a tributo; qui nihil praestat ad communem civitatis salutem Tum, qui nihil muneris, nihil beneficii in alios confert. *Civis immunis* igitur est illiberalis, qui aliorum paupertatem vel egestatem sua munificentia non sustentat. Iam quum ambigua sit verbi notio, paullo post proprie dicitur a Philtone v. 78.: *is est immunis, quoi nihil est* rel. Hoc est, is revera dicitur immunis, qui nihil habet, unde tributum suum civitati exsolvat, egenus, capite census. *Cantari*, saepe obiici, saepe exprobrari. Potest tamen fieri, ut respiciatur ad cantilenas plebeculae in convicium nobiliorum ac ditiorum compositas. *Comitati esse*, comem, liberalem esse. *Egestatem tolerare;* cf. quae paullo ante notata sunt ad v. 62. — V. 83. *Charmidai filio.* Vulgo *Charmidae filio*, atque ita Codd. Pall. *huius* iam Pareus interposuit secutus Muretum, quos secutus est Hermannus. Supervacuum est pronomen, seqq. verbis: *qui illic habitat.* Forma genitivi vetusta *Charmidai* alibi a me vindicabitur.

V. 85. Hi versus vulgo hoc ordine leguntur: *Ne opprobra — Agedum — Sapienti — Mentire —* Et infra: *Non aetate — Tu modo — An eo —.* Sed transponi iussit Acidalius, haec notans ad v. *Non aetate* cet.: Aperte hic versus referendus est ad illud *sed hic admodum adolescentulus est.* Quia enim filius sodalem

Ph. Méntire, edepol, gnáte; atque id nunc fácis haud consuetúdine.
Nám sapiens quidém pol ipse fíngit fortunám sibi.
Eó nemulta, quaé nevolt, evéniunt, nisi fictór malust.
Ly. Múlta est opera opús ficturae, quí se fictorém probum
Vítae agundae esse éxpetit; sed hic ádmodum adulescéntulust.
Ph. Nón aetate, vérum ingenio apíscitur sapiéntia.
Sápienti aetas cóndimentumst; sápiens aetatí cibust.
'Agedum, eloquere, quíd dare illi núnc vis? *Ly.* Nihil quidquám, pater.
Tú modo ne me próhibeas accípere, si quid dét mihi.
Ph. 'An eo egestatem eíus tolerabis, sí quid ab illo accéperis?
Ly. Eó, pater. *Ph.* Pol ego istám volo me rátionem edoceás. *Ly.* Licet.
Scín' tu illum quo génere natus sít? *Ph.* Scio, apprimé probo.
Ly. Sóror illi est adúlta virgo grándis; eam cupió, pater,
Dúcere uxorém. *Ph.* Sine dote? *Ly.* Síne dote. *Ph.* Uxorém? *Ly.* Ita;

---

excusabat, eum adhuc adolescentulum esse, et proinde non satis sapere, pater infert contra, non ab aetate sapientiam proficisci, sed ab ingenio; neque qui sapiens sit, ei quicquam conferre aetatem praeter aliquod quasi condimentum. Haec ille. *Eo nemulta* cet. *Nemulta* pro non multa, antique. Vide quae collegit Bengel. ad Cic. Epist. II, 10. *Nisi fictor malust.* Recte ita iam Cam. Par. alii. Vulgo et in Codd. Pall. *nisi f. malus siet.* Saepe sic peccatum in MSS. *Apiscitur*, passive. Sic *adipisci* Gellius XVIII, 6. *Nomine non adepto iam, sed cum spe et omine adipiscendi.* Simplex autem *apisci* pro passivo excitat Priscian. VIII, 4. tom I, p. 368. Kr. Ceterum male vulgo et in Codd. Pall. legitur *adipiscitur*, quod in metrum peccat. Saepe *apisci* simplex pro composito *adipisci* reponendum apud Plautum. Captiv. IV, 1, 8. Epid. V, 2, 3. Rud. prol. 17. ubi vulgo male et invitis MSS. legitur *adipisci*. Saepius et haud dubie *apisci* simplex reperitur apud Lucretium, ut notum est. Cf. Kampmann. Annotatt. ad Plauti Rud. pag. 13. *Sapienti aetas;* Muretus ad haec: Quidam cibi sunt, qui recentes quidem non sunt esui, sed condiri et reponi solent in longam usionem. Mitescunt autem et concoquuntur tempore et ad vescendum utiles fiunt. Sic sapientiam ait in iuvenibus immaturam esse, procedente autem aetate mitigari et condiri et quasi maturescere. Negat autem Philto, aetate quemquam adipisci sapientiam, sed condiri tantum. Ita ille. *Sapiens aetati cibust.* Sapiens ad aetatem se habet eadem ratione, qua cibus ad hominum victum. *Sapientia* et *aetas* differunt ut cibus et condimentum. Cibus enim non condiundo fit cibus; sic sapiens non aetate fit sapiens, sed veluti conditur tantum et maturescit. *Scin' tu illum.* Ad notissimam illam Graeci sermonis normam, apud Plautum et Terentium frequentissimam. Cf. Buttm. Gr. Gr. 138, 6. — V. 98. *Adulta virgo grandis.* Adulta fere idem quod *nubilis*, grandis de aetate. Eine grosse erwachsene Jungfrau. Est cumulatio synonymorum ad manifestandam sententiam. — V. 99. *Uxo-*

Tuá re salva. Hoc pácto ab illo inîbis summam grátiam;
Néque commodius úllo pacto ei póteris auxiliárier.
Ph. 'Egon' indotatám te uxorem ut pátiar? *Ly.* Patiundúmst, pater;
'Et eo pacto addíderis nostrae lépidam famam fámiliae.
Ph. Múlta ego possum dócta dicta, et quámvis facundé loqui:
Hístoriam veterem átque antíquam haec méa senectus sústinet.
Vérum ego quando te ét amicitiam et grátiam in nostrám domum
Vídeo allicere, etsi ádvorsatus tíbi fui, istac iúdico.
Tíbi permitto, pósce, duce. *Ly.* Dí te servassínt mihi.
Séd ad istam adde grátiam unum. *Ph.* Quíd id est autem unum? *Ly.* 'Eloquar.
Túte ad eum adeas, tú concilies, túte poscas. *Ph.* 'Eccere.
Ly. Nímio citius tránsiges; firmum ómne erit, quod tu égeris.
Grávius érit tuum únum verbum ad eám rem, quam centúm mea.
Ph. 'Ecce autem in benígnitate hoc répperi negótium.
Dábitur opera. *Ly.* Lépidus vivis; haé sunt aedes; híc habet.
Lésbonico est nómen; age, rem cúra: ego opperiár domi.

---

rem? Ita. Sic vulgo et in Codd. Pall. Emendaverat Herm. *Uxoremne? Ita*; qua emendatione non est opus. cf. Asin. I, 1, 72. *Dotálem sérvom Saúreám uxór tua.* Contra infra v. 103. recte legitur *Egone*, quod *Egon'* scripsi, quanquam Codd. Pall. *Ego.*

V. 104. *Possum;* sed nolo nunc. *Possem* in huiusmodi formulis non dicunt Latini. Cf. Matthiaeum ad Eloq. Lat. exempla p. 195. et eundem ad Cic. Catil. III, 22. Aliud est, ubi scribit Sall. Catil. 7. fin. *Memorare possem — ni ea res longius ab incepto traheret.* Adde quae notavit Kritzius ad Sall. Catil. 51, 4. *Historiam veterem atque antiquam.* Historia vetus est saepe iam narrata et decantata, antiqua vero quae olim accidit, sic simpliciter. Cf. quae supra diximus ad Mil. III, 1, 154. Exempla coniunctarum harum vocum collegit Ruhnken. ad Vellei. I, 26. Adde Schaef. ad Plin. Epist. III, 6, 3. Ceterum *historiae*, vel *historiarum* appellatione continentur apud Plautum etiam fabulae et omnia, quae ad cognitionem morum et rerum veterum pertinent. *Istac iudico*; in tuam sententiam cedo. — V. 109. *Sed ad istam adde gr.* Ita recte correxit Hermannus; vulgo: *Sed adde ad istam gr.* Tum notandus ordo in vv. *Quid id est autem unum.* Cf. supra v. 53. *Omne meumst autem tuum.*

V. 110. *Eccere.* Recte duplicem huius vocabuli formam et notionem statuit Lambinus. Primum enim videtur compositum esse ex voce. *ecce* et *res*, unde fortasse antiquitus scriptum fuit *eccerem:* quod deinde efformatum est *eccere*, ei sieh, da haben wir's. Tum est iurandi formula ex nomine *Cereris* detorta, ubi rectius scribitur una *c*, *ecere*, ut *Eiuno*, *Ecastor*, *Equirine.* Cf. Festus v. *Equirine* et interpp. ad Festum v. *Mecastor.* Differentiam hanc iam agnovit Sos. Charisius, qui *eccere* adverbium monstrandi dicit, lib. II, p. 106. ed. m. De voc. *Eiuno* cf. idem lib. II, p. 117. ed. m. Ceterum vulgo *tute concilies;* sed credibile

ACTVS II. SCENA III.

Philto.

Non óptuma haec sunt, néque ego ut aequom cénseo.
Verúm meliora súnt, quam quae detérruma.
Sed hoc únum consolátur me atque animúm meum,
Quia, quí nihil aliud, nísi quod sibi solí placet,
Consúlit advorsum filium, nugás agit:
Miser éx animo fit; fáctius nihiló facit.
Suaé senectuti is ácriorem hiemém parat,
Quom illam ímportunam témpestatem cónciet.
Sed áperiuntur aédes, quo ibam; cómmode
Ipse éxit Lesbonícus cum servó foras.

ACTVS II. SCENA IV.

Lesbonicus, Stasimus, Philto.

Le. Minus quíndecim diés sunt, quom pro his aédibus

---

est, librarios ad similitudinem antecedentis et sequentis enunciati hoc quoque conformasse, quare scripsi *tu concilies.* Neque enim verba eiusmodi a praepos. *in*, *ad* et *con* composita unquam puto corripere posse primam, nisi initio iambicorum versuum. Vide quae de hoc genere dixit Kampmann. in diss. de rebus militar. Plauti pag. 44. fin. In vv. *Ecce autem* singularem vim habet v. *autem*, de qua exposui supra ad Milit. glor. III, I, 84. *Lepidus vivis*, lepidus es homo. Sic saepius verbum *vivere* apud Plautum, veluti Amphitr. prol. 75. *Virtute dixit vos victores vivere.* Catull. X, 33. *At tu, insulsa, mala ac molesta vivis.* — *Habet* cf. supra ad I, 2, 156.

Act. II. Sc. III. Solus restat in scena Philto et semet ipsum consolatur, quod plus aequo filio concesserit ac promiserit. V. I. Vulgo: *neque ut ego;* sed Codd. Pall. recte pronomine praeposito: *neque ego ut. Factius nihilo facit.* Nihilo magis aliquid effectum, curatum reddit. *Factius* dicitur ut *auctius*, *emendatius* et id genus alia. Gronovius ad h. l. haec: *Factius* igitur est magis factum, ut alibi *confossiorem* dicit, pro magis confosso, hac ipsa fabula *occlusiorem stultiloquentiam;* ut Cicero *conficientissimam litterarum;* Petronius *excussissima palma pulsare.* Hactenus ille. Gulielm. Quaestt. in Trin. c. III. *sectius n. f.* pro *secius.* Sed recte Gronovius. Hoc dicit poeta: qui quod soli sibi placet, statuit in filium, nihilo magis aliquid efficit, filius enim nihilo minus animo suo obtemperabit. *Hiemem*, χειμῶνα, tempestatem turbulentam. Sententia est: is turbatiorem et vexatiorem reddit senectutem, quam per se iam est. *Illam — tempestatem*, animum filii a se alienatum. Vulgo *Cum illanc imp.* Sed recte Pareus e Codd. Pall. *Quom illam imp.* Both. dederat: *quom importunam illanc*, qua transpositione non est opus.

Act. II. Sc. IV. Lesbonicus, perditus ille luxu iuvenis, cuius sororem in matrimonium ducere cupit Lysiteles, cum Stasimo in scenam prodit. Ac primum servum rationem reddere

Minás quadraginta áccepisti a Cállicle.
Estne hóc, quod dico, Stásime? *St.* Quom consídero,
Meminísse videor fíeri. *Le.* Quid factúm-st eo?
St. Comésum, expotum, exúnctum, elotum in bálneis.
Piscátor, pistor ábstulit, lanií, coqui,
Olitóres, myropolae, aúcupes; confít cito,
Quasi tú formicis óbicias papáverem.
Le. Minus hércle in hisce rébus sumptumst séx minis.
St. Quid, quód dedísti scórtis? *Le.* Ibidem uná traho.
St. Quod égo defraudavi? *Le.* Hém, ista ratio máxuma est.

---

pecuniae nuper acceptae postulat. Tum a Philtone de elocanda sorore rogatus, primum condicionem recusat, quod dotem non habeat. Tum agellum sibi reliquum suburbanum sorori se dotem daturum atque ita condicionem se accepturum profitetur. Sed Philto de dote cum filio suo illi agendum esse ait, atque ita rebus compositis discedunt.

V. 1. *Minus quindecim dies* Ut Virg. Aen. *noctem non amplius unam.* Pari iure in his et similibus formulis *quam* poni et omitti, observat Ruhnkenius ad Vellei. II, 1, 4. Vulgo *pro hisce aedibus.* Sed V. C. Cam. *pro iscebibus* et C. Dec. *pro his aedibus*, recte. *Exunctum.* Vulgo *exutum*, quod nihili. Emendavit iam Gulielmus, qui sic: magnum luxus instrumentum quotidianae veterum lavationes et unctiones; unde *eluare*, *exungere. Exungere* igitur unguentis absumere. *Papaverem.* Cf. Charis. I, 16, 57. pag. 46. ed. m. et Nonius p. 220., ubi alio Varronis loco probatur, apud antiquiores papaver etiam masculini generis fuisse. Ab initio huius versus *quasi si* cum Acidalio et Hermanno scripserunt, pro vulgato *quam si.* Cf. etiam Dousa Plaut. expl. IV, 23. Sed vulgo sic versus legitur: *Quamsi tu obiicias formicis p.* Simplicior igitur emendatio parata: *Quasi tu f. o. p.* Similis structura verborum Curcul. I, 1, 78. *Quasi tu lagenam dicas.* Epid. II, 3, 90. *Quasi tu cupias. Ibidem una traho*; *ibidem*, notione inflexa, est pro *eodem.* Argentum, quod dedi scortis, eodem una traho, ad eandem summam refero. Sic supra I, 2, 166. *Atque egomet me adeo cum illis una ibidem traho;* ubi *me traho* est me illis accenseo, me eodem numero pono. V. 11. Vulgo sic legitur: *Quid quod ego defraudavi?* Le. *Hem, ista ratio maxuma est.* Versum in metrum peccantem Herm. sic restituerat: *Quid quód ego defrudávi?* Le. *Hem, ratio máxuma est.* Bothius pr. *ego* omisit, Weisius versum totum spurium iudicavit. Mihi neutrum pronomen neque *ego* neque *ista* salvo sensu omitti posse videtur; Weisii autem ratio nulla refutatione digna est. Non dubium videtur, versus initium a librariis interpolatum esse, et falso ex supp. repetitum *Quid.* Scripsi ergo: *Quod égo defraudavi?* Le. *Hém, ista ratio maxumast.* Non enim scripto et pronunciato, sed tacita cogitatione ex sup. v. *Quid* repetendum videtur. *Si sumas.* Ductum ex re rationaria, ubi *sumere* est subducere, summam facere. Hoc igitur vult servus: si subducas expensa a summa acceptorum, et inde summam facias, apparebit, nihil amplius reliquum esse posse. Nam omnia consumsisti, omne argentum perdidisti. Est igitur *sumere* zusammenziehen. Sic Plaut. Rud. IV, 8, 9. *At sume quidem, ne censionem semper facias;* ubi *censionem facere*

St. Non tíbi illud apparére, si sumás, potest,
Nisi tu ímmortale rére esse argentúm tibi.
Sero, átque stulte, príus quod cautum opórtuit,
Postquám comedit rém, post rationém putat.
Le. Nequáquam argenti rátio comparét tamen.
St. Ratió quidem hercle appáret; argentum οἴχεται.
Minás quadraginta áccepisti a Cállicle,
Et ille aédis abs te accépit mancupio. *Le.* 'Admodum.
Ph. Pol, opíno, affinis nóster aedis véndidit.
Patér quom peregre véniet, in porta ést locus,
Nisi fórte in ventrem fílio conrépserit.
St. Trapezítae mille dráchumarum Olýmpicum,
Quas dé ratione débuisti, rédditae.
Le. Nempe quás spopondi. *St.* Immó, quas dependi, ínquito.
Quas spónsionem própter tu exáctus es
Pro illo ádulescente, quém tu esse aibas dívitem.
Le. Factum. *St.* 'Ut quidem illud péierit. *Le.* Factum íd quoque est.

---

est dispungere, conspicere, numquid aera digna sint, quae accipiantur et subscribantur. Sic in Truc. I, 1, 54. *Accipiat illico expensa, neque censeat.* Etiam Lucilius apud Non. pag. 74. ita usus est hoc vocabulo: *Haec est ratio perversa, aera sumta et subducta improbe.* V. 17. *Ratio — οἴχεται*, affertur a Cic. orat. in Pison. 25. *Mancupio*, in possessionem Proprie *mancupium* est quod manu capitur, h. e. a venditore accipitur. Nam *mancupare* est manu iniecta sibi vindicare, ut *nuncupare*, nomine indito pronunciare, promittere, nominare. Hinc *manceps*, qui manu capit, qui possidet. Tum qui conducit emitve. Quare *mancupium* possessio est; *res mancipi*, quae possidetur. — V. 20. *Pol, opino, affinis.* Non credo ferri posse, quod Codd. Pall. et Edd. exhibent *opinor.* Sic *contemplent* Merc. II, 3, 72. *commerent* Merc. IV, 6, 12. *contemples* Asin. III, 1, 35. *Opino* ex Plauti Bacch. loco hodie deperdito citat Non. pag. 474. Cf. tamen Krehl. in Praef. ad Priscian. p. XXI seq. Ceterum *opino* his praeterea locis dixisse videtur Plautus: Bacch III, 3, 83. III, 4, 13. Rud. IV, 3, 60 (70). Poen. V, 3, 50. Epid. II, 2, 73. De v. *mille* c. genitivo cf. notata supra ad Mil. IV, 2, 73. *Drachuma* pro drachma, ut Hercules ex v. Ἡρακλῆς. *Alcumena* ex v. Alcmena, Aesculapius ex v. Ἀσκληπιός. Et sic alia permulta. Add. Ter. Heaut. III, 3, 40. *Olympicum* pro *Olympicarum*, forma in femineo genere rarior. Sed cf. Priscian. VII, 3. p. 296. tom. I. V. 26. *Quas sponsionem propter tu exactus es.* Vulgo: *Quas sponsione pronuper tu exactus es.* Inauditum v. *pronuper* emendarunt Herm. Göller. Both., vario modo versui prospicientes, omnes tamen *nuper* scribentes. Mihi non dubium est, legendum esse, quod scripsi: *sponsionem propter.* Non raro *propter*, ut aliae praepositiones, casui postponitur, velut Amphitr. IV, 1, 8. *quem propter.* Rud. II, 6, 12. *quem propter.* Idem legitur Aulul. IV, 10, 56. *Quam propter.* Bacch. IV, 9, 109. Virg. Aen. XII, 177. *Hostem propter, viam propter* et similia leguntur aliquoties apud Taci-

Nam núnc eum vidi míserum, et me eius míseritumst.
St. Miserét te aliorum, tuí nec miseret, néc pudet.
Ph. Tempúst adeundi. *Le.* 'Estne hic Philto, qui ádvenit?
Is hércle est ipsus. *St.* 'Edepol nae ego istúm velim
Meum fíeri servom cúm suo pecúlio.
Ph. Herum átque servom plúrimum Philtó iubet
Salvére, Lesboníeum et Stasimum. *Le.* Dí duint
Tibi, Phílto, quaecumque óptes. Quid agit fílius?
Ph. Bene vólt tibi. *Le.* Edepol mútuom mecúm facit.
St. Nequam íllud verbumst, béne volt, nisi qui béne facit.
Ego quóque volo esse líber; nequidquám volo.
Hic póstulet frugi ésse; nugas póstulet.

---

tum, velut Annal. 4, 48. et 15, 47. Saepius *erga* et *penes* ita postponuntur, ut Trin. V, 2, 4. *amicum erga.* Aulul. IV, 4, 26. *neque tui me quidquam invenisti penes.* Trin. V, 2, 22. *thesaurum tuum me esse penes.* Ceterum Pareus volebat: *Quas sponsione pro nuper tu exactus es*, quod attulisse sufficiat. De hiatu in pron. *tu* cf. Kampm. Annott. ad Plauti Rud. pag. 1 seqq *Quas exactus es*, pro eo, quod vulgo dici solet: *quae a te exactae sunt.* Graeca structura, non tamen inusitata Romanis. Dicitur enim *exigor aliquid*, ut *rogor*, *postulor aliquid.* Appositus est Nonii locus p. 106. *Exigor pro a me exigitur. Caecilius Aeschino: Ego illud nihilo minus exigor portorium.* Adde Gellium XV, 14. qui locus totus huc pertinet. *Ut quidem illud perierit.* Coniunctivus pendere videtur ab antecedente voce *factum*, quam Lesbonicus pronunciaverat: *factum, videlicet ut illud perierit.* Nam particula *quidem* saepe cum quadam ironia eo sensu, quo *scilicet*, *nimirum*, ponitur. Unde serio respondet Lesbonicus: factum id quoque est, nam ille miserior, quam ego. — V. 29. *Nam nunc eum vidi.* Hoc dicit Lesbonicus: vix eum vidi miserum, quum me eius miseritum est. Deest tamen *et* in Codd. Pall. qua de caussa videndum, utrum scripserit poeta: *Nam nunc, quom vidi miserum, me eius miseritumst.* Hoc est: quum propter eum sponsionem feci, divitem putabam. Nunc, ubi vidi miserum, tanta eius miseratione tactus sum, ut argentum perditum esse non aegre ferrem. — V. 30. Vulgo legitur: *tui te nec miseret*, male repetito ex supp. pronomine *te.* — V. 31. *Tempust adeundi.* Ita scribendum erat ex Vet. Cod. Cam. Vulgo et in Cod. Dec. *Tempus adeundi est.* Hiatus est legitimus, quum propter sedem versus, tum propter mutationem personae. De *peculio* vide quae notavimus ad Captiv. prol. 20. V. 36. Pro v. *quaecunque* in C. V. Cam. est: *quaequomque* et in Dec. *quae quoniamque.* Posterior haec scriptura testimonio est, haud raro librarios voces plene scriptas pro compendiis habuisse atque ita plenam scripturam falso ponentes loci sanitatem perdidisse. Sic paullo ante pro *propter*, vera scriptura, scriptum erat *pronuper*, quod item natum ex eo, quod sanam vocem *propter* pro compendio acciperent.

V. 40. *Nugas postulet.* Coniunctivus, quia se dubitare subindicat servus; *postulat, opinor.* Inest autem acerbitas quaedam, quum significat servus, se subdubitare, utrum revera Lesbonicus frugi se fieri optet. *Nugae*, omne vanum, inane, nihili, nul-

Ph. Meus gnátus me ad te mísit, inter se átque vos
Affinitatem ut cónciliarem et grátiam.
Tuam vólt sororem dúcere uxorem; ét mihi
Senténtia eademst, ét volo. *Le.* Haud noscó tuum;
Bonís tuis rebus meás res irridés malas.
Ph. Homo égo sum, homo tu es; íta me amabit Iúppiter,
Neque té derisum véni, neque dignúm puto.
Verum hóc, ut dixi, méus me oravit fílius,
Ut tuám sororem póscerem uxorém sibi.
Le. Mearúm me rerum nóvisse aequomst órdinem.
Cum vóstris nostra nón est aequa fáctio.
Affinitatem vóbis aliam quaérite.
St. Satín' tu sanu's méntis aut animí tui,
Qui cóndicionem hanc répudies? Nam illúm tibi
Ferentárium esse amícum inventum intéllego.
Le. Abin' hínc dierecte? *St.* Si hércle ire occipiám, votes.

---

lius pretii. Inde *nugas postulare*, est rem, quae nusquam est, poscere, frustra optare. Vergebliches fordern. *Nugas agere, nugas praedicare, nugas garrire* et similia alia Comicis usitata. *Haud nosco tuum.* Recte sic Codd. Pall. Vulgo: *hau, nosco tuum.* Sententia est: Non agnosco hac in re mores tuos. Cf. Bentl. ad Terent. Eun. V, 8, 36. et Palm. spicil. p. 859. Terent. l. c. *Non cognosco vestrum tam superbum*, quae explicat Bentl. *non solebatis esse tam superbi. Bonis tuis rebus* ablativus est temporis, pro eo, quod dicitur, *quum tuae res sint bonae*, quum sis dives. Similiter Most. II, 1, 34. *Sicut ego adcentu patris nunc quaero, quid faciam miser.* — V. 50. *Mearum me rerum.* Ita dedit Hermannus, ut rhythmo consuleret, quum vulgo legatur: *Mearum rerum me.* In utraque lectione pr. *me* encliticum est, quemadmodum apud Terentium Andr. I, 5, 5. *Miserám me, quod verbum audio. Ordinem*, locum ac veluti gradum, quo loco meae res tenues me ponunt. *Factio* pr. homines, quibuscum facimus, h. e. a quorum partibus stamus; tum ordo civium, quum, qui unius sunt ordinis, ut plurimum, eiusdem sint in rebus civilibus sententiae, earundem partium. *Sanus mentis aut animi.* De hoc genitivo cf. quae supra diximus ad Milit. III, 1, 125. Cf. Ruhnken. ad Vellei. II, 93. *Mens* ab *animo* sic differt, ut illa cogitandi, hic allubescendi et affectuum sit facultas ac veluti sedes.

V. 54. Verba: *nam illum tibi ferentarium*, excitantur a Varrone de L. L. VI, p. 75. *Ferentarii;* copiae auxiliares equestres, levis armaturae, qui quoquo esset opus, auxilium periclitantibus in proelio ferrent, et vero etiam proelium inciperent. Sic Sallust. in Catilin. c. 60.: *Postquam eo ventum est, unde a ferentariis proelium committi posset.* Cf. Festus s. h. v. et Nonius p. 554. Igitur *amicus ferentarius*, qui semper ad auxilium ferendum paratus est. Ceterum in Codd. Pall. teste Pareo legitur: *ferentaneum.* Horum et similium vv. forma in — *aneus* recentior est. Antiquior in — *arius* desinit. *Dierecte.* Cf. quae supra notavimus de Rostii sententia ad Captiv. III, 4, 103. *Si hercle ire* hoc ordine cum vulgata Codd. Pall. Deinde sub fin. iidem codd. *votis*, pro quo scripsi *votes. Votare* pro *vetare* antiqui dixerunt,

Le. Nisi me áliud quid vis, Phílto, respondí tibi.
Ph. Benígniorem, Lésbonice, té mihi,
Quam núnc experior ésse, confidó fore.
Nam et stúlte facere, et stúlte fabulárier,
Utrúmque, Lesboníce, in aetate haúd bonumst.
St. Verum héicle hic dicit. *Le.* 'Oculum ego effodiám tibi,
Si vérbum addideris. *St.* Hércle quin dicám tamen.
Nam sic si non licébit, lúscus díxero.
Ph. Ita tú nunc dicis, nón esse aequiparábiles
Vostrás cum nostris fáctiones átque opes?
Le. Dicó. *Ph.* Quid nunc? Si in aédem ad coenam véneris,
Atque íbi opulentus tíbi par forte ut vénerit,
Appósita coena sít, popularem quám vocant,
Si illí congestae sínt epulae a cliéntibus,
Si quíd tibi placeat, quód illi congestúm siet;
Edísne, an incoenátus cum opulento áccubes?
Le. Edím, nisi si ille votet. *St.* At pol ego, etsí votet,

---

ut Plautus aliquoties, atque ita paene ubique Codd. Pall. exhibent teste Pareo. *Dierecte* priores duas syllabas per synizesim in unam contrahit. *In aetate;* ut supra Trin. I, 1, 2. videtur esse *aliquando, interdum;* vel *in vita*, *nonnunquam*. Cf. Turn. adv. XXVI, 16. *Quin — tamen;* rarius particularum connubium, quod eodem iure dici videtur, quo, *quin contra*, quod frequentissimum est. *H. quid dicam t.* MSS. Pall. *Factiones;* Cf. quae supra notavimus ad h. sc. v. 51. Ceterum affertur hic versus a Nonio pag. 304.

V. 67. Dixerat Lesbonicus, suas opes non posse aequiparari Philtonis; propterea male affinitatem iungi inter utramque domum. Quem ut refutet Philto, exemplo utitur, desumto a coena populari. *Coena popularis* pr. est coena, quae populo datur, quales sunt, quae a triumphantibus exhibentur, aut quae, quum decima Herculi solvebatur, populo proponi solebant. Sed saepe etiam festis diebus vel ludis publicis in aede sacra convivia patronis suis dare solebant clientes ita tamen, ut, quamvis multi convenirent, tamen clientes symbolam afferrent quisque suam. Et videtur in eiusmodi epulis multum liberalitatis et facilitatis locum habuisse. *Aedes* intelligitur *curia*, ubi *curiales* ad epulas publicas convenire solitos esse, constat ex Dionys. Halic. II, 23. qui *curiam* ea de caussa ἑστιατόριον appellat. Ceterum cf. A. Gellius XII, 8. ubi narratur Scipio Africanus maior cum Graccho patre die solemni, quum Iovi epulum libaretur, in gratiam rediisse. *Opulentus tibi par. Par* est eodem loco accubans. Similiter Cic. Ep. IV, 9. *Fratri tuo si non par, certe proximus sum.* Structura ita erit expedienda: *Si ad coenam veneris atque ibi, ut — tibi par forte venerit, apposita sit coena;* ita ut verba: *ut — venerit* condicionem novam contineant. — *Nisi si*, πλὴν ἐάν. Dicitur autem ut *quasi si*, quum *nisi* et *quasi* longo usu nativam notionem amiserint. *Votet* bis h. l. scripsi, Pareum secutus, qui et h. l. ita dedit et supra ad. v. 56. Codd. Pall. ita scriptum exhibere testatus est. Tum *etsi* pro vulgato *etiamsi* cum Hermanno scripsi, metro postulante. *Et* et *etiam* incredibile est, quam

Edim, átque ambabus mális expletís vorem;
Et quód illi placeat, praéripiam potíssumum;
Neque illí concedam quídquam de vitá mea.
Verécundari néminem apud mensám decet,
Nam ibi dé divinis átque humanis cérnitur.
Ph. Rem fábulare. *St.* Nón tibi dicám dolo:
Decédam ego illi dé via, de sémita,
De honóre populi; vérum quod ventrem áttinet,
Non hércle hoc longe, nísi me pugnis vícerit.
Coena hác annona est síne sacris heréditas.
Ph. Sempér tu hoc facito, Lésbonice, cógites,
Id óptumum esse, túte uti sis óptumus;
Si id néqueas, saltem ut óptumis sis próxumus.
Nunc cóndicionem hanc, quam égo fero, et quam abs té peto,
Dare átque accipere, Lésbonice, té volo.
Di dívites sunt, deós decent opuléntiae
Et fáctiones. Vérum nos homúnculi
Salíllum animai; quám quom extemplo amísimus,
Aequó mendicus átque ille opulentíssumus

---

saepe permutentur a librariis compendia ignorantibus. Versu proximo vulgo legitur *ambabus malis expletus* errore typographico, quem Bothius et Weisius pro varia lectione vel emendatione habentes servarunt. *Neque — de vita.* Agitur enim de salute vitae ex Stasimi sententia, quum de ventre implendo agitur. *Rem fabulare;* rem ipsam dicis, id quod res est dicis. *De honore populi;* in ambiendo munere civitatis. *Non hercle hoc longe.* Quum in libro Roveriano lectum esset: *hoc ongue,* volebat Lipsius: *N. h. h ungue,* quemadmodum dici solet: *transversum unguem alicui concedere.* Verum *Non hoc longe* cum gestu demonstrantis pronunciabat histrio, ita ut ostenderet, quam longe. Cf. Mostell. II, 1, 46. Cistell. II, 3, 39. atque ad hunc Cist. locum quae Gronovius adnotavit. *Hac annona*, iculariter, quum tam cara iam sit annona, pro *hac tempestate — Sine sacris hereditas.* Cf notata supra ad Captiv. IV, 1, 8. Adde interpp. ad Cic. pro Muraen. c. 21. Cic. de Legg. II, 8, 21. Lips. antiqq. lectt. 1, 5. — V. 86. Pro vv. *Si id nequeas saltem.* Codd. Pall. exhibent: *Si id neque ad salutem.* Alii libri scripti *Si id neque vis saltem*; *Si id neque viae saltem*; editi: *Si id nequiveris saltem.* Pareus scripsit: *Si id nequeat saltem.* Quae omnia notavi, ut exemplo intelligeretur, quantum libri saepe peccent in rebus vel simplicissimis. *Opulentiae.* Ita V. C. Cam. Antea: *decet opulentia*, sed Gronovius Plauti usu probavit numerum pluralem. Cf. Bacch. III, 4, 23. Recte etiam atque apposite laudavit Gronovius Stich. II, 1, 28. ubi legitur: *Secundas fortunas decent superbiae. — Salillum animai.* Antique sic scribendum erat, metro postulante. Vulgo *Salillum animae.* Deinde vulgo atque in Codd. Pall. *qui quom ext.* quod ab Acidalio est emendatum. Ceterum cf. Cic. de Nat. Deor. II, 64. ibique interpp., a quibus hic locus illustratur. Genitivi formam antiquam exemplis illustrat Goellerus ad Trin. II, 2, 86., quod supra notare

Censétur censu ad Acheruntem mórtuus.
St. Mirúm, ni tu illuc técum divitiás feras;
Ubi mórtuus sis, íta sis, ut nomén cluet.
Ph. Nunc út scias hic fáctiones átque opes
Non ésse, neque nos tuám neglegere grátiam,
Sine dóte posco tuám sororem filio.
Quae rés bene vortat, hábeon' pactam? Quíd taces?
St. Pro di ímmortales, cóndicionem quoíusmodi!
Ph. Quin fábulare: dí bene vortant; spóndeo.
St. Eheú, ubi dicto níl erat usus, spóndeo
Dicébat; nunc hic, quom ópus est, non quit dícere.
Le. Quom affínitate vóstra me arbitrámini
Dignum, hábeo vobis, Phílto, magnam grátiam.
Sed etsi hércle graviter cécidi stultitiá mea,
Philto, ést ager sub úrbe hic nobis, cúm dabo
Dotém sorori; nam ís de stultitiá mea
Solús superfit praéter vitam rélicuus.
Ph. Profécto dotem níl moror. *Le.* Certúmst dare.
St. Nostrámne, ere, vis nutrícem, quae nos éducat,

---

omisimus. — *Ad Acheruntem*; ut funtes, frundes, antique. Primam syllabam apud veterum aliquos longam esse, notavimus supra ad Captiv. III, 5, 31. Cf. Captiv. V, 4, 1 seq. *Mirum, ni tu illuc* cet. In Codd. Pall. legitur: *An mirum ni tu illum;* unde facit Pareus *Au! mirum ni t. illuc.* Insulsum illud *an* natum esse videtur ex signo personae versui praefixo. Philto videbatur Stasimo conqueri, quod non posset etiam apud Acheruntem divitias possidere. Quaprupter secum haec: Credo profecto, te etiam illuc divitias tuas transferre cupere. Sed erras. Ubi mortuus eris, eris illud, quod vocabulum illud dicit, i. e. mortuus. Igitur: *mirum, ni — feras*, est, *credo, te — ferre cupere.* Contrarium significat: *Mirum quin*, non credibile est. De utraque formula cf. Goellerum ad hunc locum, qui largam collegit exemplorum copiam. De formula *ut nomen cluet* cf. notata infra ad III, 1, 19.

V. 102. *Eheu ubi dicto nil erat usus* cet. Tangit Stasimus sponsionem illam, secundum quam, ut supra v. h. sc. 26. narratum, Lesbonicus mille drachmas exactus erat. Ceterum vulgo legitur: *ubi usus nihil erat dicto*, quod metri gratia Hermannus mutaverat: *ubi nihil erát dicto usus*, qui ordo displicet propter plus unam causam, quorum gravissima est, quod sic voc. in quo pondus sententiae requiescit, et postpositum longius est et in thesi latet. *Dicto usus* cf. notata supra ad Milit. II, 6, 43. *Cecidi*; cadere ut labi pro eo quod est vitium admittere, peccare, satis notum. — V. 108. *De stultitia mea*, de eo, quod per stultitiam meam perdidi. — V. 111. In utroque MS. Pal. legitur: *Nostramne eleuis nutricem ere quae*, ex quo alii aliud fecerunt. Vulgo: *Nostramne vis nutricem, here, quae.* Herm. *Nostramne nutricem, here, vis, quae.* Olim ego scripsi: *Nostramne vel nutricem, here, quae.* Nunc mihi *vel* illud non satis accommodatum videtur, maxime quia sententiae vim magnopere elevat.

Abálienare a nóbis? Cave sis féceris.
Quid edémus nosmet póstea? *Le.* Etiam tú taces?
Tibi egó rationem réddam? *St.* Plane périimus,
Nisi quíd ego comminíscor. Philto, té volo.
Ph. Si quíd vis, Stasime. *St.* Huc cóncede aliquantúm. *Ph.* Licet.
St. Arcáno tibi ego hoc díco, ne ille ex té sciat,
Neve álius quisquam. *Ph.* Créde audacter quíd lubet.
St. Per deós atque homines díco, ne tu illúnc agrum
Tuum síris umquam fíeri, neque gnatí tui.
Ei rei árgumentum dícam. *Ph.* Audire edepól lubet.
St. Primum ómnium, olim térra quom proscínditur,
In quínto quoque súlco moriuntúr boves.
Ph. Apage. *St.* Acheruntis óstium in nostro ést agro.
Tum vínum, priusquam cóctumst, pendet pútidum.
Le. Consuádet homini, crédo. Etsi sceléstus est,
At mi ínfidelis nón est. *St.* Audi caétera.
Post íd, frumenti quom álibi messis máxuma est,
Tribus tántis illi mínus redit, quam obséveris.
Ph. Hem, istíc oportet óbseri morés malos,
Si in óbserendo póssint interfíeri.
St. Neque úmquam quisquam est, quóius ille agér fuit,
Quin péssume ei res vórterit. Quoiúm fuit,

Quapropter in illo monstro *eleuis* latere putavi *ere*, *vis*, quod dedi, abiecto in seqq. *here* vocabulo. *Etiam tu taces*; urbana imperandi formula, indignationem tamen subindicans. Proprie enim *etiam tu taces*, est: etiamne hoc facis, quod dudum imperavi, nempe ut taceas? Fingit enim, qui ita interrogat, se iamdudum imperasse, quod quaerit, et nunc quaerere, num ille imperio obsecutus fuerit. Sic apud Terent. Heaut. II, 1, 6. *Etiam caves, ne videant forte cet.* Hütest du dich denn auch? Et Adelph. IV, 2, 11. *Etiam taces*, schweigst du auch? Idem Phorm. III, 3, 9. Adde Trin. infra III, 3, 61. Nostrates fere: wirst du auch schweigen, pro: so schweige doch! — V. 116. *Licet* familiaris assentiendi formula, meinetwegen. Cf. Plaut. Rud. IV, 7, 3 seqq.

V. 122. Stasimus oratione vehementer ad risum comparata, impedire studet, quo minus Philto agellum istum, Lesbonico unice reliquum, pro dote accipiat. Ideo damna et incommoda agelli mirum in modum et supra quam credibile sit, exaggerat. *Olim — quom;* si quando. *Olim* enim quanquam pr. *illo tempore* signif. tamen factum quoque est indefiniti temporis adverbium, *aliquando.* Cf. notata supra ad Milit. I, 1, 2. Pro v. *coctum* vulgo et in Codd. et vett. edd. legitur *coactum*, quod primus emendavit Scriverius. *Coctum* est *maturum*, quare *praecox* praematurus. *Etsi — at.* De particula *at* in apodosi vide quae diximus ad Captiv. III, 5, 32. *Tribus tantis minus.* Illustrat hoc loquendi genus Dousa Pl. expl. IV, 23, apposito Bacchid. loco IV, 9, 111. *Sexcenta tanta reddam, si vivo, tibi. Quoium fuit.* Ante haec vocabula plene distinxi, Bothium secutus, quum

Alii éxsulatum abiérunt, alii emórtui,
Alií se suspendére. En, nunc hic, quóius est,
Ut ad íncitas redáctus. *Ph.* Apage a me ístum agrum.
St. Magis ápage dicas, si ómnia ex me audíveris.
Nam fúlguritae súnt alternae árbores.
Sués angina móriuntur acérruma.
Ovés scabrae sunt, tám glabrae, en, quam haec ést manus.
Tum autém Syrorum, génus quod patientíssumumst
Hominúm, nemo exstat, qui íbi sex mensis víxerit;
Ita cúncti solstitiáli mórbo décidunt.
Ph. Credo égo istuc, Stasime, ita ésse; sed Campás genus

---

vulgo commate tantum distinguatur. Ceterum retinui *quoium* lectionem Cod. v. Cam. Sed alter Cod. Pal. *ciuium* i. e. *cuium*. Vtrumque non est neutrum singulare, sed genitivus pluralis pro *quorum*. Rectius tamen erit et fortasse olim ita scriptum *quium*, genitivus pluralis a forma nominativi *ques*, *quia*, unde genitivo *quium*, dativo *quibus* enunciabant. Quum vero genitivus ita quoque scriberetur *cuium*, alii *quoium* finxerunt, ut pro *cuius* formatur *quoius*. De nominativo *ques* cf. Festum v. *Ques* pag. 221. ed. m. *Ques antiqui dixerunt; inde declinatum remanet dativo casu quibus. Nam qui adhuc item quis facit, ut isti istis, illi, illis.* Cf. Charis. pp. 51. 76. 77. 91. Priscian. XIII, 3. Serv. ad Virg. Aen. I, 95. Rhemnius Palaemon p. 1377. P. *En, nunc, hic*. Vulgo *hem n. h.* Sed cf. notata supra ad Captiv. II, 3, 13.

V. 136 et superiores duo laudantur a Nonio p. 123, non integri. — V. 137. Vulgo: *a me audiveris*. Sed ostendit Kampmannus, V. Clarissimus, in libello de *AB* praepositionis usu Plautino pag. 29. nunquam ita dixisse Plautum *audire ab aliquo*, sed *audire ex al.* Accedit quod Codd. Pall. *a* praep. hic non exhibent, quorum alter *omnia me audiveris*, alter *omnia mea audiveris*. *Alternae*; semper de binis altera; ubique una de duabus. Vulgo legitur: *sunt hic alternae*, cum *hic* absit a Codd. Pall.; atque ita versu seq. Herm. interposuit: *angina hic ac.* cum *hic* vulgo atque in Codd. absit. Negari non potest, interposita hac particula commode metro subveniri, sed tamen Plautum ita scripsisse dubito, propterea quod repetitum illud *hic* elegantiae Plautinae non convenire existimem. Donec igitur Codd. ope meliora edocemur, hiatus in priori versu admittendus, alter vero transpositione emendandus videtur: *Sues angina moriúntur acerruma.* Vltima in v. *moriuntur* producitur, ut saepe, de qua re cf. Kampmann. in Annott. ad Rud. pag. 3 seqq. *Acerruma* scripsi cum Douza; vulgo et in Codd. Pall. *acerrume*. Fateor, me non intelligere, quid sit *acriter mori;* contra *angina acris* usitatissima dicendi ratio, ut *morbus acer*, *acutus* et eiusmodi alia. *Morbus solstitialis* est, quem et siriasin vocant, quum homines nimio calore solis in insaniam acti concidunt. Hoc igitur sibi velle videtur servus, si quis ibi inde ab Ianuario mense ad sextum vivat, circa solstitii tempus a siriasi correptum mori solere. *Decidunt*, ut folia, fructus arborum. Simili metaphora usus est Horatius Epist. II, 1, 36. *Scriptor abhinc annos centum qui decidit.*

V. 144 et 145 excitantur a Nonio p. 486. et posterior horum vv. a Diomede p. 294. ed. Putsch. Apud Nonium scriptum legi-

Multó Syrorum íam ántidit patiéntia.
Sed iste ést ager profecto, ut te audiví loqui,
Malós in quem omnis públice mittí decet.
Sicút fortunatórum memorant ínsulas,
Quo cúncti, qui aetatem égerunt casté suam,
Convéniant; contra istóc detrudi máleficos
Aequómst videtur, quí quidem istius sínt modi.
St. Hospítiumst calamitátis; quid verbís opust?
Quamvís malam rem quaéras, illic réperias.
Ph. At tu hércle et illi et álibi. *St.* Cave sis díxeris,
Me tíbi dixisse hoc. *Ph.* Díxisti arcanó satis.
St. Quin híc quidem cupit illum áb se abalienárier,
Si quidém reperire póssit, quoi os súblinat.
Ph. Meus hércle numquam fíet. *St.* Si sapiés quidem.
Lepide hércle de agro ego húnc senem detérrui.
Nam quí vivamus, níhil est, si illum amíserit.
Ph. Redeo ád te, Lesboníce. *Le.* Dic sodés mihi,
Quid híc locutust técum? *Ph.* Quid censés? Homo est;

---

tur *Campans*, Grammatici ignorantia, qui apicem in Campas pro signo litterae *n* haberet. *Campas* MSS. Pall. teste Pareo. Sententia haec est. Philto, iocanti Stasimo, serio respondet, et tanquam bonus paterfamilias non potest omittere occasionem, quo ostendat, quam bene teneat, ubi et qui genus boni servi sint. Hoc igitur ait Philto, Campanos servos laboris patientiores esse, quam Syros. *Antidit* Codd. Pall. Nonius et vulgata. Cf. Gulielm. Quaestt. Plaut. Trin. c. 1. Dicitur *antideo* ut *antisto*, *antistes*, *anticipo*, *antidea*, *antidhac*. Non dubium videtur, *antidis*, *antidit* scribendum esse, ubi tres syllabas, *anteis*, *anteit* ubi duas requirit versus. Magnopere erraverunt, qui genitivum *Syrorum* a verbo *antidit* pendere vellent; repetendum ex supp. *genus*. Cf. Cicero de Off. II, 25. *Nam et corporis commoda cum externis et externa cum corporis et ipsa inter se corporis et externa cum externis comparari solent.* — V. 149. *Egerint* scripserat Herm. satis probabili ratione. Sed non addicunt libri, neque opus est coniunctivo. Saepe enim in enunciato finali secundaria enunciata indicativo introducuntur, de quo genere cf. Görenz. ad Cic. de Legg. III, 5, 12. Ellendt. ad Cic. Brut. c. 49, 155. Ceterum *egerunt* h. l. penultima brevi pronunciandum. — V. 153. *Quaeras* scribendum fuit ex Cod. V. Cam.; vulgo *quaerens*, quam lectionem introduxisse videtur Camerar.

V. 154. *Et illi et alibi.* Sic recte vulgo. *Illi* exhibent Codd. Pall. sed in iisdem Codd. deest prius *et*, quod propter sententiam vix desiderari potest. — V. 156. Vulgo *ab sese abalienarier*, atque ita quoque Codd. Pall. versu labante. Neque ulla est caussa, cur *se* encliticum h. l. erigatur et pondus accipiat. — V. 157. De locutione *os sublinere* cf. ad Captiv. III, 4, 123. — Ceterum vulgo legitur *reperiri* et *cuius os*. At in Codd. Pall. est *reperire* et *cuius* omisso v. *os*, unde intelligitur *cui os* scriptum fuisse. Activum verum esse, non dubium est. De hiatu in vv. *quoi os* ne timeas. Cf. Menaechm. III, 2, 28. *Cur ausus facere*,

Volt fíeri liber; vérum, quod det, nón habet.
Le. Et ego ésse locuples, vérum nequicquám volo.
St. Licitúm, si velles; núnc, quom nihil est, nón licet.
Le. Quid técum, Stasime? *St.* De ístoc, quod dixtí modo;
Si anteá voluisses, ésses; nunc seró cupis.
Ph. De dóte mecum cónveniri níl potest;
Quod tíbi lubet, tute ágito cum gnató meo.
Nunc tuám sororem fílio poscó meo,
Quae rés bene vortat. Quíd nunc? Etiam cónsulis?
Le. Quid istúc? Quando ita vis, dí bene vortant: spóndeo.
Ph. Numquam édepol quoiquam tam éxspectatus fílius
Natús, quam est illud „spóndeo" natúm mihi.
St. Di fórtunabunt vóstra consilia. *Ph.* 'Ita volo.
Le. Sed, Stásime, abi huc ad meám sororem, ad Cálliclem;
Dic hóc negoti quómodo actumst. *St.* 'Ibitur.
Le. Et grátulator meaé sorori. *St.* Scílicet.
Ph. I hac, Lésbonice, mécum, ut coram núptiis
Dies cónstituatur; eádem haec confirmábimus.
Le. Tu istúc curato, quód iussi; ego iam híc ero.
Dic Cállicli, me ut cónvenat. *St.* Quin tu í modo.
Le. De dóte ut videat, quíd opus sit facto. *St.* 'I modo.
Le. Nam cértumst me sine dóte haud dare. *St.* Quin tu í modo.
Le. Neque enim ílli damno umquam ésse patiar. *St.* 'Abi modo.
Le. Meam négligentiam. *St.* 'I modo, i modo. *Le.* 'O pater,

---

quoi ego aeque herés eram. Ita enim sine dubio legendum. V. 165. Vulgo *quoniam nihil est.* Emendavit Herm. V. 166. *De istoc* cet. Stasimus non satis clare locutus erat. Igitur quaerit ex eo Lesbonicus, quid secum et clandestino sermone dixisset. Respondet Stasimus, se de ea ipsa re dixisse, de qua antea Lesbonicum. V. 167. Multum habet quo se commendet Hermanni coniectura: *Voluisses antea, esses.* Sed Codd. Pall. vulgatam tuentur: *Si antea voluisses esses*, quae servanda erat, quum *antea* disyllabum haberi et pronunciari solere, non sit dubium. V. 168. Vulgo: *convenire nihil potes* atque ita, ut videtur, Codd. Pall. Emendavit Acidal. in Trin. c. 5. — V. 171. Vulgo *Quid istic* atque ita Codd. Pall. Sed recte iam olim *Quid istuc* scripserunt. V. 177. Verba: *Di fortunabunt vostra consilia* afferuntur a Nonio p. 109. *Scilicet;* ironica vi. Tanquam hoc dicat: Scilicet hoc monere opus est. *Eadem*, cf. supra ad Mil. Glor. II, 2, 32. V. 181. Vulgo: *Tu istuc cura quod iussi.* Emendavit Herm., qui tamen scripsit: *quod ego iussi, iam hic ero.* Mihi videtur versus sic pronunciandus esse, ut *iam* non colliquescat cum sequenti vocula. — V. 182. Servavi hoc versu vulgatam scripturam, nisi quod *convenat* pro *conveniat* scripsi. Herm. dederat: *Et Callicli dic, me ut conveniat. I modo.* Mihi non dubium est, poetam h. l. *convenat* voluisse pro *conveniat.* Tuentur enim v. *quin* MSS. Pall. Cf. quae supra notata sunt ad Trin. I, 2, 3. *Quid opus sit facto;* cf. notata ad Trin. III, 3, 79. et ad Milit. III, 1, 209. V. 186. Vulgo semel legitur *i modo.* Emendandi necessitatem

Aequóm videtur, quí, quod peccarim. — *St.* 'I modo.
Le. Potíssumum mihi id óbsit. *St.* I modo. *Le.* 'O pater,
En úmquam aspiciam te? *St.* 'I modo, i modo, í modo.
Tandem ímpetravi abíret. Di, vóstram fidem,
Edepól re gesta péssume gestám probe,
Siquídem ager nobis sálvos est; etsi ádmodum
In ámbiguo est etiám nunc, quid de hac ré fuat.
Sed si álienatur, áctumst de colló meo.
Gestándus peregre clúpeus, galea, sárcina;
Effúgiet ex urbe, úbi erunt factae núptiae:
Ibít istac aliquo in máxumam malám crucem
Latrócinatum, aut ín Asiam, aut in Cíliciam.
Ibo húc, quo mi imperátumst, etsi odi hánc domum,
Postquam éxturbavit hic nós ex nostris aédibus.

ACTVS III. SCENA I.

Callicles, Stasimus.

Ca. Quómodo tu istuc, Stásime, dixti? *St.* Nóstrum herilem fílium

---

metrum ostendit, cui ut succurreret, Pareus scripserat: *quin i modo. Aequom videtur, qui:* Sic Hermannus scripsit pro vulgato *quin.* Ut *quin* servaret, Bothius versu superiori pro verbis *o pater* scripsit *neque*, quod mihi non probavit. *Qui*, ut saepe, pro simplici *ut*, de qua notione cf. Parei lex. Pl. s. h. v. *Quid de hac re fuat. Esse*, ut *fieri*, *facere*, et soli ablativo et praepositioni *de* coniungitur, quum de rebus fortuitis sermo est; *was daraus werden wird.* Ceterum in Cod. V. Cam. *quid de ea re fuat.* Scioppius: *quid ea re fuat.* — V. 194. *Sed si alienatur.* Vera haec scriptura, licet in MSS. Pall. legatur: *Sed id si alienatur.* Male enim *id* ad agrum referri, sponte patet; simili modo male egerant, qui in supp. v. 134. *quoium fuit* genere neutro dictum esse atque ad *agrum* referri vellent. — V. 197. *Ibit istac.* Sic vulgo et in Codd. Pall. Douza scripserat *istinc*, quod ut supervacaneum reprobandum. *Istac* vero est *istoc modo*, *istac ratione.* Cf. Trin. II, 2, 106. — *Latrocinatum;* militatum. *Latrones* enim priscis Romanis milites mercede conducti. Unde *latrocinari* mercenaria stipendia mereri. Cf. notata supra ad Milit. II, 6, 19. — V. 200. *Postquam exturbavit hic nos ex nostris aed.* Ita vulgo atque in Codd. Pall. *Nos* omiserunt alii, praep. *ex* Herm. At videtur *exturbavit* trisyllabum esse, quemadmodum in similibus exemplis adnotavi supra ad Trin. I, 1, 9. ibid. I, 2, 132. Qua de caussa vulgata cum codd. servanda erat.

Act. III. Sc. I. Stasimus, quemadmodum praeceperat Lesbonicus, Calliclem edocuerat, quae inter herum et Philtonem de sorore elocanda transacta erant. Iam Callicles cum Stasimo procedens, iterum quaerit dubitans. Non enim recte sese intellexisse putat, quia res incredibilis videbatur, sororem sine dote desponsam esse. Ceterum notandum est, digressis superioris scenae personis actionem paulisper inhiberi, quapropter cum

Lésbonicum suám sororem déspopondisse. Hóc modo.
Ca. Quoí homini despóndit? *St.* Lysitelí Philtonis fílio,
Síne dote. *Ca.* Sine dóte ille illam in tántas divitiás dabit?
Nón credibile dícis. *St.* At tu núllus edepol créduas.
Si hóc non credis, égo credidero. *Ca.* Quíd? *St.* Me nihili péndere.
Ca. Quámdudum istuc, aút ubi actumst? *St.* 'Illico hic ante óstium,
Támmodo, inquit Praénestinus. *Ca.* Tánton' in re pérdita,

---

scena vacua relinquenda esset, aulaeum erat tollendum. Non enim in fine tantum fabulae, neque solum cum scena esset mutanda, aulaea sublata esse credibile est, verum etiam, si quando, ut hoc loco, data actionis interstitione, scena vacua paullisper manebat. De usu aulaei in scena cf. interpp. ad Apulei. Metam. X, 29. fin. et Genelli theatr. Athen. p. 54 seqq. Verba *nostrum herilem filium — despopondisse*, vulgo Callicli continuantur; sed vett. edd. et seriores aliquot Codd. iis personae *Sta.* notam praefigunt, quod verum esse puto. Non enim Callicles *nostrum herilem filium* dicere potuit, quam difficultatem sentientes alii scripserunt *vostrum.* Ceterum *despondisse*, ut *despondit* v. seq., sine reduplicatione Codd. Pall. Puto equidem, Plautum uno etiam loco posuisse formam reduplicatam Cist. II, 3, 57. *Suam despopondit in divitias maxumas.* Nam Truc. IV, 3, 51. ubi vulgo legitur *despoponderas*, metrum legendum esse docet *desponderas.* Et quum in Cistell. quoque l. c. Codd. Pall. habeant *Suám despondit ín dir. m.*, ibi quoque hanc formam praetulerim. Negari tamen non potest, satis commode h. l. in utroque versu formam reduplicatam poni, quum sic demum utrobique hiatus evitetur. *Nullus creduas.* Donat. ad Terent. Eunuch. II, 1, 10. *Nullus pro non. Sic in Hecyra: Nullus dixeris. Plautus in Trinummo: Nullus creduas.* Usus hic repetendus est a vulgari illa comicae desperationis formula: *nullus sum*, pro *non amplius sum, perii.* Ut igitur *nullus sum*, pro *non sum*, sic *nullus credas* pro *non credas.* Tenendum tamen, hanc loquendi formulam nonnisi in comica oratione locum habere posse. Sententia est: sive tu credas, sive non credas, mea nihil refert. Magst du es doch nicht glauben. Ceterum de formulis *nullus dixeris*, *nullus moneas* et similibus cf. Zumpt. lib. Gramm. §. 688. Tum vulgo legitur: *At tu edepol nullus creduas*, quae eleganti transpositione emendata sunt ab Hermanno. Nec verum est, quod Bothius dicit, solere adverbia asseverandi, ut *edepol, hercle, profecto, sane, vero*, proxime post pronomina personalia collocari. Solet potius collocari *edepol* et est collocandum, quemadmodum aliae asseverandi voculae, proxime ante et post verba, quorum sententia asseveratur, qua re eaedem etiam saepe ab initio totius enunciati ponuntur, excepto adv. *vero*, si ad totum enunciatum spectat asseveratio. Exempla singulae paginae apud Plautum praestant. V. 6. *Credidero*, futurum momentarium. Cf. notata supra ad Captiv. II, 2, 64. ich werde sogleich glauben. *Quamdudum;* cf. quae supra notavimus ad Captiv. V, 3, 3. *Tammodo;* provincialium ridet usum pravum. Cf. Festus h. v. (p. 154. ed. m.) qui testatur, Praenestinos barbare dixisse *tammodo* pro *modo* (so eben). Non enim Latine dicitur *tammodo*, estque contra rationem οὕτως

Quam ín re salva, Lésbonicus fáctus est frugálior?
St. 'Atque equidem ipsus últro venit Phílto oratum fílio.
Ca. Flágitium quidem hércle fiet, nísi dos dabitur vírgini.
Póstremo edepol égo ístam rem ad me áttinere intéllego.
'Ibo ad meum castígatorem, atque áb eo consiliúm petam.
St. Própemodum quid illíc festinet, séntio, et subolét mihi,
'Ut agro evortat Lésbonicum, quándo evortit aédibus.
'O here Charmide, quóniam absenti hic túa res distrahitúr tibi,
'Utinam te redísse salvom vídeam, ut inimicós tuos
'Ulciscare, ut míhi, ut erga te fui ét sum, referas grátiam.
Nímium difficile ést reperiri amícum, ita ut nomén cluet,
Quoí tuam quom rém credideris, síne omni cura dórmias.
Séd generum nostrum íre eccillum vídeo cum affiní suo.
Néscio quid non sátis inter eos cónvenit; celerí gradu
Súnt uterque; illíc reprehendit húnc priorem pállio;
Haúd illi eusehemc ástiterunt; húc aliquantum abscéssero.
'Est lubido orátionem audíre duorum affínium.

ἄρτι, tanquam si tu Germanice diceres *so sehr eben*, *so sehr gleich*. Non dissimili modo peccant nostratium quidam, quum in pari sententia dicunt *alleweile*, quod est provinciarum quarumdam. Similem Praenestinorum barbariem ridet Plautus in Truc. III, 2, 23. *Vt Praenestinis conia est ciconia.* Scripsit hoc nostro Plauti loco Lamb. *Iammodo*, de suo, quod refutatur a Festo, ubi haec glossa inter vv. a litera *T* incipientia exhibetur. — V. 11. Scripserat Herm. *Atque quidem ipsus.* Sed libri omnes *equidem* tuentur, quod verum est. Non enim aliter differunt *equidem* et *quidem*, nisi quod *quidem* encliticum est, *equidem* vero ὀρθοτονούμενον. V. 12. *Postremo*, kurz. Vocabula enim *postremo* et *denique* saepe dicuntur, quum significare vis, nihil cogitationis amplius reliquum esse, rem iam ad liquidum perductam; quasi tu dicas: ut brevibus complectar, ut uno verbo dicam, omnia ad hoc unum redeunt. Cic. ad Att. XIII, 28. fin. *Postremo, ut volet.* Vulgatam scripturam: *ego istam rem ad me* Herm. hiatus evitandi causa transponendo emendare aggressus erat: *ad me ego istam rem*, qui ordo mihi non satis convenire videtur quotidiano sermoni; *me* non eliditur. — V. 17. Vulgo: *quam absente te hic tua r.* Sed C. V. Cam. *quom aps.* et C. Dec. *quoniam abs.* Tum *absente te* exhibent quidem Codd. Pall. sed aperte male repetita ultima syllaba. Veram scripturam dudum exposuit Herm. Ceterum ultima in v. *Charmide* corripitur, ut *Hercule* apud Horatium Epist. I, 15, 39 et *Chreme* apud Terent. Andr. V, 2, 13. ubi male pronunciat Bentleius; Phorm. IV, 3, 4. et saepe alibi. Vbi ultima in huiusmodi nominibus apud Plautum et Terentium producenda, semper plenior forma vocativi in — *es* desinens invenitur. — V. 19. *Ita ut nomen cluet;* verus amicus, qui isto nomine dignus est. Similiter Bacchid. III, 2. *Homini amico, qui amicus est, ita ut nomen possidet;* i. e. cuius facta respondent nomini, et qui, ut Horatius ait, *id curat esse quod audit.* Dousa Plaut. expl. IV, 24. *Non satis convenit inter eos;* diversae sententiae esse videntur. *Sunt uterque;* Acidalii est emendatio. Vulgo *Eunt uterque.* In MSS. Pall. legitur *gra-*

ACTVS III. SCENA II.

Lysiteles, Lesbonicus, Stasimus.

Ly. Stá illico. Noli ávorsari, néque te occultassís mihi.
Le. Pótin' ut me ire, quó profectus súm, sinas? *Ly.* Si in rém tuam,
Lésbonice, essé videatur, glóriae aut famaé, sinam.
Le. Quód est facillumúm, facis. *Ly.* Quid id ést? *Le.* Amicoˋ iniúriam.
Ly. Néque meumst, neque fácere didici. *Le.* Indóctus quam docté facis.
Quíd faceres, si quís docuisset te, út sic odio essés mihi?
Quí bene mihi quom símulas facere, mále facis, male cónsulis.
Ly. 'Egone? *Le.* Tu nae. *Ly.* Quíd male facio? *Le.* Quód ego nolo, id quóm fácis.
Ly. Tuaé rei bene consúlere cupio. *Le.* Tú mi es melior, quam ˋégo mihi?
Sát sapio; satis ín rem quae sint méam ego conspició mihi.
'An id est sapere, ut quí beneficum bénevolentem répudies?

---

diiscunt uterque. — *Euscheme*, εὐσχήμως, decoro habitu, statu. Retracto enim pallio non decenter astabant.

Act. III. Sc. II. Callicles ad Megaronidem abiit, consulturus, quid facerent. Prodeunt Lysiteles et Lesbonicus de dote sororis inter sese decertantos. Stasimus e longinquo sermonem eorum sublegit. *Occultassis*, occultasse velis, occultare volueris. *Quo profectus sum.* Quo ire institui. Nàtiva haec est verbi significatio. Truc. I, 2, 105. *Prope est, profecta quo sum.* V. 7. Vulgo: *Qui bene quom simulas facere mihi te*, in quibus peccatum esse, metrum indicium facit. Herm. omisso *qui*, Both. omisso *quom* loco medicinam afferre conati sunt. Mihi vero positio pronominum *mihi te*, sic ad finem remotorum, suspicionem creat; accedit, quod *te* supervacaneum est. Cf. Bacchid. I, I, 42. *Simulato me amare*, h. e. *te me amare.* Scripsi ergo dudum: *Qui bene mihi quom simulas facere, male* cett.

V. 9. *Tu mi es melior, quam ego mihi.* Sic dudum emendaveram. Vulgo: *tu mihi es melior, quam egomet, mihi.* Herm. dederat: *melior tu es, quam egomet, mihi.* Non sine causa poeta pronomen *mihi* repetiisse videtur, quare in Codd. scriptura, quae est vulgata, perstandum est, nisi quod *ego* scribendum. Sententia est: Visne tu te meliorem, magis benevolentem erga me praestare, quam ego sum mihimet ipse? *Ut qui beneficum benevolentem.* Ita dedi Codd. Pall. secutus, qui omnes *beneficium benevolente.* Pareus, Lambinus, Herm. *beneficium a benivolente.* Dudum scribendum esse docui *beneficum benevolentem*, quam emendandi viam monstrant recentiores Codd., veluti Lips., qui *beneficium benevolentem.* — *Benefici benevolentes* dicuntur, ut *improbi vanidici* supra II, I, 49. *ridiculi inopes* Capt. III, I, 10. *Beneficium* pro *beneficum*, unde ortum, nemini non patet. *Ut qui*, ἵνα πως, ὅπως τρόπον τινά. Nunquam in hac formula *qui* nominativus est, praeterquam quum *ut qui* fere idem est, quod *tanquam qui*, *quippe qui*, v. c. *ut qui se neget daturum.*

Le. Núllum beneficium ésse duco id, quód, quoi facias, nón placet.
Scío ego, et sentio ípse, quid agam, néque mens offició migrat:
Néc tuis depéllor dictis, quín rumori sérviam.
Ly. Quíd ais? — nam retinéri nequeo, quín dicam ea, quae prómeres —
'Itane tandem tíbi maiores fámam tradiderúnt tui,
'Ut virtute eorum ánteparta pér flagitium pérderes?
'Atqui honori pósterorum tuórum ut vindex íieres,
Tíbi paterque avósque facilem fécit et planám viam
'Ad quaerendum honórem; tu fecísti, ut difficilís foret,
Cúlpa maxume ét desidia, tuísque stultis móribus.
Praeóptavisti, amórem virtuti út tuum praepóneres.

V. 13. *Neque mens o.* Vulgo: *neque a me officium migrat.* Sed versus repugnat. Unde Acidalius, aliquid deesse suspicatus, ad exemplum Titinnii apud Nonium p. 2. *Quot pestes, senia et iurgia semet aedibus emigrarunt*, emendavit *se a me off. m.* In Codd. Pall. teste Pareo legitur: *neque m̄ se off. m.* Cod. Ambr. palimps. *neque meus officio migrat*, teste Brixio in Quaestt. de Plauti et Ter. prosod. Vrat. 1841. pag. 41., quod verum est, nisi forte *officium* legendum. Ita A. Gellius, veterum imitator, II, 29. *Atque ita cassita nidum migrat.* Verba: *nam retineri nequeo, quin dicam ea, quae promeres*, exstant apud Nonium, pag. 375. laudata in exemplum activi usus in verbo *promereor.* V. 16. Vulgo: *Itane tandem — tradiderunt tibi tui;* quod cum metro adversaretur, Herm. omissa interrogandi particula emendare locum studuit. Mihi videbatur pronomen *tibi* non suo loco positum esse, quare cum Bothio scripsi: *Itane tandem tibi maiores — tradiderunt tui.* Penultima in v. *tradiderunt* corripitur, ut innumeris aliis locis in hac perfecti forma fieri solet. — V. 18. *Atque.* Codd. et Edd. O. prava etiam distinctione post v. *fieres* posita. Emendavit Herm. praeeunte Gronovio. — *Praeoptavisti — uti — praeponeres.* Maluisti — anteponere, quam contrarium facere. Ceterum vulgo legitur: *amorem tuum uti virtuti praeponeres*, qui ordo in metrum peccat. Pareus non *uti* sed *ut* edidit, quod Codd. Pall. exhibere videntur. Id si verum est, cum Bothio scribendum: *amorem virtuti ut tuom praep.* Est enim elegantissima et Plauto satis usitata possessivi pronominis positio talis, ut ipsum inter et substantivum, ad quod refertur, aliquot verba, aliter postponenda, intercedant. Aulul. II, 8, 1. *Volui animum tandem confirmare hodie meum.* Cas. III, 2, 2. *Quod me vir tanto opere orabat meus.* Epid. IV, 1, 41. *Prodire filiam ante aedis meam.* Cas II, 5, 30. *res tibi habet tua.* Curc. I, 3, 38. *Cum cruciatu magno dixisti id tuo.* Capt. III, 5, 23. *At cum cruciatu maxumo id factum est tuo.* Milit. II, 6, 27. *Amplexam amicam cum osculabatur suam.* Capt. I, 3, 26. *Quod in rem recte conducat tuam.* Cist. I, 1, 120. *Aures graviter obtundo tuas.* Most. I, 1, 25. *rem curatam offendet suam.* Men. III, 3, 33. *Conveniam servom, si potero, meum.* Stich. I, 3, 46. *Quibus ipsis nullast res, quam procurent, sua.* Et hac ipsa Trin. scena paulo ante v. 16. *Maio-*

Núnc te hoc pacto crédis posse obtégere errata? Ah, nón ita est.
Cápe sis virtutem ánimo, et corde expélle desidiám tuo;
'In foro operam amícis da, haud in lécto amicae, ut sólitus es.
'Atque ego istunc tibi agrúm relinqui ób eam rem enixe éxpeto,
'Ut tibi sit, qui té corrigere póssis; ne omnino ínopiam
Cíves obiectáre possint tíbi, quos tu inimicós habes.
Le. 'Omnia ego ista, quaé dixisti, scío, vel exsignávero:
'Ut rem patriam et glóriam maiórum foedarím meum.
Scíbam ut esse mé deceret; fácere non quibám miser.
'Ita vi Veneris víctus, captus ótio in fraudem íncidi;
'Et tibi nunc, proinde ác merere, súmmas habeo grátias.
Ly. 'At meam operam síc perire, et haéc te corde spérnere,

---

res famam trudiderunt tui. Et paulo post: *et corde expelle desidiam tuo.* — V. 23. Verba: *Ah, non ita est* Edd. tribuunt Lesbonico. Lysiteli continuanda esse vidit Acidalius in Trin. c. 6. „Nihil interlocutus fuisse nec ante locutus quicquam videtur, quum patienter auditis omnibus integram defensionem orditur sic: *Omnia ego istaec, quae tu dixisti, scio.*" — V. 26. Vulgo legitur: *Atque ego istum agrum tibi relinqui*, quae vv. recte Herm. transposuit: *Atque ego istunc tibi agrum r.* Non enim prior syllaba v. *agrum* produci potest. Contra quae Herm. ad evitandum hiatum post v. *relinqui* addidit *a me* exterminanda erant.

V. 27. *Ne omnino* est *ut nequaquam*, ut nullo modo. Cic. ad Fam. I, 7. *Senatus auctoritas perscripta est, ne quis omnino regem reduceret.* — V. 29. Vulgo: *Omnia ego istic*, atque ita Cod. Dec. apud Par. Contra V. C. Cam. *Omnia ego ista*, quae est vera lectio. Nam *istic* nihil est, nisi error male legentis librarii *ista. Vel exsignavero.* Exsignare est e commentario exscribere et describere, atque ita ordine perscribere. Deinde in universum signis, litteris concipere. De potestate futuri exacti supra egimus ad III; I, 6. Cf. Captiv. II, 2, 64. Igitur *vel exsignavero* est tantopere teneo, tam probe scio, ut statim perscribere possim. *Ut rem patriam* cet. Vulgo: *ut rem p. et maiorum gloriam foedarim meum.* Sed recte Codd. Prisciani apud Krehl. tom. I, p. 309, ut cum Hermanno dedimus. Neque aliter edd. princ. Cam. Par. aliaeque. V. 32. Dedi Herm. emendationem. Vulgo enim legitur: *Ita vi Veneris vinctus otio captus.* Pro v. *victus* etiam C. V. Cam. exhibet *vinctus*, C. Dec. *inunctus.* Emendatio vetus est. *Vinci* amore, non *vinciri* dicuntur homines a Romanis. Deinde *captus otio* verbis transpositis scribendum erat, quia non probabile est, *otium*, *otio* binis syllabis pronunciatum esse. Nam qui locus in testimonium huius licentiae adducitur infra Trin. IV, 1, 19. dudum ab Herm. emendatus est. Quae vero similis synizesis exempla alia advocantur: *Omnium, Ambiunt, Sarciunt*, alius sunt generis. — V. 34. Vulgo: *At operam perire meam sic et te haec dictu corde sp.* Versum alii aliter emendare studuerunt. Equidem ordinem verborum restitui, qualem sententia flagitare videtur et v. *dicta* interpretamentum ad v. *haec*

Pérpeti nequeó; simul me píget parum pudére te.
'Et postremo, nísi me auscultas, átque hóc, ut dicó, facis,
Túte pone té latebis fácile, ne inveniát te honor;
'In occulto iacébis, quom te máxume clarúm voles.
Pérnovi imperítum, Lesboníce, tuum ingenium ádmodum.
Scío te sponte nón tuapte errásse, sed amorém tibi
'Péctus obscurásse; atque ipse amóris teneo omnís vias.
'Ita est amor, balísta ut iacitur; níhil sic celere est, néque volat,
'Atque is mores hóminum moros ét morosos éfficit.
Mínus placet, magis quód suadetur; quod dissuadetúr, placet.
Quom ínopia est, cupiás; quando eius cópia est, tum nón velis.
'Ille qui aspellit, ís compellit; ílle qui consuadét, vetat.
'Insanumst, ei, málum in hospitium dévorti ad Cupídinem!

---

esse putavi. *Corde spernere* significat ex animo spernere, non verbis tantum aut specie aspernari, sed revera. *Et postremo*; ut rem in fine complectar, ut sententiam meam breviter explicem. Cf. quae supra notavimus ad Trin. III, 1, 12. *Pone te latebis;* tu tibimet ipse officies, ne honorem accipias. V. 38. *In occulto.* Duo priores huius versus syllabae pro brevibus putandae. Similem correptionem: *Quid exprobras* cet. improbavit supra Trin. II, 2, 42. Brixius in libro de Plauti et Terenti prosod. quaestt. pag. 5. Ibi quidem teste eodem cod. rescr. Ambrosianus exhibet: *Exprobras bene quod fecisti.* At quid huic loco faciendum, non video, nisi forte legas: *'Occultó iacebis* cett. quod fieri posse nego. Cod. Dec. teste Pareo: *In ocul to iac.* Mihi videtur ictus violentia, qualis est initio trochaicorum, excusationem admittere, de qua egi in libro de prosodia vetere huic editioni praemisso. V. 39. *Pernovi imperitum.* Vulgatus ordo est: *Pernovi equidem, Lesbonice, imperitum tuum ingenium admodum.* Mihi *equidem* a librario insitum esse videbatur, quod Herm. in *ego* mutaverat, sic verba ordinans: *Pernovi ego imperitum, Lesb., tuum* cett. At ego non credo hoc versus loco primam syll. in v. *imperitum* posse corripi. *Pernovi admodum* eodem modo dicitur, ut *pernovit probe* Aulul. III, 5, 29. *Sponte non tuapte,* non consulto, non de industria. Cf. notata ad Captiv. III, 4, 19. Satis enim notum est, v. *spons* significasse *arbitrium, voluntatem* veteribus. *Ita est amor.* Recte ita libri. Nam non recte, quod facile fieri possit, transponuntur voces: *'Ita amor ést.* Cf. Epid. I, 2, 10. *'Is ést amícus.* Captiv. III, 4, 106. *Néque esse hunc.* Cist. III, 18. *'Vbi estis servi.* Epid. V, 1, 9. *Quid est tibí,* ubi tamen fortasse legendum: *Quid tibi est.* Ibidem v. 14. *Séd quis est haec muliercula,* ubi tamen fortasse *est* omittendum. Et v. seq. ibid. *Hic est danísta.* Ibid. V, 2, 43. *Hóc ita ésse. Quid est negóti?* Bacch. I, 1, 20. *Quíd ést quod métuis.* Ibid. v. 59. *Quid est quod métuas.* Most. I, 3, 152. *Séd estne hic méus sodális.* Most. II, 1, 16. *'Adést obsónium; éccum Trániónem. á portú redit.* Ita enim ibi legendum. — V. 47. Vulgo: *Insanum est malum, in hospitium devorti ad Cupidinem.* Sed V. C. Cam. *Insanum et malum.* Cod. Dec. *Insanum'st et mal.* Diu est, ex quo emendavi, quod edidi. Hermannus versum

Séd te moneo, hoc étiam atque etiam ut réputes, quid fácere éxpetas.
Si ístuc, te ut conári facis indícium, tuum incendés genus.
Tum ígitur tibi aquae erít cupido, génus qui restinguás tuum.
Atque si eris náctus, proinde ut córde amantes súnt cati,
Né scintillam quídem relinques, génus qui congliscát tuum.
Le. Fácile est inventú; datur ignis, támetsi ab inimicís petas.
Séd tu obiurgans me á peccatis rápis deteriorem ín viam.
Meám sororem tíbi dem suades síne dote. Hoc non cónvenit,
Mé, qui abusus súm tantam rem pátriam porro in dítiis
Ésse, agrumque habére; egere illam aútem, ut me meritó óderit.
Númquam erit aliénis gravis, qui suís se concinnát levem.

---

transpositione emendandum ratus scripsit: '*Insanumst malum devorti in hosp. ad Cup.* Interiectio *ei* sive *hei* eodem iure interponitur medio enunciato, quo *heu*, *oh*, *ah*, *pol* et huiusmodi plures interiectiones primo enunciati vocabulo postponuntur. *Ei* autem scriptum esse, testatur verbum *eiulare* inde deductum.

V. 49. Vulgo legitur h. l. *Si istuc ut conare facis indicium.* Atque ita Codd. Pall. apud Pareum. Acidalius emendabat: Si istuc, ut facis indicium, conare; Hermannus: *Si istuc conare, ut facis mi indicium.* Certissima videbatur Bothii emendatio: *Si istùc, ut conari facis indiciùm*, h. e. Si istuc facere expetas, ut te velle indicas. Sed scribendum ex Latinitatis ratione: *Si istuc, te ut conari facis indicium.* Sententia totius huius loci haec est: Si ita facere in animo est, ut te velle indicasti, si agrum sorori in dotem dare vis; summa ardebis infamia. Quod incendium quum properabis restinguere, quum cupies ignotus esse, tamdiu restingues, donec ne scintilla quidem erit reliqua, donec plane ad incitas redactus eris. Nam, ut amantes callidi sunt, facile invenies viam, qua ignotus fias, veluti si patriam relinquas et aliquo militatum abeas. Tum vero nihil tibi reliquum erit, unde aliquando genus tuum iterum efflorescat. His reponit Lesbonicus: Noli timere. Ubique terrarum, apud ipsos adeo hostes, nomen et genus illustrare potero. V. 53. Vulgo sic legitur: *Facile est inventu; datur i. tametsi ab i. p.* ut edidi. Sed cum in Codd. Pall. legatur: *tamenetsi*; Taubmannus iam, quem alii secuti sunt, hoc rescripsit, Herm. vero, ut versum restitueret, *Facile inventu est*, dedit. Mihi illud *tamenetsi* apud Plautum non omnibus in locis, unde excitatur, satis munitum videtur, veluti his: Amphitr. III, 3, 23. Pers. III, 1, 34. Rud. V, 2, 24. Verba: *datur ignis — petas*, proverbium sapiunt, ductum ab iis, qui ad frigus defendendum alteri, quamquam inimico, divinum flammae beneficium ministrant. Nemo enim tam inimicus alteri, quin petenti ignem porrigat ad usus domesticos. V. 55. Vulgatam: *Meam vis sororem*, quae est in Codd. Pall., emendavit Reizius in praef. Herm. ad Trin. pag. X. Tum pro vv. *Hoc non convenit* in V. C. Cam. legitur *ha a non convenit*, in C. Dec. *hac non c.* quod iam Cam. emendavit, et priores Cam. editores. *Nunquam erit alienis gravis* cet. Nemo apud alios in dignitate et honore erit, qui apud suos animi levitate

Sícut dixi, fáciam; nolo té iactari diutius.
Ly. Tánto meliust té sororis caússa egestatem éxsequi,
Atque eum agrum me habére, quam te, túa qui toleres moénia?
Le. Nólo ego mihi te tám prospicere, quí meam egestatém leves,
Séd ut inops infámis ne sim; né mi hanc famam dífferant,
Mé germanam meám sororem in cóncubinatúm tibi
Síc sine dote dédidisse, mágis quam in matrimónium.
Quís me improbior pérhibeatur ésse? Haec famigerátio
Té honestet, me cóulutabit, sí sine dote dúxeris.
Tíbi sit emolumentum honoris; míhi, quod obiectênt, siet.
Ly. Quíd? Te dictatórem censes fóre, si abs te agrum accéperim?
Le. Néque volo, neque póstulo, neque cênseo; verûm tamen
Is est honos hominí pudico, méminisse officiúm suum.
Ly. Scío equidem te, animátus ut sis; vídeo, subolet, séntio.
Id agis, ut, ubi affínitatem intér nos nostram astrínxeris,
Atque eum agrum dederís, nec quicquam hic tíbi sit, qui vitám colas;
Effugias ex úrbe inanis, prófugus patriam déseras,
Cógnatos, affínitatem, amícos, factis núptiis;
Méa opera hinc protérritum te, meáque avaritia aûtument.

---

facit ut in contemtu sit. *Moenia tolerare*, rem familiarem sustentare ruentem, domum iam labantem instaurare. Ceterum in V. C. Cam. legitur h. l. *munia*. *Tam — qui*. Tantopere, in tantum, ut aliqua ratione. V. 65. *Dedisse* vulgo. Emendavit Herm. — V. 67. *Té honēstet*. Similis numerus legitur Pseud. I, 5, I. ubi emendandum: *Si de damnosīs aut si dé ămātoribus*. Epid. II, 2, 31. *Obviam ornatae occurrebant suīs quaequaĕ ămātoribus*, ut recte correxisse videtur Fridericus Jacob, V. Cl. *Me conlutabit*. Vulgo *me autem collutulet*. Cod. Pal. apud Both. i. e. Dec. *me conlutulet* hoc priori loco. Codd. Pall. teste Pareo: *conlutulent et si s. d. d.* Nonius pag. 84. *me conlutulet et s. s. d. d.* Falso procusam esse formam verbi *collutulare*, a nobis supra ostensum est Trin. II, 2, 17. Pravae autem verborum formae *lutulare* et *collutulare* confictae esse videntur a librariis, qui male compararent adi. *lutulentus*, quod male huc trahitur. Terminatio adiectivorum in — *ulentus* desinentium constantem habet analogium, veluti *luculentus, truculentus, opulentus, sanguinolentus*, e quibus formae verborum nullae deducuntur. Quis enim ferat verbum *fraudulare*, propterea quod adi. *fraudulentus* exstet? Mihi persuasissimum est h. l. Plautum aliter scripsisse, atque Codd. testantur. Ceterum *autem*, quod est in vulgata, teste Bothio, altero tantum loco infra legitur in Cod. Pal. Quid in V. C. Cam. legatur, ex Parei testimonio non recte colligi potest. Ipse Pareus *aut* edidit, quod fortasse erratum typ. — V. 69. In vv. *si abs te agrum acceperim* non elidendum *te*, sed ita pronunciandum *té agrum acc.* — V. 71. *Is est honos* cf. quae supra dicta sunt ad v. 42. *Autument;* coniunctivus pendet

'Id me commissúrum, ut patiar fíeri, ne animum indúxeris.
Quís me improbior pérhibeatur ésse? Haec famigerátio
Té honestet, me cónlutabit, sí cum dote dúxerim.
Tíbi sit emoluméntum honoris; míhi, quod obiectént, siet.
St. Nón enim possum quín exclamem: euge, eúge, Lysitelés, πάλιν.
Fácile palmam habés; hic victus; vícit tua comoédia.
Híc agit magis ex árgumento, et vérsus melióres facit.
'Etiam ob stultitiám tuam te tuéris? multam abómina.
Le. Quíd tibi interpellátio aut in cóncilium huc accéssio est?
St. Eódem pacto, quo húc accessi, abscéssero. *Le.* I hac mecúm domum,
Lýsiteles; ibi de ístis rebus plúra fabulábimur.
Ly. Níhil ego in occulto ágere soleo; méus ut animust, éloquar:
Sí mihi tua sorór, ut ego aequom cénseo, ita nuptúm datur
Síne dote, neque tu hínc abituru's; quód meum erit, id erít tuum.

---

a superiore *ut*. Ceterum de notione vocis cf. quod supra notatum est ad Trin. II, 2, 48. V. 79. 80. 81. Hi tres versus vulgo desiderantur. Leguntur vero teste Bothio in Cod. Pal. qui est decurtatus ille, quem dicit Pareus. Leguntur quoque in Cod. Lips. ubi alterum hemistichium sic habetur: *et si cum dote duxeris*, quare scripsi dudum: *si cum dote duxerim*, cum edd. vett. plerumque exhibeant: *si sine dote duxeris*, pro quibus Herm. scripserat: *si ego abs te agrum acceperim.* Vehementer autem iocularе est, quod Lysiteles, quae supra dixerat Lesbonicus, propemodum ad verbum repetit, sed in suam sententiam detorta.

V. 82. Stasimus gaudio se continere nequit, quum Lysitelem equis velisque enitentem videt, ne Lesbonicus agrum prodat et in militiam peregre abeat. Suae enim vitae maxime timet, si militantem herum sequatur. Unde in plausus erumpit, monetque Lysitelem, ut instet et iterum iterumque Lesbonicum hortetur. Verba: *non enim possum — exclamem* affert Cicero in II. de oratore, 10. De particula *enim* cf. notata ad Mil. II, 5, 19 *Vicit tua comoedia.* Translatio sumta a poeta Comico, qui carmine publice edito alteri palmam eripit. Sententia est: tu illum vicisti, tu eum argumentis tuis confutasti. Quum vero poetae saepe etiam actores fabularum suarum fuerint; in sequentibus ad actorem transfert orationem. Ideo *multam abomina* subiungit. Poena enim afficiebantur histriones, qui plerumque servi erant, si in scena rem non satis ad heri gustum et plausum populi gessissent. Ceterum in V. C. Cam. legitur v. 85. *tuam te curis multa abomina* teste Pareo, et in Cod. Dec. *tuam te turis multa ab.* Emendavit Palmer. spicil. pag. 659. — V. 86. *Interpellatio — accessio;* substantiva verbalia pro verbis, ut saepe Plautus. Veluti Truc. II, 7, 61. *Quid tibi huc ventio est? Quid tibi hanc aditio est? Quid tibi hanc notio est?* Ex quo exemplo simul patet, etiam casum verbi apponi fuisse in usu. Cf. Parei lexic. in Mantissa, verbalia in *io.* Adde Donat. ad Terent. Eunuch. IV, 4, 4. *Abscessero.* Cf. notata ad Captiv. II, 2, 64. — V. 91. Vulgo *abiturus.* Est vero *abitúrus es*, qua de caussa scribendum: *abiturus's* aut *abituru's.* Deesse non potest verbum

Sín aliter animátus es, bene, quód agas, eveniát tibi.
'Ego amicus numquám tibi ero alio pácto; sic senténtia est.
St. 'Abiit hercle ille. 'Ecquid audis, Lýsiteles? Ego té volo.
Híc quoque hinc abiit. Stásime, restas sólus; quid ego núnc agam?
Nísi uti sarcinám constringam, et clúpeum ad dorsum accómmodem;
Fúlmentas iubeám suppingi sóccis; non sistí potest.
Vídeo caculam mílitarem mé futurum haud lóngius,
'Ut aliquem ad regem ín saginam hérus se coniexít meus;
Crédo ad summos béllatores ácrem — fugitorém fore,
'Et capturum spólia ibi illum, — quí meo hero advorsus vénerit.
'Egomet, quom extemplo árcum mi, et pharetram ét sagittas súmpsero,
Cássidem in capút; — dormibo plácide in tabernaculo.
'Ad forum ibo; núdius sextus quoí talentum mútuom
Dédi, reposcam, ut hábeam, mecum quód feram, viáticum.

---

auxiliare. Quid sit discriminis, patet e versu h. scenae 83. ubi *hic victus* reddendum: das ist der Besiegte; si legas: *hic victust,* erit: der ist besiegt worden. Verbum substantivum subaudiri potest, non item auxiliare, quod necessarium est ad exprimendam finiti verbi formam.

V. 94. Abeunt ambo iuvenes, restat solus servus. Is ilocaliter de futura sua sorte conqueritur. Nam si Lesbonicus aliquo militatum abeat, quod futurum esse credit, sibi cum hero una militandum esse videt. Vulgo *Abiit hercle ille quidem,* metro violato. Herm. abiecit *ille,* quod pronomen servandum esse, docet oppositio in seqq. *Hic quoque hinc abiit.* Incredibile est, quam saepe *quidem* et *equidem* a librariis apud Plautum adiecta sint. Cf. huius sc. v. 39. *Non sisti potest.* In horum verborum explicatione olim non recte versatus sum. Significat haec formula: man kann nicht mehr stehen; ruina prope adest, casus instat. Exempla formulae affert Gronov. ad Liv. IV, 12. Legitur hic versus apud Nonium p. 206 his verbis: *Fulmentas iubeam supponi fico.* — *Caculam* Festus, citato hoc Plauti loco, interpretatur *servum militis.* Cf. interpp. ad Festum p. 365. ed. m. *Haud longius, ut aliquem ad regem* cet. Ita partim a Dousa Pl. expl. IV, 24. partim ab I. Grutero correctum est. Vulgo ex Camerarii lectione: *aut longius aut aliquem ad r. Ut* recte monuit Bothius esse *postquam. Haud longius* est non ita diu, brevi tempore. *In saginam se coniicere* iocullariter dicitur, qui stipendia mercenaria meriturus est. *Credo ad summos; ad* comparationis vim habet. Hoc igitur dicturus erat Stasimus: Credo ego herum meum cum summis etiam bellatoribus comparatum satis acrem — fore; sed παρὰ προςδόκησιν subiungit: *fugitorem fore.* Similiter in iis, quae statim sequuntur: *Et capturum credo spolia ibi illum* — in quibus quum vocem suspendat servus, nemo alium intelligere potest, nisi herum; sed aliud subnectit, quod

ACTVS III. SCENA III.

Megaronides, Callicles.

Me. Ut míhi rem narras, Cállicles, nulló modo
Potest fíeri prorsus, quíu dos detur vírgini.
Ca. Namque hércle honeste fíeri ferme nón potest,
Ut eám perpetiar íre in matrimónium
Sine dóte, quom eius rém penes me habeám domi.
Me. Paráta dos domíst, nisi exspectáre vis,
Ut eám sine dote fráter nuptum cónlocet.
Post ádeas tute Phíltonem, et dotém dare
Te ei dícas; facere id eíus ob amicitiám patris.
Verum hóc ego vereor, ne ístaec pollicitátio
Te in crímen populo pónat atque infámiam.
Non témere dicant té benignum vírgini;
Datám tibi dotem, ei quám dares, eius á patre;
Ex eá te largitári; neque ita, ut sít data,

---

nemo exspectaverat: qui meum herum hostiliter aggressus fuerit. *Egomet;* vulgo *egomet autem*, quod versui officit, nec necessarium est, quum facile sponte intelligatur, servum se ipsum hero suo opponere. *Quum extemplo*; ἐπεὶ τάχιστα, simulatque. Cf. supra ad Captiv. IV, 2, 6. *In contubernio*, metri caussa ab Hermanno scriptum erat pro vulgato: *in tabernaculo*, quod restitui e Codd. Nam vix est credibile, librarios vocem non inusitatam *contubernium* eiecisse, cui rei accedit, quod mensura verbi: *tabernáculo* Plauto non sit infrequens. Licet enim Amphitr. I, 1, 275. et 277. *tabérnaclo* metiendum sit idem vocabulum; tamen forma altera *tabernáculum*, accentu urgente, aliter pronunciata esse videtur. Cf. quae notavimus ad Milit. IV, 4, 44. Ad hiatum tollendum fortasse legendum est: *dormibo placidus in t.* — V. 105. *Dedi* monos.

Act. III. Sc. III. Megaronides et Callicles de dote virgini ex defosso illo in aedibus thesauro promenda inter se consilia conferunt. Tandem res ita componitur. Suadet et persuadet Megaronides Callicli, ut thesaurum clam effodiat, et inde, quod opus, promat. Interea Megaronides sycophantam adornare vult, qui illud se argentum a patre absente Charmide e Seleucia afferre dicat, una cum duabus epistolis, altera ad Lesbonicum, altera ad tutorem Calliclem perscripta. Quibus ita compositis discedunt, ut suum quisque negotium conficiat. *Parata dos domist*; habes quidem dotem domi paratam, quippe in isto thesauro. Sed melius est exspectare, donec frater sine dote eam in matrimonium dederit. Tum poteris adire Philtonem et dotem de tuo promittere, sed clam e thesauro depromtam, quem data occasione effodere possis. Sic non opus videtur, ut cum Bothio scribamus: *paranda dos domi est.* — V. 11. *Te in crimen ponat.* In his et similibus formulis tam accusativus quam ablativus in usu est. Cic. ad Att. V, 11. *Apud patronum te in maxima gratia posui.* Ibid. VI, 6. *At te apud eum — quanta in gratia posui.* Idem ad Fam. *Ponito me in gratiam.* — V. 14. Vulgo: *Ex ea largitari te illi.* Codd. Pall. teste Pareo: *Ex ea*

Columém te sistere ílli, et detraxe aútument.
Nunc si ópperiri vís adventum Chármidis,
Perlóngumst, huic ducéndi interea abscésserit
Libído; atque ea condício vel primária est.
Ca. Eadem ómnia istaec véniunt in mentém mihi.
Me. Vide, si hóc utibile mágis atque in rem députas,
Ut ádeam Lesbonícum, edoceam, ut rés se habet.
Ca. Ut égo nunc adulescénti thesaurum índicem
Indómito, pleno amóris ac lascíviae?
Minumé, minume hércle vero! Nam certó scio,
Locúm quoque illum omnem, úbi situst, coméderit.
Quem fódere metuo, sónitum ne ille exaúdiat,
Neu ipsám rem indaget, dótem dare si díxerim.
Me. Quo pácto ergo igitur? *Ca.* Clám dos depromí potest,
Dum occásio ei rei réperiatur; ínterim
Ab amíco alicunde mútuom argentúm rogem.

---

largitate illi, teste autem Taubmanno: *Ex ea largitate te illi.* Mihi videbatur pronomen *illi* ex inferiori versu huc male adscitum esse, quapropter omisi et *te* suo loco reposui. — V. 15. Vulgo: *in — Columem*, vocabulo inter versus diviso, quod introduxit Lambinus. Codd. Pall. *in* omittunt et *columen* exhibent. Cf. Isidor. Etym. X, 55. pag. 323. ed. m. *Colomis, a columna vocatus, eo quōd erectus et firmissimus sit.* Adde Gloss. Isidor. ubi *colume* sanum, *columes* salvos explicantur.

V. 17. Vulgo haec ita leguntur:

Perlongum est: huic ducenti interea abscesserit
Ca. Nam hercle omnia istaec veniunt in mentem mihi.

Sed vett. editt. *ducendi.* Codd. *ducendi voluntas*, quod suppleri iubebat Lambinus. Nemo potuit coniectando assequi, integrum excidisse versum, quem Maius in Cod. rescripto Ambrosiano reperit, ex quo Cod. etiam reliqua mutata sunt. *Atque*; und doch, und es ist doch. *Condicio*, ineundi matrimonii propositio. Partie. *Vel. primaria*, sine dubio, wohl eine sehr vorzügliche. Cf. Baumgarten-Crusius in indice Suetonii s. v. *Vel. Vide si;* cf. ad Milit. III, 1, 18. — *Neu ipsam rem.* Ita Codd. Scripserat Herm. *Ne*, quod aureae aetatis scriptores nunquam *neu* ante vocalem posuisse existimabat. Sed cum non sit dubium, eosdem scripsisse *seu* ante vocalem, ne *neu* quidem ante v. vitasse videntur. Cf. me ad Amphitr. prol. v. 69.

V. 28. *Quo pacto ergo igitur. Ergo* saepe fere idem valet, quod *tandem*, maxime ubi cum quadam indignatione ponitur in interrogandi formulis. Quum enim proprie significet *vere, revera;* sequitur, ut iis in enunciatis, ubi post longiorem dubitationem vel exspectationem tandem aliquando de rei veritate certiores facti simus, aut fieri velimus, usurpetur. Sic apud Livium III, 28. *Correpti consules, cum, quid ergo vellent patres, percontarentur;* pro *quid tandem.* Atque ita h. l. Megaronides paullum indignabundus, postquam Calliclem audiit sua consilia multis verborum ambagibus improbantem, quaerit: *Igitur quo tandem pacto*, wie denn nun endlich; wie willst du denn endlich anders? — V. 30. Vulgo: *Ab amico alicunde argentum roges.*

Me. Potin' ést ab amico alicúnde exorarí? *Ca.* Potest.
Me. Gerraé; nae tu illud vérbum actutum invéneris:
„Mihí quidem hercle nón est, quod dem mútuom."
Ca. Malim hércle ut verum dícas, quam ut des mútuom.
Me. Sed víde consilium, sí placet. *Ca.* Quid cónsilist?
Me. Scitum, út ego opinor, cónsilium invení. *Ca.* Quid est?
Me. Homo cónducatur áliquis iam, quantúm potest,
Quasi sít peregrinus. *Ca.* Quíd istoc facere póstea?
Me. Is homo éxornetur gráphice in peregrinúm modum,
Ignóta facies, quaé non visitáta sit,
Falsídicum, confidéntem. *Ca.* Quid tum póstea?
Me. Quasi ád adulescentem á patre ex Seleúcia
Veniát, salutem ei núnciet verbís patris,
Illúm bene gerere rem, ét valere et vívere,
Et eúm rediturum actútum. Ferat epístolas
Duas; eás nos consignémus, quasi sint á patre;
Det álteram illi, álteram dicát tibi
Dare sése velle. *Ca.* Pérge porro dícere.
Me. Seque aúrum ferre vírgini dotem á patre
Dicát, patremque id iússisse aurum tíbi dare.
Tenés iam? *Ca.* Propemodum; átque ausculto pérlubens.

Atque ita Codd. Pall. Sed liber Ambrosianus teste Brixio exhibet *mutuum* ante v. *argentum*, idque rescripsimus, *roges* sententia poscente in *rogem* mutantes. *Malim hercle* cet. Postquam Megaronides dixit, solere amicos de pecunia mutua danda interrogatos respondere: *nihil habeo;* Callicles, tanquam isti cuidam amico respondeat, ita reponit: malim tu mihi verum dicas, quam ut pecuniam tuam des mutuam; nam periculum est te nihil recipere. Malim te revera nullam habere pecuniam, quam ut eam mutuam colloces, cum timendum sit, ne nihil recipias. — V. 35. *Vide — si.* Cf. notata ad Milit. III, 1, 18. et supra ad Trin. h. sc. v. 20.

V. 37. *Quantum potest;* quam primum, quam citissime fieri potest. Sic apud Plautum innumeris locis. Cf. Parei lexic. s. h. v. Non aliter Graeci. Veluti Xenoph. Cyrop. V, 4, 25. ὡς ἂν δυνώμεθα. Et Idem ibid. V, 3, 14. Ἐγὼ δὲ, ὡς ἂν δυνατὸν ᾖ, πορεύσομαι. Cf. Poppo indic. in Xenoph. Cyrop. v. ὡς. — V. 38. Vulgo: *Quid is scit facere postea*, atque ita Codd. Recte emendavit Herm. *Quid istoc facere postea. Facere aliquo* notissima et usitatissima formula dicitur: mit einem etwas anfangen. *Graphicum* dicitur quasi pictoris (γραφέως) manu expolitum, quasi pictum. Igitur *graphice* est polite, eleganter, apte ad fallendum, decipiendum. *Non visitata;* non crebro conspecta in his regionibus. Codd. Pall. *non visitasit*, unde alii fecerunt: *non usitata sit.* Veram lectionem restituit Douza. — *Falsidicum;* accusativus pendet a verbo aliquo, quod, quia abruptus sermo est et per cola incedit, omissum est fervore dicendi; *is exornetur; ignota facies* (ei sit); *falsidicum*, *confidentem* (eligamus, conducamus). — V. 43. *Quasi si* edidit olim Herm. — V. 47. *Atque alteram* Herm. hiatus evitandi gratia.

Me. Tum tu ígitur demum id ádulescenti aurúm dabis,
Ubi erít locata vírgo in matrimónium.
Ca. Scite hércle sane. *Me.* Hoc, úbi thesaurum effóderis,
Suspícionem ab ádulescente amóveris.
Censébit aurum esse á patre allatúm tibi.
Tu dé thesauro súmes. *Ca.* Satis scite ét probe;
Quamquam hóc me aetatis sýcophantarí pudet.
Sed epistolas quando óbsignatas ádferet,
Siquidem óbsignatas attulerit epístolas,
Nonne árbitraris ádulescentem ánuli
Patérni signum nóvisse? *Me.* Etiam tú taces?
Sexcéntae ad eam rem caússae possunt cólligi:
Illum, quem hábuit, perdidit, álium post fecít novum.
Iam si óbsignatas nón feret, dici hóc potest,
Apud pórtitorem eás resignatás sibi
Inspéctasque esse; in huíusmodi negótio
Diém sermone térere, segnitiés merast.
Quamvís sermones póssunt longi téxier.
Abi ád thesaurum iám confestim clánculum;
Servós, ancillas ámove; atque audín'? *Ca.* Quid est?
Me. Uxórem quoque etiam ípsam hanc rem ut celés, face.
Nam pól tacere númquam quicquamst quód queat.
Quid núnc stas? Quin tu hinc ámoves, et te moves?
Aperí, deprome inde aúri ad hanc rem quód sat est,
Contínuo operito déuuo; sed clánculum,
Sicút praecepi; cúnctos exturba aédibus.
Ca. Ita fáciam. *Me.* At enim nimis lóngo sermone útimur.

V. 53. *Ubi erit locata.* Hoc dicit Megaronides: Tum demum, postquam virgo nupserit, dabis fratri aurum, ne interea absumere possit. Atque hac omni machina simul efficietur, ut, ubi thesaurum domi effoderis, nullam capiat suspicionem adolescens. *Hoc aetatis*, ablativus est, pro *hac aetate.* — V. 60. Pro *attulerit* scripsit olim Herm. *tulerit has.* Equidem olim censebam legendum esse *attulat*, sed nihil contra codd. fidem mutandum. — V. 61. Vulgo *eum adulescentem*, Both. *tum ad.* Pronomen plane insulsum est. Cf. supra v. 52. *adulescenti;* et v. 55. *ab adulescente.* Et enim saepe subst. *homo*, *adolescens*, *vir* et similia pro ipso pron. personali ponuntur, nunquam tamen addito eodem pron. Hiatus est legitimus. De formula: *Etiam tu taces* cf. notata supra ad Trin. II, 4, 113. — V. 72. *Etiam*, quod vulgo abest, recte videtur interposuisse Herm. — V. 74. Vulgo *quin te hinc amoves.* Sed Codd. Pall. teste Pareo *quin tu hinc a.* et *quin tu hunc a.* Probabile est *amoves* verbum intransitiva potestate h l. positum esse. Cuius usus exemplum etsi aliud non est in promptu; tamen a codicum auctoritate non erat recedendum. Bothii ratio *amoves et demoves* non indiget refutatione. *Et te moves* significat idem, tanquam dixisset: *et quidem celeriter.* — V. 78. *Nimis* monosyllabum est.

Diém conficimus, quód iam properato ést opus.
Nihil ést, de signo quód vereare; mé vide.
Lepida ést illa caussa, ut cómmemoravi, dicere,
Apud pórtitores ésse inspectas. Dénique
Diéi tempus nón vides? Quid illúm putas
Natúra illa atque ingénio? Iamdudum ébriust.
Quidvís probari póterit. Tum, quod máxumumst,
Afférre, non petere híc se dicet. *Ca.* Iám sat est.
Me. Ego sýcophantam iám conduco dé foro,
Epístolasque iám consignabó duas,
Eumque húc ad adulescéntem meditatúm probe
Mittám. *Ca.* Eo ego igitur íntro ad officiúm meum.
Tu istúc age. *Me.* Actum réddam, nugacíssume.

ACTVS IV. SCENA I.

(Canticum.)

Charmides.

Sálsipotenti et múltipotenti Ióvis fratri aetherei, Neptuno,

V. 79. *Properato est opus.* Ablativus pendet ab *opus* et participium ponitur pro substantivo. Proprie: opus versatur in properatione. Cf. quae supra notavi ad Milit. III, 1, 208. Etiam pluralis apponitur, quod interpretationem nostram confirmat, ut Milit. III, 3, 40. *Quid istis nunc memoratis opus est. Quod iam;* diem totum loquimur de eo, quod iam approperari debuit, quod non amplius differri potest. *Me vide:* cf notata supra ad Mil. II, 4, 23. — V. 85. *Maxumist* Codd. Pall. teste Pareo. Sed *maxumi est* significaret *maxumi aestimandum*, quod ab hoc loco alienum. Hoc enim vult: *gravissimum est*, ad rem maxime conducit. *Meditatum*, praeceptis meis perdoctum. — V. 90. *Mittam. Eo ego igitur.* Sic vulgata et Codd. Pall. ut videtur. Evitandi hiatus gratia Herm. *iam* post v. *ego* interposuerat, quod probabilitate haud caret. Sed tutius videbatur, syllabam finalem *v. mittam* ictu elevare, de qua ratione cf. Kampm. V. Cl. in Annott. ad Plauti Rud. p. 8. ubi exemplis excitatis hoc ipsum adiiciatur. *Nugacissume.* Ita dedi cum Hermanno, quum libri vulgati versum mutilum exhibeant, MSS. vero: *nugaces sunt nisi*, unde Sciopp. susp. lectt. II, 1. *nugas*, sive *nugax sum, nisi;* quod recepit Bothius. Nihil est aptius, quam haec Calliclis appellatio, contra nihil ineptius isto *nugas sum nisi.* Megaronides dudum iratus nuganti Callicli, in ipso discessionis momento hominem commerito cognomento appellat: du Schwätzer und kein Ende.

Act. IV. Sc. I. Charmides, Lesbonici pater, qui huc usque peregre afuerat, insperatus redit. Ac primum gratias agit Neptuno, quod integer et incolumis iter maritimum confecerit, et gaudium suum profitetur. Haec omnia lyrico orationis genere. Versus sunt trochaici tetrametri. *Jovis fratri aetherei, Neptuno.* Recte sic emendasse puto Bothium. Vulgo: *I. f. et Nerei Neptuni.* Nullus enim *Nerei* hic locus est, tranquilli et otiosi dei marini. *Aethereus* autem Iupiter dicitur pro *coelesti*, vi oppo-

Laétus lubens laudés ago, et gratis grátas habeo, et flúctibus salsis,
Quós penes mei fuít potestas, bónis meis quid foret ét meae vitae,
Quóm suis me ex locís in patriam urbis tutelam réducem faciunt.
'Atque ego tibi, Neptúne, ante alios deós gratis ago atque hábeo summas.
Nám te omnes saevóm, severum atque ávidis moribús commemorant,
Spúrcificum, immanem, íntolerandum, vésanum. Ego contra ópera expertus.
Nám pol placidum te ét clementem eo úsque modo, ut volui, usús sum in alto.

---

sitionis, cum Neptunus dicatur *salsipotens*, i. e. marinus. — V. 2. *Et gratis gratas habeo.* Sic recte emendavit Herm. Vulgo: *et grates gratiasque h.* Cf. Poen. I, 1, 6. ubi legendum est: *Et libertatem et multas gratas gratias.* Ceterum *gratias habere*, non dicitur, nisi forte in lyrico carminis genere, quale h. l. est; et v. *grates* aperte testatur lyrici sermonis formam. *Quos penes — vitae.* Usitata Plauto abundantia; ad verba *mei potestas*, per ἐπεξήγησιν adduntur: *quid bonis meis foret et vitae.* Huiusmodi enim formulae, veluti est: *scis meum amorem, quomodo te amem; ego te, qui sis homo, non novi; adolescentem quaero, ubi habitet; facta, quae facis;* persaepe apud Plautum inveniuntur. Vulgo abest *fuit*, quod ex Herm. sententia recepi, cum sententia causa tum numerorum. *Bonis* pro monosyllabo accipiendum. — V. 4. Vulgo legitur: *in patriam urbisque moenia*, ex Camerar. emendatione. Nam in MSS. Pall. est: *in patriam urbis cumam* quod olim partim recte se habere credidi, de urbe *Cuma* somnians, non memor, infra IV, 5, 11. de Piraeeo sermonem esse, qua de re scripseram: *in patriam urbem Cumam.* Male vero. Nolo recensere multas ac varias virorum doctorum coniecturas, quarum alia alia peior. Mihi videtur monstrum illud *cumam* compendium esse scripturae, cuius explicatio sic facienda, ut simul hiatus tollatur in v. *patriam*, et poeticae *patriae* circumscriptioni, quam aperte poeta voluit, consulatur. *Vrbis tutela* vario modo accipi potest. Mihi quidem nihil esse videtur nisi notissima metonymia pro urbe, quae praestat tutelam, urbe tutante, abstractum pro concreto, ut philosophi nostrates dicunt. — V. 5. Vulgo *gratias ago atque habeo.* Emendavit Herm. — V. 6. Vulgo *saevumque severumque atque.* Putabam olim *atque* esse insiticium. Sed recte Herm. — *que* — *que* eiecisse videtur, vel numeris suadentibus. Quod ipsum probat asyndeton in v. seq. obvium. *Ego contra opera expertus.* Ego te plane contrarium expertus sum, te plane contraria hominibus praestare inveni. *Opera experiri* est re atque usu edoceri. Pseud. IV, 2, 50. *Sed ut coepisti, perge opera experirier*, ubi vulgo *operam exp.* Ceterum *ego* pron. additum ab Herm. sententia et metro flagitante. — V. 8. Vulgo: *Nam pol placido te et clementi meo usque modo* —

'Atque ego hanc tuam glóriam
Aúribus iam accéperam ante nóbilém apud hómines omnes:
Paúperibus te párcere solitum, dítes damnare átque domare.
'Abi, laudo, scis órdine, ut aequomst, tráctare homines; hóc dis dignumst,
Sémper mendicís modestis fídus fuisti; infídum esse iterant.
Nam ábsque foret te, sát scio in alto
Dístraxissent, dísque tulissent sátellites tui miserum foede,
Bónaque item omnia úna mecum pássim caeruleós per campos.
'Ita iam, quasi canés, haud secus circúmstabant navem túrbine venti,
'Imbres, fluctus, átque procellae inféusae fremere, frángere malum,

---

in alio. In alto dudum emendavit Gulielm. Quaestt. in Trin. c. 1. Reliqua emend. Herm., qui tamen *meo* plane omisit, quod ego in *eo* mutavi, non desiderari posse pronomen ratus; nam iungenda sunt *eo modo ut volui.* — V. 9. Vulgo hic legitur numeris ac sententia corruptis: *Atque hanc tuam gloriam iam ante auribus acceperam et nobiles apud homines.* Nemo dum vidit, in duos versus verba esse distribuenda, quorum prior est trochaicus dimeter catalecticus, alter tr. tetrameter acalectus, quales sunt superiores. *Ego* Herm. addidit. *Nobilem* dudum iam Brantius scribendum vidit, cuius ultima non eliditur. *Omnes* addidi equidem, quod saepe apud Plautum post v. *homines* excidisse multi loci docent. — *Abi* in familiari sermone iis dicere solent Romani, quorum non amplius opera uti volunt, aut utuntur. Est igitur aut laudantis et acquiescentis in opera alterius, aut irati et eius, qui alium nihil amplius moratur et missum eum facit. — V. 13. *Semper mendicis modestis* cet. Ita scripsi ex certissima mea coniectura iam olim prodita. Vulgo: *Semper mendicis modesti sint. Fidus fuisti* cet. *Mendici modesti* sunt ἱκέται αἰδοῖοι. Sententia est: *semper fidele auxilium praestitisti iis, qui te precibus ambirent, pauperibus ac miseris.* — V. 14. Versus est trochaicus dimeter acatalectus. De formula: *absque foret te*, cf. notata supra ad Captiv. III, 5, 96. — V. 15. Vulgo: *satellites tui me miserum f.* Apparet, nihil mutandum praeter pron. *me*, quod abiiciendum est. *Sátĕllites* pronunciandum esse, iam dudum docui, suntque in exemplum conferendae voces huius modi: *símillimae* Asin. I, 3, 88. *éxpapillato* Mil. IV, 4, 44. *supĕllĕctili* Poen. V, 3, 26. Cf. quae supra notavi ad Milit. l. c. Ceterum huc etiam referri possunt vocabula talia, ut *vénustatem, vóluptatis, vóluntati, mágistratum* et similia, quae saepe obvia apud Plautum. De tmesi in *disque tulissent* cf. *seque gregari* apud Lucret. I, 453. *disiectis disque sipatis* ibid. I, 652. *inque gravescunt* ibid. IV, 1247. *inque cruentatus* Ovid. Met. XII, 497. Quibus fortasse adnumerandum est exemplum Plauti in Stich. I, 2, 19. *in eas simulem.* Cf. notata supra ad Milit. IV, 4, 50. — V. 17. *Navem* unius syllabae. Tum vulgo *turbines venti*, quod recte emendavit Herm. Nam etsi recte dicitur *ventus turbo;* tamen et metrum adversatur vulgatae lectioni et recte dicitur *turbine venti*, h. e. turbine facto, qui ablativus ponitur ut *ordine, more, instituto*, alii. — V. 18. Vulgo: *infensae frangere malum,*

Rúere antemnas, scíndere vela, ní tua pax propítia praesto.
'Apage a me sis; deínde hic certumst me ótio dare; sátis partum habeo,
Dum hísce aerumnis déluctavi, et fílio divítias quaero.
Séd quis hic est, qui in pláteam ingreditur cúm novo ornatú specieque?
Pól simul, quamquám domi cupio, oppériar tamen, hic quám gerat rem.

ACTVS IV. SCENA II.

Sycophanta, Charmides.

Sy. Huíc ego dici nomén Trinummo fáciam; nam ego operám meam
Tríbus nummis hodié locavi ad ártis nugatórias.

---

versu mutilo. Herm. *infensae confregere malum*; sed infinitivo est opus. Videbatur mihi verbum deesse, quod naturam *procellae*, *imbrium*, *fluctuum* ostenderet, absorptum a simili v. *frangere*. Qua de causa diu est, ex quo scripsi: *fremere*, *frangere malum*. — V. 18. *Ruere antennas*. Transitiva potestate positum est *ruere*, ut saepe apud Virgilium. Tum vulgo: *ni tua pax propitia foret praesto*, quae in metrum peccant. Herm. omisit v. *tua*, quod propter sententiam ferri nequit. Non non omnis pax h. l. requiritur, sed *pax Neptuni*. *Apage a me;* vulgo *apage me*, quod nihili est. Sententia est: Iam valeas, iam nihil te moror. — V. 20. Vulgo: *otio me dare*, qua scriptura *otio* disyllabum accipitur, quod non est probabile. Quare cum Herm. transposui. V. 21. citatur a Nonio p. 468., ubi plura etiam exempla verbi activi *luctare*. Ceterum: *Dum hisce aerumnis;* haec lectio e libris Nonii petita est, cùm libri Plautini habeant: *Quibus aerumnis;* apud Nonium vero legitur: *Cum hisce aerumnis*, quod emendatum ab Herm. Tum vulgo: *filio dum divitias quaero*, ubi *filio* disyllabum dubitationem movet. Itaque *et filio divitias quaero* scripsimus cum Herm. — *Quamquam domi cupio.* Sic citat Donatus ad Terent. Eunuch. IV, 7, 45. illum locum, ubi: *domi focique fac vicissim ut memineris.* Unde intelligitur, Donatum hoc voluisse, ut indicaret, *domi* non esse h. l. adverbium, sed genitivum pro *domus*, ut *cupio domi*, sit cupidus sum domus meae, ich sehne mich nach meiner Heimath. Cf. etiam supra ad Milit. IV, 1, 17. Infra Trin. IV, 4, 20. *Commeminit domi.* Ceterum vulgo: *Simul? pol, quanquam domum cupio, opperiar hic, quam gerat rem.* Sed in V. C. Cam. *simul* praecedenti versui adhaeret. Herm. emendavit: *Pol simul, quanquam domi cupio, opperiar tamen, hic quam gerat rem.* Codd. Pall., ut vulgata, *domum cupio.* Addidit *tamen* ex Donato Herm. *Simul* Graecorum est ὅμως, quod ex ὁμῶς ortum esse nemo dubitat.

Act. IV. Sc. II. Iam procedit Sycophanta, a Megaronide subornatus, ut epistolas et pecuniam, tanquam a peregre absente Charmide missus, afferat. Is in ipsum Charmidem cum maxime reducem incidit, unde ridicula oritur sermocinatio, resque palam fit, non sine summa Charmidae suspicione, quid mali haec afferat sycophantae illius subornatio. *Tribus nummis.* Nummi

'Advenio ex Seleúcia, Macédonia, Asia, atque 'Arabia,
Quás ego neque oculís, neque pedibus úmquam usurpaví meis.
Víden' egestas quíd negoti dát homini miseró male!
Qui égo nunc subigor tríum nummorum caússa, ut has epístolas
Dícam ab eo homine me áccepisse, quem égo, qui sit homo, néscio,
Néque novi; neque nátus, necne is fúerit, id solidé scio.
Ch. Pól hic quidem fungíno genere est, cápite se totúm tegit;
'Illurica fariés videtur hóminis; eo ornatu ádvenit.
Sy. 'Ille qui me condúxit, ubi condúxit, abduxít domum;
Quaé voluit, mihi díxit; docuit, ét praemonstravít prius,
Quómodo quidque agerém. Nunc adeo, sí quid ego addidero ámplius,
Eó conductor mélius de me núgas conciliáverit.
'Ut ille me exornávit, ita sum ornátus. Argentúm hóc facit.
'Ipsa ornamenta á chorago haec súmpsit suo perículo.

---

fortasse intelliguntur *drachmae*. Drachma autem fere denario Romano respondet, quamquam drachma ad denarium se habuisse creditur, ut octonarius numerus ad novenarium. Nisi forte *sestertii* intelliguntur, quos poeta Romanus in animo habuisse videtur propter vulgatum usum vocis *nummus*. Alii stipendium militare diurnum, quale illo tempore fuit, h. l. respici existimantes, tres nummos, *tres asses* explicant, ad Most. II, 1, 10. ablegantes. Cf. Lipsii Elect. 1, 2. *Oculis — pedibus usurpavi.* Usurpandi verbum omnibus sensibus attribuitur; est enim pr. alicuius rei usum capere vel habere. Unde Casinae III, 5, 9. *unde meae usurpant aures sonitum.* Atque in Bacch. I, 2, 41. *ut ego te usurpem lubens*, ubi *usurpem* pro *videam* positum volunt. Adde Lucret. 1, 302. V. 5. *Mali* vulgo; atque ita libri omnes. Recte Hermann. *male*. Non enim *malum negotium* dari queritur Sycophanta, sed *male* istud fieri, quod negotium hominibus facessat egestas. — V. 6. *Qui ego* libri omnes. Herm. *Quom ego.* Saepe relativo additur personale pronomen ex quadam abundantia sermonis familiaris. Cf. Cistell. IV, 2, 23. ubi *Quae illa.* Epid III, 1, 8. Aul. III, 6, 38. Infra Trin. IV, 4, 16. Ceterum adde Herm. ad Sophocl. Philoct. 315. et Gronov. ad Epid. l. c. *Quem ego, qui sit homo, nescio*, notissima dicendi forma Graecanica. Cf. supra ad Trin. II, 2, 97. *Fungino genere*; respicit petasum, quem sycophanta, in peregrinum modum exornatus, grandem in capite gerebat. Fungi nihil aliud fere sunt, nisi caput. Accedit, quod *fungus* etiam in convicio est. *Et praemonstravit prius.* Non est haec sermonis familiaris abundantia, sed *praemonstrare* h. l. eodem modo dicitur, quo *praecipere*, ubi praepositionis vis non tempus spectat, sed disciplinam seu doctrinam, quum magister, quae docet, veluti praeit. Sic *praemandare* Vatinius posuit in Cic. epist. V, 9. *Dicitur mihi tuus servus anagnostes fugitivus cum Vardaeis esse, de quo tu nihil mandasti, ego autem, terra marique ut conquireretur, praemandavi.* — *Melius de me nugas conciliaverit;* maiorem sibi ludum ex me paraverit, maiorem iocum sibi in me fecerit. *A chorago. Choragus*

Núnc ego si potero órnamentis hóminem circumdúcere,
Dábo operam; ut me esse ípsum plane sýcophantam séntiat.
Ch. Quám magis specto, minus placet mi haec hóminis facies. Míra sunt,
Ni íllic homo est aut dórmitator, aút sector zonárius.
Lóca contemplat, círcumspectat sése, atque aedis nóscitat.
Crédo, edepol, quo móx furatum véniat, speculatúr loca.
Mágis lubidost óbservare, quíd agat; ei rei operám dabo.
Sy. Hás regiones démonstravit míhi ille conductór meus;
'Apud illas aedís sistendae míhi sunt sycophántiae.
Fóris pultabo. *Ch.* Ad nóstras aedis híc quidem habet rectám viam.
Hércle, opinor, mi ádvenienti hac nóctu agitandumst vígilias.
'Aperite hoc, aperíte. Heus, ecquis hic fóribus tutelám gerit?
Ch. Quíd, adulescens, quaéris? Quid vis? Quíd istas pultas? *Sy.* Heús senex,
Cénsus quom sum, iúratori récte rationém dedi.

---

pr. qui chorum ducit. Tum qui histriones conducebant pecunia sua et instruebant *choragi* dicebantur. Erant etiam *choragi* praefecti apparatus scenici, unde *choragium* locus post scenam, ubi omnia ad ludos necessaria asservabantur, die Garderobe. Cf. Persa I, 79. *Quam magis — minus; quam magis — tam magis; quam magis — tanto; quam maxime — tam maxime;* et similia permulta apud Plautum et Lucretium frequentantur, pro usitatiori illa formula: *quo magis — eo*; Cf. Parei lexic. v. *Quam magis.* Ceterum de formula *mira sunt nisi* cf. supra ad Captiv. IV, 2, 25. et ad Trin. II, 4, 94. — *Dormitator* pr. qui saepe dormit, i. e. omnia negligentius agere solet. Sed ex Turnebi sententia apud Plautum *dormitatores* dicuntur, qui Graecis ἡμερόκοιτοι, qui interdiu dormiunt, ut noctu furari et grassari possint. Cf. interpp. ad Hesiod. OO. et DD. 607. et Etym. M. v. Ἡμερόκοιτος. — V. 21. *Circumspectat sese* i. e. *circum se spectat* loca circum quaque adspectat. Sic supra Trin. I, 2, 109. *Circumspice dum te.*

V. 23. *Magis lubido est;* nunc iam magis cupio observare, quam antea. Iam magis adeo sum curiosus audiendi, quam ante eram. *Agitandum est vigilias.* Sic Gruterus e MSS. Camerarii restituit, quum antea legeretur: *agitandae sunt vigiliae.* Multis idem exemplis illustrat hoc dicendi genus, ex quibus haec ponimus: Virgil. Aen. XI, 230. *pacem Troiano a rege petendum.* Lucretius I, 111. *Aeternas quoniam poenas in morte timendum est.* Cf. etiam Sciopp. Veris. III, 3. Bentl. ad Ter. Phorm. II, 1, 19. — V. 28. Vulgo *Ecquis his.* Both. *Ecqui his.* Herm. *Ecquis hic,* quod metri caussa praeferendum. *Hic* locale saepe corripitur, ut *istic* saepe pro pyrrhichio est. *Census quom sum, iuratori* cet. Iuratores dicuntur apud Romanos omnes, qui iuramento se ad verum dicendum astrinxerunt. Quapropter iudices pariter ac testes *iuratores* appellantur. Sic tamen etiam *Censores* dictos esse volunt, quia alios sub iuramento ex animi sententia censebant; in quam sententiam excitant Plaut. Poen. prol. 58. *Nunc*

Lésbonicum hic ádulescentem quaéro, in his regiónibus
'Ubi habitet, et item álterum ad istanc cápitis albitúdinem,
Cálliclem quem aibát vocari, has míhi quï dedit epístolas.
Ch. Meúm gnatum hic quidem Lésbonicum quaérit et amicúm meum,
Quoí ego liberósque bonaque cómmendavi, Cálliclem.
Sy. Fác me, si scis, cértiorem, hosce hómines, ubi habitént, pater.
Ch. Quíd eos quaeris; aút quis es; aut únde es; aut unde ádvenis?
Sy. Múlta simul rogás; nescio quid éxpediam potíssumum.
Si únumquicquid síngillatim et plácide percontábere,
'Et meum nomen, ét mea facta, et ítinera ego faxó scias.
Ch. Fáciam ita ut vis. 'Agedum nomen mémora tuum primúm mihi.
Sy. Mágnum facinus íncipissis pétere. *Ch.* Quid ita? *Sy.* Quía, pater,
'Ante lucem si íre occipias á meo primo nómine,

---

rationes ceteras accipite; nam argumentum hoc hic censebitur. Vos iuratores estis. Gronovius haec: „Iuratorem esse ipsissimum Censorem, magistratum populi Romani, et sententiam esse: *censum edidi vel professus sum apud censorem, tibi vero nulla a me ratio reddenda est,* docuimus Observ. IV, 4.“ Vulgo et in Codd. Pall. *sum* desideratur; Herm. scripserat: *Census sum, quum.* — V. 32. *Ad istanc — albitudinem.* Versus hic citatur a Nonio p. 73. ubi hodie legitur: *ubi habitet, item alterum ad ipsam c. a.* Cf. Non. ed. Gerlach. et Roth. pag. 52. Ceterum Charmidis canum caput intelligit sycophanta, quocum comparat Calliclis, quem quaerit. Sic enim Calliclem significarat ei Megaronides. — V. 33. Vulgo *Calliclem aiebat.* Recte Herm. addidit *quem.*

V. 36. *Hosce homines.* Vulgo *hice homines*, vett. editt. *hisce*, quae lectio sine dubio profecta ab iis, quibus h. l. latere videretur vetus ille nominativus pl., de quo cf. quae supra notavimus ad Mil II, 6, 6. Sed ambo Codd. Cam. *hosce* exhibent, genere loquendi Plauto usitatissimo, de quo cf. supra ad Trin. II, 2, 97. Accusativus enim pendet a verbo *scio.* — V. 38. Vulgo: *Multa simul rogitas.* Facillima videbatur emendatio, si poneretur *rogas.* Nec opus est frequentativo, quod saepe sine caussa introductum a librariis, apud Plautum.

V. 43. *A meo primo nomine,* i. e. ab initio meo nominis. *Primum nomen* est principium nominis, ut *prima nox*, *primum mane* pro eo quod dicitur initium noctis, diei. *Concubium*, tempus eundi cubitum. Ceterum recte vulgata: *priusquam ad postremum perveneris,* pro quibus Herm. *priusquam tu ad postremum pervenas.* Locum excitavit Varro de L. L. VII, 4, 95. pag. 357. ed. Sp. sic exhibens: *Concubium sit noctis priusquam postremum perveneris*, omissa praep., quae omissio satis habet, quo se defendat. Cf. Ruddim. Institt. Gramm. II, pag. 284. not. 38. Plaut. Poen. II, 48. III, 6, 4. IV, 2, 9. Terent. Eunuch. III, 3, 30. Ovid. Met. III, 462. Non male scripsit Bothius: *ad postumum*

Cóncubium sit nóctis, priusquam ad póstremum pervéneris.
Ch. 'Opus facla et viático ad tuum nómen, ut tu praédicas.
Sy. 'Est minusculum álterum, quasi vásculum vinárium.
Ch. Hic homo solide sýcophanta est. Quíd ais tu, adulescéns?
Sy. Quid est?
Ch. 'Eloquere, isti tíbi quid homines débent, quos tu quaéritas?
Sy. Páter istius ádulescentis dédit mi has duas epístolas
Lésbonici. Is mi ést amicus. *Ch.* Téneo hunc manifestárium.
Mé sibi epistolás dedisse dícit; ludam hominém probe.
Sy. 'Ita ut occepi, si ánimum advortas, dícam. *Ch.* Dabo operám tibi.
Sy. Hánc me iussit Lésbonico suo dare gnato epístolam,
'Et item hanc alterám suo amico Cállicli iussít dare.
Ch. Míhi quoque edepol, quom hic nugatur, cóntra nugarí lubet.
'Ubi ipse erat? *Sy.* Bene rém gerebat. *Ch.* 'Ergo ubi? *Sy.* In Seleúcia.
Ch. 'Ab ipson' istas áccepisti? *Sy.* E mánibus dedit mi ipse ín manus.
Ch. Quá facie est homó? *Sy.* Sesquipede quíddamst quam tu lóngior.

---

perv. Sed Codd. MSS. non addicunt, nisi forte aliud in C. V. Cam. inventum est nuper. — V. 45. Vulgo: *Opus face est et viatico*, e Lipsii coniectura, qui vel *facla* vel *face* legendum suaserat. Codd. Pall. *Opus facto est*, in quo sine dubio latet: *Opus facla est. Facula* habetur apud Plautum Pers. IV, 3, 46. *Facla* pro *facula* in usu fuisse, quis dubitet, si conferat *vehiclum, periclum, maniplus, templum*, quod pro *tempulo* dici constat, *miraclum, obstaclum* et innumera alia. *Face* opus esse dicit et *viatico*, ut in tam longinquo scilicet itinere et victus suppetat et in tenebris lumen. *Quasi vasculum vinarium;* non tantae magnitudinis, quam illud, sed tantillum fere, quantillum ambitus habet vasculum vinarium, amphora. Ceterum in Codd. Pall. legitur: *quasi vix illum vin.* — V. 49. Vulgo: *dedit has duas mihi.* At in Codd. Pall. pron. pers. deest, quare elegantius fuit collocandum ante v. *has.* — V. 50. Vulgo: *Lesbonici. mihi est am.* Sed Codd. Pall. *Lesbonicis m. e. a.* Veram scripturam iam Pareus restituit. *Manifestarium;* manifesto eum deprehendi. Cf. infra h. sc. v. 66. *Teneor manifesto miser. Manifestarius* a manifesto, ut *ridicularius*, a ridiculo, notione a primitivo non multum deflectente. — V. 53. Vulgo: *suo gnato dare.* Verus ordo est *suo dare gnato*, quem restitui. — V. 57. Herm. *dedit ipse in m.* omisso *mihi* pron. quod exhibent Camerar. Par. vulg. et exhibere videntur Codd. Pall. Cf. supra v. 49. *dedit mihi has duas ep.*

V. 58. Vulgo: *sesquipede quidem est*, metro labante. At codd. Pall. *sesq. quiddam est*, ex quo Bothius fecit *quidam.* Non dubium mihi quidem est, recte se habere *quiddam* adverbii loco positum, quemadmodum Graeci saepe τὶ ponunt, ut Sophocl. Oed. Col. 101. εἰ μὴ δοκῶ τι μειόνως ἔχειν, ubi apparet μειόνως τι coniungendum esse, quemadmodum διαφερόντως τι Thucyd. I, 138. οὕτω

Ch. Haéret haec res; síquidem ego absens súm, quam praesens, lóngior.
Nóvistin' hominem? *Sy.* Hém, ridicule rógitas, quocum uná cibum
Cápere soleo. *Ch.* Quíd est ei nomen? *Sy.* Quód edepol hominí probo.
Ch. Lúbet audire. *Sy.* Illi édepol, illi, illi, ílli; vae miseró mihi.
Ch. Quíd est negoti? *Sy.* Dévoravi nómen imprudéns modo.
Nón placet, qui amícos intra déntis conclusós habet.
Sy. 'Atque etiam modo vórsabatur mi ín labris primóribus.
Ch. Témperi huic hodie ánteveni. *Sy.* Téneor manifestó miser.
Ch. 'Iam recommentátu's nomen? *Sy.* Deúm me, hercle, atque hominúm pudet.
Ch. Víde, homo, ut hominem nóveris. *Sy.* Tamquam mémet; fieri istúc solet,
Quód in manu teneás atque oculis vídeas, ut id desíderes.

δή τι ἐοῦσα πικρή Herod. IV, 52. Eandem vero habet significationem, atque *fere, quasi*, ut *sesquipede quiddam longior* sit *fere sesq. longior.*

V. 59. *Haeret haec res;* non bene procedit mendacium, non convenit. Dubitatio oritur. Cf. Amphitr. II, 2, 182. Pseud. IV, 2, 28. Ceterum hunc versum primus e Camerarii Codd. produxit Sciopp. quem vide Veris. III, 3. *Quid ei est nomen.* Cf. notata ad Capt. V, 3, 6. — V. 60. *Hem* additum ab Herm. Quod admisi, quia *novistin* duabus syllabis pronunciandum; in v. *hominem* ultima non colliquescit. — V. 62. Vulgo: *Ille, edepol, illi, illi.* Emendavit Herm. — V. 66. *Temperi* recte Edd. praeter Cam. qui *tempori.* Vbicunque pro adverbio est, apud Plautum *temperi* scribendum, non *tempori.*

V. 67. Vulgo: *Iamne commentatus es.* Sed V. C. Cam. *Iam re comm.* et Cod. Dec. *Iam rem comm.* Verissimum est *recommentatus.* Nam *commentari* significat *meditari;* neque hoc quaerit Charmides, utrum nomen iam excogitaverit, sed utrum in memoriam revocaverit Sycophanta. *Deum me, hercle, atque hominum pudet.* Non res tantum et facta, quibus pudor in nobis excitatur, verbo pudere in genitivo apponuntur eorumque nos pudere dicimus, sed etiam personae, quarum reverentia pudorem nobis iniicit. Et hoc saepius vel apud Terentium: *Cuius nunc pudet me et miseret;* Heaut. II, 3, 19. *Me tui pudet;* Adelph. IV, 5, 49. Utrobique *pudere alicuius* est: sich vor einem schämen. Sic Sallust. Histor. fragm. I, orat. Lucii Philippi contra Lepidum: *ut te neque deorum neque hominum pudet.* Igitur omnia, quae pudore afficiunt, sive illa in rebus turpibus censentur, sive personae sunt reverentia dignae ad verbum *pudere* genitivo struuntur. *Vide — ut;* de hac formula cf. quae supra exposita sunt ad Captiv. II, 2, 42. *Noveris* Codd. sed *noris* pronunciandum. — V. 69. *Vt id desideres.* Vulgo *ut* desideratur; sed addendum fuit, ne soloeca diutius esset Plautina oratio.

Lítteris recómminiscar, C ést principium nómini.
Ch. Cállias? *Sy.* Non ést. *Ch.* Callippus? *Sy.* Nón est. Callidémides?
Sy. Nón est. *Ch.* Callinícus? *Sy.* Non ést. *Ch.* Cállimarchus? *Sy.* Níl agis.
Néque adeo edepol flóccifacio, quándo egomet meminí mihi.
Ch. 'At enim multi Lésbonici súnt hic; nisi nomén patris
Dícis, non monstráre possum hos hómines, quos tu quaéritas.
Quód ad exemplum est? cóniectura sí reperire póssumus.
Sy. 'Ad hoc exemplum est, Chár. *Ch.* Chares? an Cháridemus? num Chármides?
Sy. Hém, istic erit. Qui istúm di perdant! *Ch.* Díxi ego iamdudúm tibi:
Béne te potius dícere aequomst hómini amico, quám male.
Sy. Sátin' intra labra átque dentis látuit vir minumí preti?
Ch. Né male loquere abséuti amico. *Sy.* Quíd ille ergo ignavíssumus
Mí latitabat? *Ch.* Réspondisset, si áppellasses nómine.
Séd ipse ubi est? *Sy.* Pol illúm reliqui ad Rhádamantem in Cercopia.

V. 73. *Memini mihi*, in privatum usum; non enim opus est, ut tibi dicam, dummodo egomet mihi sciam. *Quod ad exemplum;* ad quemnam modum, ad quamnam similitudinem. *Qui istum di perdant; qui* pro *ut* simpliciter poni, multi loci apud Plautum argumento sunt, quos collegit Pareus lex. Plaut. h. v. ubi tamen multi citati sunt, qui nihil demonstrant. Sed plane ut hoc loco legitur in Casina II, 4, 1. *Qui illum di omnes deaeque perdant.* Adde Donat. ad Terent. Phorm. I, 2, 73. *Qui illum di omnes perduint. Qui utinam est, ut Lucilius in secundo: Qui te, Momentane, malum iam cetera perdat.* Haec Donatus. — V. 79. Vulgo: *Te potius bene dicere aeq.* quod propter incommodam collocationem v. *bene* non probatum Hermanno, qui scripsit: *Bene te potius d. ae.* Id servandum duxi propter numeros.

V. 80. *Satin'.* Cf. quae de hac particula supra notavimus ad Mil. IV, 2, 8. Adde Gronov. ad Rud. IV, 5, 5. qui sic: „Hac particula persaepe utitur Plautus pro: *nonne verum est? nonne apparet?*" Sic ille. Hoc loco *satin'* indignantis est; *nonne verum est, eum diu latuisse?*

V. 81. Vulgo: *Ne male loquare.* Emendaverunt Bothius, Herm. aliique. Tum vulgo: *Quid ergo ille*, quod Herm. emendavit, quod v. *ergo* vix priore correpta inveniatur. — V. 82. *Mi latitabat.* Ita vulgo et Codd. Pall. *Latitabat mihi* Herm. Sed cf. infra v. 117. *Mihi concrederet.* — V. 83. Vulgo: *Pol illum reliqui ad Rhadamantem in Cecropia insula.* Cod. V. Cam. *P. i. r. adi hada mante in Cecropio* et Dec. *in Cecropia.* Scribendum esse *in Cercopia*, iam Meursius vidit. Voc. *insula* omittendum esse, ego dudum docui. Ceterum *Cercopia*, quod v. antep. producit, ficta terra est ioculariter, a cercopibus, quod fuit simiarum genus. In hos olim incolae Pithecusarum transmutati esse ferebantur. Cf. Ovid. Metam. XIV, 91 seq. Igitur *Cercopia* est

Ch. Quís homo est me insipiéntior, qui ipse égomet, ubi sim, quaéritem?
Séd nil discondúcit huic rei. Quíd ais? *Sy.* Quid? *Ch.* Hoc, quod té rogo.
Quós locos adísti? *Sy.* Nimium mírimodis mirábiles.
Ch. Lúbet audire, nísi molestumst. *Sy.* Quín discupio dícere.
'Omnium primum in Póntum advecti 'Arabiam terrám sumus.
Ch. Eho,
'An etiam Arabia ést in Ponto? *Sy.* Est; nón illaec, ubi tus gígnitur,
Séd ubi absinthiúm fit, atque cúnila gallinácea.
Ch. Nímium graphicum hunc núgatorem. Séd ego sum insipiéntior,
Qui égomet, unde rédeam, hunc rogitem; quae égo sciam, atque hic nésciat.
Nísi quia hunc lubet éxperiri, quo évasurust dénique.
Quíd tibi est nomén, adulescens? *Sy.* Páx, id est nomén mihi;
Hóc cotidiánumst. *Ch.* Edepol nómen nugatórium:
Quási dicas, si quíd crediderim tíbi, pax, periisse íllico.

Affenland, eoque est iocularior appellatio, quo citius in mentem venire oportet legentibus vel audientibus *Cecropiam*, arcem Athenarum. — V. 85. Vulgo: *hoc te rogo;* fortasse ex errore typ. Nam Codd. et vett. edd. omnes: *hoc quod te rogo.* — V. 86. *Miris modis* vulgo et in Codd: Pall. Emendavit Herm.

V. 88. *Omnium* disyllab. — *Ad Arabiam* vulgo. Sed Codd. Pall. om. praepositionem, qui exhibent *advectia arabiam*, in qua scriptura *a* male repetitum, ut saepe. *Eho* extra metrum est, ut saepe interiectiones. Cf. supra ad Captiv. II, 1, 7. et Herm. doct. metricae Elem. pag. 28. 9. *Absinthium*, ἀψίνθιον, Wermut. Theophr. H. pl. IX, 18. Dioscorid. III, 26. *Cunila gallinacea*, κονίλη, species origani. Eius plura laudantur genera: cunila bubula, βουκονίλη, vel βούτης ὀρίγανος, quod boves a scabie sanos praestare creditur; ὀνίτης ὀρίγανος, cunila asinaria, quod asinorum scabiem emendabat. Alia fuit *cunila gallinacea*, fortasse quod gallinae semen eius appetebant. Haec Salmasius. Schneiderus Linnaei origanum heracleoticum, etiam veteribus hoc nomine cognitum, esse ait, nobis Wintermairan, aliis Hühnersaturei. Cf etiam Billerbeck. Flora class. pag. 213 seq. et p. 155. Homo ridiculus vilissimas nominat et satis notas herbas. *Graphicum;* vide quae supra exposuimus ad Trin. III, 3, 39. De accusativo in his et huiusmodi exclamationibus cf. notata supra ad Milit. III, 2, 25. *Quae ego sciam;* exspectasses: *quod ego sciam*, quum unum tantum sit, quod rogitet, nempe unde redeat. Magis mirum est, quod legitur Bacchid. IV, 4, 74. *Quae imperasti, impetratum bene bonis, factum illico est.* *Quid — nomen;* cf. supra Captiv. IV, 3, 6. et ad Trin. IV, 2, 61.

V. 97. *Pax! perisse illico.* Non opus est, ut h. l. scribatur *tax*, quod visum Salmasio. *Pax*, ut supra indicavimus ad Mil. III, 1, 211. interiectio est finem imponentis vel silentium iubentis. Tum indicat, non esse amplius, quod de ea re, de qua

Séd quid ais, quo inde ísti porro? *Sy.* Si ánimum advortas, éloquar.
Ad caput amnis, quód de caelo exóritur sub solió Iovis.
Ch. Súb solio Iovis? *Sy.* 'Ita dico. *Ch.* E caelón? *Sy.* Atque e medió quidem.
Ch. Eho,
'An etiam in caelum éscendisti? *Sy.* Immo hóriola advectí sumus,
'Usque aqua advorsá per amnem. *Ch.* Eho, an étiam vidistí Iovem?
Sy. 'Eum alii di isse ád villam aibant sérvis depromptúm cibum.
Deínde porro — *Ch.* Deínde porro nólo quicquam praédices.
Sy. 'Ego vero hercle, si ést molestum — *Ch.* Nám pudicum néminem
Sé praehibere opórtet, qui abs terra ád caelum pervénerit.
Sy. Té mittam, ut te vélle video; séd monstra hosce hominés mihi,

---

sermo est, dicas, rem ad finem perductam esse. Sic apud Terent. Heaut. II, 3, 50. *Capillus sparsus, promissus, circum caput reiectus negligenter*; *pax.* Idem ibid. IV, 3, 39. *Unus est dies, dum argentum eripio*; *pax, nihil amplius.* Igitur hoc dicit Charmides: nomen tuum sic ego interpretor, quasi quis, cum tibi aliquid crediderim, dicat: finis est, periit; schnap, weg ist es.

V. 101. *Eho* extra metrum. *Horiola*, *horia*, genus navigii piscatorii. Cf. Nonius p. 365 et Fulgentius p. 391. ed. G. et R. ubi *oria* scriptum exstat. *Eum alii di.* Vulgo ex Acidalii emendatione: *alii dii.* C. V. Cam. *Callicli se ad.* Cod. Dec. *Calliclis ad*, unde Hermannus *Eum alii di isse*, quod dedimus. Praeclara est Herm. emendatio, quae conficit, quod Acidalius inchoaverat. — *Nam pudicum neminem* cet. Allusum esse volunt ad Ganymedem, qui e terra in coelum elatus Iovis pincerna et amasio factus est. — V. 107. Vulgo *Esse oportet.* Quinque versuum initia hoc loco in Codd. Pall. turbata sunt aut mutila, quae partim prius iam emendata, partim a nemine dum sunt restituta. Videamus, quomodo totus locus in integritatem sit restituendus. Ponam codicum lectiones cum lacunis, exadverso additis emendationibus:

V. 104. *Callicli se* = *Eum alii di isse.* Herm.
V. 105. *Mande porro* = *Deinde porro.* Vulg.
V. 106. ... *o hercle sies* = *Ego* v (h. e. *vero*) *hercle si est.*
V. 107. .. *pre oportet* = *Se prē* (h. e. *praehibere*) *oportet.*
V. 108. .. *mit aut* = *Te mitta* (h. e. *mittam*) *ut.*

V. 106. scripserat Herm. *Ego quidem hercle si es molestus.* Sed *quidem* aperte non fuit in Codice. *Si est molestum* scripsi iam olim, flagitante sententia. *Se praehibere* debetur Kampmanno, V. Cl., qui de hoc loco egit in dissertatione de AB praepositionis usu Plautino pag. 3. *Te mittam* scripsi pro vulgato *Dimittam;* nam oratio sic procedit: Ego vero hercle, si erit molestum, Te mittam, ut te velle video. Hoc dicere vult sycophanta: si res tibi molesta est, si tibi negotium facesso, mittam te, ut vis;

Quós ego quaero, quíbus me oportet hás deferre epístolas.
Ch. Quíd ais tu nunc; sí forte eumpse Chármidem conspéxeris;
'Illum, quem tibi istás dedisse, cómmemoras epístolas,
Nóverisne hominem? *Sy.* Naé tu me edepol árbitrare béluam,
Quí quidem non novísse possim, quícum aetatem exégerim.
'An ille tam esset stúltus, qui mihi mílle nummum créderet
Phílippum, quod me aurúm deferre iússit ad gnatúm suum,
'Atque ad amicum Cálliclem, quoi rem aíbat mandasse híc suam?
Míhi id concrederét, ni me ille et égo illum novissem ápprobe?
Ch. 'Enim vero ego nunc sýcophantae huic sýcophantarí volo,
Si húnc possum illo mílle nummum Phílippo circumdúcere,
Quód sibi me dedísse dixit. Quem égo, qui sit homo, néscio,
Néque oculis ante húnc diem umquam vídi, eine aurum créderem?
Quoí, si capitis rés sit, nummum númquam credam plúmbeum.
'Aggrediundust mi híc homo astu. Heus, Páx, te tribus verbís volo.
Sy. Vél trecentis. *Ch.* Háben' tu id aurum, quód accepisti a Chármide?
Sy. 'Atque etiam Philippúm, numeratum illíus in mensá manu
Mílle nummum. *Ch.* Némpe ab ipso id áccepisti Chármide?

---

nam ego quidem nihil negotii tecum habeo. Hoc unice rogo, ut mihi monstres, ubi habitent, quibus fero has epistolas. V. 109. Vulgo: *Hos ego quaero.* Acidalius emendavit. V. 110. Vulgo et in Codd. Pall. *si forte eum ipsum.* Dudum rescripsi *eumpse.* Cf. Trucul. I, 2, 31. ubi legendum est: *Quia te adducturam huc dixeras eumpse non eampse.* Ceterum haec forma aliquoties reddenda est Plauto.

V. 114. *An esset — crederet.* Demta condicionis significatione si proferas haec, ita enuncianda erunt: *Tamne erat stultus, ut crederet*; unde patet, cur plusquamperfectum *fuisset — credidisset* hic locum non habeat. *Philippum*, adiective, pro Philippeum, ut aliquoties in hac fabula. Cf. Horatii illud: *Divis orte bonis, optime Romulae custos gentis.* Cf. Milit. IV, 2, 73. Quae paullo post leguntur: *illo mille nummum Philippo* eadem ratione explicanda sunt, neque aliter v. 125. *atque etiam Philippum.* Ceterum de genitivo *mille nummum* cf. notata supra ad Milit. IV, 2, 73. et 88. Atque quod attinet ad illud: *illo mille nummum Philippo*, legebatur olim: *illis mille nummis Philippeis.* Sed iam diu emendavit Sciopp. susp. lectt. II, 3. e Codd. Cam. — V. 117. Vulgo *Mihi concrederet.* Pron. *id* additum ab Herm. quod sententia postulare videtur. — *Quem ego — nescio*; forma Graecanica, de qua saepe iam diximus. Cf. supra ad Trin. II, 2, 97. — *Quód ăccepisti.* Hanc numerorum rationem Plauto satis frequentem ut evitaret, scripserat Herm. *haben tu aurum id quod accepisti.* Cf. quae dixi supra ad Trin. III, 2, 38. —

Sy. Mírum quin ab avo eíus, aut proavo accíperem, qui sunt mórtui.
Ch. 'Adulescens, cedo dum ístuc aurum míhi. *Sy.* Quod égo dem aurúm tibi?
Ch. Quód te a me accepísse fassu's. *Sy.* 'Abs te accepisse? *Ch.* 'Ita loquor.
Sy. Quís tu homo es? *Ch.* Qui mílle nummum tíbi dedi, ego sum, Chármides.
Sy. Néque edepol tu is és, neque hodie is únquam eris, huic auró quidem.
'Abi sis, nugatór; nugari núgatori póstulas.
Ch. Chármides ego súm. *Sy.* Nequicquam hercle és; nam nihil aurí fero.
Nímis argute mi óbrepsisti in eápse occasiúncula.
Póstquam ego me aurum férre dixi, póst tu factu's Chármides.
Príus non tu is eras, quam aúri feci méntionem; níl agis.
Proínde tu itidem, ut chármidatu's, rúrsum te rechármida.
Ch. Quís ego sum igitur, síquidem is non sum, quí sum? *Sy.* Quid id ad me áttinet?
Dum ílle ne sis, quem égo esse nolo, sís mea caussa, quí lubet.
Príus non is eras, quí eras; nunc is fáctu's, qui tum nón eras.
Ch. 'Age si quid agis. *Sy.* Quíd ego agam? *Ch.* Aurum rédde. *Sy.* Dormitás, senex.

V. 127. De formula *mirum quin* cf. quae notavi supra ad Trin. II, 4, 94. — V. 129. Vulgo: *quod a me te*, qui ordo et minus est elegans et in versum peccat. Emendavit Herm. Aliam rationem iniit Kampmannus, V. Cl., qui in diss. de AB. praep. usu Pl. pag. 14. scribendum censet: *Quod te accepisse a me fassus.*

V. 131. *Hodie is unquam* scripsit Herm. ad evitandum hiatum. Vulgo *is* deest, quod facile excidere potuit. *Huic auro quidem*; ut in aliis rebus omnibus sis Charmides, at non eris etiam isti auro. — V. 132. Pro vv. *Abi sis* in Cod. V. Cam. est *a si sis* et in Cod. Dec. *at si sis.* Ita in locis planissimis nonnunquam errant optimorum Codd. scripturae. *Nugari nugatori postulas.* Non hoc dicit, se esse nugatorem, sed hoc: Quod tu ante dixisti, me esse nugatorem, id tibi iam regero. Postulas enim, ut ego nuger cum nugatore, h. e. tecum. — V. 134. *Mi obrepsisti.* Additum pron. ab Herm. et metri et sententiae caussa. *Recharmida*, Charmidem exue, depone. Male olim explicabant: depone conceptam laetitiam (χάρμην). Ceterum vulgo *Proinde tu te itidem*, quae in metrum peccant. Emendavit Herm. — V. 140. *Qui eras* sic pronunciandum, ut *qui* non coalescat. De hortandi formula *age si quid agis* cf. supra ad Milit. II, 2, 62. *Scriptum quidem.* Videtur ex hoc loco apparere, non pecuniam ipsam datam Sycophantae, sed tabellas tantum, h. e. litteras. Quas quum accepisset Callicles, pecuniam, quam ex thesauro depromturus erat, una cum illis se accepisse simulare volebat, ne sentiret Lesbonicus, e patrio thesauro depromtum. Ex his etiam intelligitur, cur Callicles postea in ipso thesauro effodiendo depre-

Ch. Fássu's Charmidém dedisse aurúm tibi? *Sy.* Scriptúm quidem.
Ch. Próperas, an non, prŏpere abire actútum ab his regiónibus,
Dórmitator, príusquam ego hic te iúbeo mulcarí male?
Sy. Quámobrem? *Ch.* Quia illum quem émentitus és, ego sum ipsus Chármides,
Quém tibi epistolás dedisse aiébas. *Sy.* Eho, quaeso, án tu is es?
Ch. 'Is enimvero sum. *Sy.* Aín tu tandem, is ípsusne es? *Ch.* Aio. *Sy.* 'Ipsus es?
Ch. 'Ipsus, inquam, Chármides sum. *Sy.* Ergo ípsusne es? *Ch.* Ipsíssumus.
'Abin hinc ab oculís? *Sy.* Enimvero séro quoniam huc ádvenis;
Vápulabis árbitratu meo ét novorum aedílium.
Ch. 'At etiam maledícis? *Sy.* Immo, sálvos quandoquidem ádvenis,

---

hendatur a Charmide. V. 143. Vulgo: *Properas, an non properas abire*, quae metro non satisfaciunt, nisi forte, ut olim putabam *ábire* pronunciare velis. Quod dedimus, elegantissime scripsit Bothius. Cf. Kampmann. in dissert. de AB. praep. usu Plaut. pag. 22. — De voce *dormitator* cf. notata supra ad v. h. sc. 20. *Quia illum quem — ego sum:* attractionis, quae dicitur, genus notissimum. Cf. ad Captiv. prol. I. V. 146. *Dedisse tu aibas* Herm. Vulgata servanda erat. *Is enim vero sum;* freilich bin ich der. Cf. notata ad Captiv. prol. 22. Habet enim haec particula gravem affirmationem cum significatione nexus caussalis modo clariore, modo obscuriore. Clarior haec caussae significatio paullo inferius, ubi: *enimvero sero quoniam advenis. Ipsissimus;* citat hunc versum Priscianus III, I, tom. I, p 103. Kr. ut superlativum in pronomine exemplo monstret. Conferunt vv. dd. Graecum αὐτότατος; Aristoph. Plut. 83. Bast. ad Gregor. Cor. pag. 366. et 896. Schaef. Expressisse videtur Plautus locum Aristophanis: τί φῄς; ἐκεῖνος οὕτως εἶ σύ; Ναί. ἐκεῖνος αὐτός; Αὐτότατος. — V. 149. Vulgo: *Abi hinc ab oc.* Emendavit Herm. Codd. Pall. et Codd. apud Prisc. *Abhinc ab oc.* — V. 150. *Vapulabis — aedilium.* Ad histrionum poenas alludi manifestum est. Qui quum essent servi, si quid deliquerant in actione, vapulabant. Sic in Cistellariae epilogo: *Ornamenta ponent. Postidea loci Qui deliquit, vapulabit; qui non deliquit, bibet.* In culpis autem fuisse, si quis serius, quam oporteret, proscenium ingrederetur, non dubium est. Hinc Sycophanta Charmidi minatur, daturum poenas, quod sero venerit. Haec Gulielmus. Sero autem venisse dici potest Charmides, quia tum demum rediit, quum filius omnia iam perdiderat. *Novi aediles*, sine dubio nuper facti. Nam aediles sub auspiciis muneris ludos edebant; res nota. *Arbitratu meo*, dicitur ut *iussu meo*, *datu meo*, *allegatu meo*, *mandatu meo*, et similia permulta. Cf. infra ad V, 2, 16. *At etiam maledicis.* Olim: *an etiam m.* Sed Codd. Pall. *at e. m.* quod Sciopp. susp. lectt. II, 3. tanquam irato convenientius defendit. Cf. Captiv. III, 4, 31. *At etiam male loqui mi audes?* — V. 152. *Si te flocci facio, an periisses;*

Dí me perdant, sí te floccifácio, an periissés prius.
'Ego ob hanc operam argéntum accepi; té macto infortúnio.
Caéterum qui sís, qui non sis, flóccum non intérduim.
'Ibo ad illum, renúnciabo, míhi qui tris nummós dedit,
'Ut sciat, se pérdidisse; ego ábeo; male vive ét vale.
Quód di te omnes ádvenientem péregre perdant, Chármides.

ACTVS IV. SCENA III.

Charmides.

Postquam ílle hinc abiit, póst loquendi líbere
Vidétur tempus vénisse, atque occásio.
Iamdúdum meum ille péctus pungit áculeus,
Quid illí negoti fúerit ante aedís meas.
Nam epístola illa míhi concenturiát metum
In córde, et illud mílle nummum, quám rem agat.
Numquam édepol temere tínnit tintinnábulum;
Nisi qui íllud tractat aút movet, mutúm tacet.
Sed quis híc est, qui huc in pláteam cursuram íncipit?
Lubet óbservare, quíd agat; huc concéssero.

Cf. notata supra ad Trin. IV, 1, 3. Vulgo: *etsi flocci f.* Sed Codd. Pall. *si te fl. f.*, quod Herm. iam recepit, qui idem ab init. versus *Di me perdant* recte scripsit pro vulgato *Di te perdant.* Verba *an periisses* per ἐπεξήγησιν adduntur. — V. 153. *Macto infortunio.* De notione verbi *mactare* cf. Servius ad Virg. Aen. IV, 57, et IX, 641. Adde Nonium p. 341. Scilicet *mactare* eiusdem est originis, cuius *magis*, *magnus*, et significat proprie *augere*, *auctare*, magnum facere et venerandum. Inde factum est, ut in sacrificiis *mactari* dicerentur victimae, cum ante caedem ture, vino, mola salsa affunderentur. Tum obscurata vocis originatione *mactare* de caede, et non de victima solum, sed alibi etiam, usurpatum. Sed multi exstant scriptorum loci, in quibus antiquissima notio nondum plane deleta est, ex qua fere idem significat, quod *instruere*, *ornare*, nisi quod etiam in re mala ac pestifera, qua aliquem afficimus aut affectum volumus, adhibetur. Igitur non minus *honore aliquem mactare*, quam *malo*, *damno*, *infortunio mactare* dicebant. *Caeterum qui sis.* Olim legebatur: *Sed enim qui sis.* Scioppius susp. lectt. II, 3. testatur in Codd. Pall. esse: *Sed erum*, unde ille coniecit *ceterum*, quod dudum receptum est. V. 157. *Quod Di te omnes.* Herm. scripserat: *Quo Di te o.* quod non intelligo. Illud *quod* coniunctio est, levem ex superioribus consequentiam ostendens, inservitque transitioni; quae eadem vis inest huic particulae in formulis *quodsi*, *quod nisi*, *quod utinam* et paucis similibus. Ceterum scena, quae sequitur, continuatur superiori in libris vulgaribus. Primus distinxit et novam hic scenam exorsus est Hermannus, ad Codd. Pall., quos ego quoque secutus sum.

Act. IV. Sc. III. Charmides solus in scena restans non sine metu et animi agitatione secum reputat ea, quae statim audierat et viderat. De formula *postquam* — *post* dixit Acidalius

ACTVS IV. SCENA IV.

Stasimus, Charmides.

St. Stásime, fac te própere celerem, récipe te ád dominúm domum,
Né subito metus éxoriatur scápulis stultitiá tua.
'Adde gradum, approperá; iamdudum fáctumst, quom abiistí domo.
Cáve sis tibi, ne búbuli in te cóttabi crebrí crepent,
Si áberis ab heri quaéstione. Né destiteris cúrrere.
'Ecce hominem te, Stásime, nihili. Sátin' in thermopólio
Cóndalium es oblítus, postquam thérmopotasti gútturem?

---

ad Trin. c. VIII. Cf. etiam supra Trin. IV, 2, 135. *Concenturiare* pr. est in centurias colligere, ut *centuriare* in centurias disponere. Tum in universum est *ornare*, *parare*, *ordinare*, *instruere*, *concinnare*, ut h. l. Nonius paullo aliter p. 11.: *Contenturiare est colligere, dictum a centuriis, quae ad suffragia conveniebant.* Non recte. Nam illud ipsum exemplum, quod e Plaut. Pseud. (I, 5, 159.) affert ille: *concenturio in corde sycophantias*, veram rationem ostendit. Non enim a populi concionibus, sed e re militari desumta est imago. — V. 7. *Tinnit* recte Herm; vulgo tinniit. Sed Cod. V. Cam. *tinni tinnabulum.* In C. Dec. *tinnit* plane desideratur. Cf. Fleckeisen. in Exercitt. Plaut. p. 41. Tum vulgo *mutum est*, *tacet.* In Codd. Pall. est: *mutustacet.* Recte Herm. dedit *mutum tacet. Huc concessero.* De hoc futuri exacti usu cf. notata supra ad Captiv. II, 2, 64.

Act. IV. Sc. IV. Stasimus aliquantulum appotus procedit, herumque senem non conspiciens secum multa de annulo, quem in thermopolio inter pocula incautus reliquerat. Ubi quum potasset cum hominibus suspectae fidei, recepturum se annulum, ad quem recipiendum recurrere volebat, desperat. Unde ridicula oritur morum seculi corruptorum vituperatio. Tandem herum agnitum laetissime salutat, et aedes venditas esse a filio nunciat, qua re ille in multam aegritudinem adigitur. — V. 1. *Fac te* vulgo et in Codd. Pall. *Face te* edidit Herm. secutus Gulielm. in Quaestt. in Trin. c. 2. *Facile* Camerar. quod typorum error esse videtur. — V. 3. Vulgo: *cum abisti domo*, atque ita in Codd. Pall. legi videtur. Sed vide Fleckeisen. in Exercitt. Plautt. pag. 42. *Bubuli cottabi.* Lipsius haec: Graeci in conviviis solebant e poculo reliquias vini arte quadam in terram elidere, ita ut sonum redderent, vel ut Cicero de ea re loquitur, *ut resonaret;* idque κοτταβίζειν, facere cottabum vocabant. Quo respiciens Plautus *cottabos bubulos* facete vocat plagarum crepitus, qui eduntur, quum servi *corio bubulo* (i. e. loris e pelle bubula) caeduntur. *Si aberis* recte restitutum ab Herm. Vulgo *Si abieris*, quod in metrum pariter atque in sententiam peccat. Abierat enim vel maxime, quapropter timet. *Satin'.* Plena est formula *Satin' certum est*, qua postea, ut fit, in brevius contracta, *satin* fere eadem notione dici coepit. Sed vide quae notavimus supra ad Mil. IV, 2, 9. — V. 7. *Thermopotas* scripsit olim Bothius, ut prosodiae legibus consuleret, verbum a Latino *potare* compositum esse existimans. Procusum potius est a Graeca voce θερμο-

Récipe te, et recúrre petere ré recenti. *Ch.* Huic, quísquis est,
Cúrculiost exércitor; is hunc hóminem cursurám docet.
St. Quíd, homo nihili, nón pudet te? Tríbusne te potériis
Mémoriae esse oblítum? An vero, quóniam cum frugi hóminibus
'Ibi bibisti, qui áb alieno fácile cohiberént manus?
Théruchus fuit, Cérconicus, Críнus, Cercobolus, Cóllabus,
Cóllicrepidae, crúricrépidae, férriteri, mastígiae.
'Inter eosne hominés condalium té redipisci póstulas,
Quórum eorum unus súrpuerit curréнti cursorí solum?
Ch. 'Ita me di ament, gráphicum furem. *St.* Quíd ego, quod periít, petam?
Nísi etiam labórem ad damnum appónam in apothecam ínsuper?

πότης, quasi tu Graece dicas θερμοποτάζειν, vel θερμοποτεῖν, quae verba licet in lexicis non inveniantur, tamen eodem iure Graeca fuerint, atque οἰνοποτάζειν et οἰνοποτεῖν. *Recurre petere.* De huius infinitivi structura cf. supra ad Milit. III, 3, 15. Ceterum adverte ad frequentem et ridiculum usum litterae *r* in hoc versu, quae παρήχησις est Plauto vehementer adamata. *Curculio est exercitor.* Non possum eorum sententiae accedere, qui *curculionem* h. l. partem gutturis (die Gurgel) interpretantur et *gurgulionem* scribendum censent. Ratio apparet. Unice vera est Lipsii explicatio. Is sumtam imaginem putat ab athletis, quibus gymnastae, progymnastae exercitores (cf. supra ad Trin. II, 1, 4.). Ergo quia currebat et recurrebat servus, hunc hominem, inquit senex, curculio (vermis genus) ad cursuram exercuit et currere ac recurrere, hinc illinc se volvere, docuit. Ceterum V. C. Cam. *gurguliost*, C. Dec. *gurgiliost*. Sed veram esse scripturam *Curculiost*, arguit argumentum acrostichum cognominis fabulae Plautinae. *Memoriae esse oblitum.* Vulgo *memoria e. o.* Sed *memoriae* dudum reponi iussit Gulielmus, longe convenientius orationi comicae. — V. 13. Vulgo *Cercobulus*. Emendavit Herm. *Collicrepidae*, *crurierepidae*, ut *plagipatidae* (cf. supra ad Captiv. III, 1, 12.) composita, propr. quorum colli, crura crepant vinculis. Vulgo *oculicrepidae*. Sed *collicrepidae* legendum esse vidit Guil. A. Becker, vir Cl., in Charicle tom. II, pag. 53. *Ferriteri*, qui catenis teruntur. V. 16. Vulgo *Quorum eorum unus surpuit*, atque ita Codd. Pall. Hermannus olim scripserat: *Quorum unus surripuerit.* Sed meliora ipse docuit ad Sophoclis Philoctet 315. Cf. Livius VIII, 37. *Quorum eorum ope et consilio Veliterni Privernatesque populo Romano bellum fecissent.* Tum scribendum erat *surpuerit*. Non enim factum esse aut saepe fieri illud indicare potest Stasimus, sed vel illud extremum fieri posse a talibus furibus ostendit. *Graphicus fur;* in suo genere perfectus, politus. cf. supra ad Trin. III, 3, 38. Non enim Stasimum intelligit, sed quem ille descripserat. *In apothecam*, in repositorium, ubi res pretiosae servabantur, dactyliothecam. *Laborem ad damnum.* Haec ita accipienda sunt. In dactyliotheca iactura annuli loco eius significanda fuit. Iiculariter ergo quaerit ser-

Quín tu quod periít, periisse dúcis? Cape vorsóriam.
Récipe te ad herum. *Ch.* Nón fugitivust híc homo; commeminít domi.
'Utinam veteres hóminum mores, véteres parsimóniae
Pótius maiori éssent hic honóri, quam morés mali.
Ch. Di ímmortales, básilica hic quidem fácinora inceptát loqui.
Vétera quaerit, vétera amare hunc móre maiorúm scias.
St. Nám nunc mores níhili faciunt, quód licet, nisi quód lubet.
'Ambitio iam móre sanctast, líberast a légibus.
Scúta iacere, fúgereque hostis, móre habent licéntiam;
Pétere honorem pró flagitio móre fit. *Ch.* Morem ímprobum!
St. Strénuos iam praéterire móre fit. *Ch.* Nequám quidem.
St. Móres leges pérduxerunt iam ín potestatém suam,
Mágis quis sunt obnóxiosae, quám parentes líberis.

---

vus, an ad damni significationem in cistella etiam labor frustra susceptus indicandus et reponendus sit. Ceterum vulgo legitur: *apponam epithecam insuper.* Sed Codd. Pall. exhibent *apothecam*, unde recte Herm. quod dedimus. *Vorsoriam capere* est redire. *Vorsoria* enim pr. est funis, quo velum in navi vertitur. Hoc igitur dicit, quod paullo aliter Horatius *da vela retrorsum.* Cf. Turneb. Advers. XX, 4. De genitivo *domi* cf. supra ad Trin. IV, 1, fin.

V. 21. Vulgo: *Vtinam veteres mores, veteres parsimoniae*, versu mutilo. Herm. *Vtinam vet. mores, utinam veteres parsimoniae.* Sed in Codd. Pall. legitur *utinam vet. homines vet. p.*, unde Bothius scripsit: *mores omnes*, satis languide. Olim iam scripsi *hominum mores.* Sic supra Trin. III, 2, 43. *Atque is mores hominum moros et morosos efficit.*

V. 22. *Potius maiori.* Sententia est: Utinam mores veteres potius in honore essent, quam mores mali. Duplex comparativus est abundantiae Plautinae, de qua cf. ad Captiv. III, 4, 111. Vulgatum ordinem vv. *potius maiori honori hic essent* emendavit Herm. *Hic*, in his terris, hic locorum. *Basilica;* cf. notata ad Captiv. IV, 2, 31. *Nihili faciunt.* Vulgo *nihil faciunt.* Male. Structura est: mores, qui nunc sunt, *faciunt nihili*, non aestimant, contemnunt, spernunt adeo ea, quae facere licet; ea solum sectantur, quae facere lubet. Cf. Captiv. III, 4, 83. *Pro flagitio*, in praemium flagitii commissi. — V. 29. Vulgo legitur: *Strenuos praeterire more fit. Ch. Nequam quidem*, quae Herm. ita correxerat: *Strenuos iam pr. m. f. Nequam id quidem est.* Prope necessarium ad sententiam videtur *iam.* Camerar. notavit ad h. l. *Verbum unum in hoc versu desideratur; fortasse recte legeretur: Strenuos praeterire ignavos more fit.* Reizius voluerat: *Strenniores pr. m. fit*, collato Epid. loco III, 4, 10. Nunquam *strenuus* apud Plautum dissyllabum est, id quod olim existimabam. Quare Hermanni emendatio vera esse videtur, praeter finem versiculi, ubi *nequam quidem* nihil habet offensionis. *Obnoxiosae.* Vulgo *obnoxiosi*, sed aperte falsum, nam necessario ad *leges* referendum. Verba: *quam parentes liberis,*

Eaé miserae etiam ad párietem sunt fixae clavis férreis,
Ubi malos morés affigi nímio fuerat aéquius.
Ch. Lúbet adire atque áppellare hunc; vérum ausculto pérlubens.
Séd metuo, si cómpellabo, ne áliam rem occipiát loqui.
St. Néque istis quicquam lége sanctumst; léges mori sérviunt.
Móres autem rápere properant, quá sacrum, qua públicum.
Ch. Hércle istis malám rem magnam móribus dignúmst dari.
St. Nónne hoc publice ánimum advorti? Nam íd genus hominum hóminibus
Universis ést advorsum, atque ómni populo mále facit:
Mále fidem servándo, illis quoque ábrogant etiám fidem,
Quí nil meriti; quíppe ex eorum ingénio ingenium horúm probant.
Hóc qui in mentem vénerit mihi, reípsa modo commónitus sum.
Sí quis mutuúm quid dederit, fít pro proprio pérditum.
Quóm repetas, inimícum amicum béneficio inveniás tuo.

---

acerbam continent saeculi illius reprehensionem. Stasimus enim ita loquitur, tanquam illo tempore non liberi parentibus, sed parentes liberis paruerint. *Fixae clavis ferreis.* Respicit morem Romanorum, apud quos leges ligneis vel aeneis tabulis incisae ad parietes et muros, in foro et in Capitolio affigi solebant Sed hoc servus in aliam partem trahens, ita loquitur, quasi legibus fiat iniuria, aut quasi leges non possint vim suam exhibere, quippe quae parietibus affixae sint, nec se movere nec vim exserere possint. *Ne aliam rem*, quae minus frugi sit vel mihi minus placeat. *Qua — qua*; formula loquendi, quae fere idem notat, quod *cum — tum*, *tum — tum*; nisi si hanc differentiam aliquam statuas, quod *qua — qua* proprie loci est, *tum — tum* vero temporis. Sed adverbia loci et temporis saepissime confunduntur, ut altera in alterorum notionem abeant. Proprie igitur *qua — qua* est *tum hac parte — tum illa parte*; *tum hoc loco*, *tum illo loco*; *et hic — et illic.* Du raubst wo sich Heiliges, wo sich Staatsgut vorfindet. Cf. supra Milit. Gl. IV, 3, 20. Ibid. IV, 9, 15.

V. 38. *Dignum est dari.* Dignum etiam dici, quo quis dignus sit, in vulgus notum. Sed h. l. *dignum est* impersonale est, ut *decet.* Sententia est: *res ipsa meretur*, *res postulat*, *ut mores puniantur.* De structura: *Nonne-advorti*, cf. supra ad Milit Gl. III, 2, 25. Tum vulgo: *genus hominum omnibus*, atque ita Codd. Pall. Recte iam Camerar. emendavit: *genus hominum hominibus*, quod recepit Herm. Idem volebat Scioppius. *Malum dare,* magnum malum dare, malam rem dare alicui, apud Comicos dicitur de verberibus per euphemismum. *Hoc qui in mentem venerit; qui* simpliciter est *ut.* Cf. supra ad Trin. IV, 2, 73. Ut hoc mihi in mentem venerit, effecit experimentum, quod ipse feci. *Si quis mutuum quid dederit* cet. Hunc et seqq. versus ex Axionico, Graeco Comico, mutuatum esse Plautum, existimabat Rittershusius: Ὅταν δανείζῃ τις πονηρῷ χρήματα Αὐτὸν δικαίως τὸν τόκον λύπας ἔχει. V. 45. Vulgo: *beneficio invenis tuo,*

Sí mage exigere cúpias, duarum rérum exoritur óptio:
Vél illud, quod credíderis, perdas; vél illum amicum amíseris.
Ch. Méus est hic quidem Stásimus servus. *St.* Nam égo talentum mú'uum
Quód dederam, talénto inimicum mi émi, amicum véndidi.
Séd ego sum insipiéntior, qui rébus curem públicis
Pótius, quam id, quod próxumumst, meo térgo tutelám geram.
'Eo domum. *Ch.* Heus tu, asta íllico; audi, heus. *St.* Non sto. *Ch.* 'At ego stare té volo.
St. Quíd si egomet te vélle nolo? *Ch.* Ah nímium, Stasime, saéviter.
St. 'Emere meliust, quoi ímperes. *Ch.* Pol ego émi, atque argentúm dedi.
Séd si non dicto aúdiens est, quíd ago? *St.* Da magnúm malum.
Ch. Béne mones; ita fácere certumst. *St.* Nísi quidem es obnóxius.
Ch. Sí bonus est, obnóxius sum; sín secust, faciam út iubes.
St. Quíd id ad me attinét, bonisne sérvis tu utare án malis?
Ch. Quía boni malíque in ea re párs tibi est. *St.* Partem álteram
Tíbi permitto, illam álteram ad me, quód boni est, appónito.
Ch. Sí eris meritus, fiet. Respice ád me huc. Ego sum Chármides.
St. Hém, quis est, qui méntionem fácit homo hominis óptumi?

---

quod iam Pareus ex Codd. Pall. emendavit. De sua enim sententia loquitur servus, non facta narrat aut res gestas. V. 48. Nunc demum, quum propius accessisset, servum suum agnoscit Charmides. *Talentum mutuum*; supra enim se talentum, quod sibi corrasisset, amico creditum repetere velle indicaverat. Trin. III, 2, fin. *Res publicae* sunt, quae ad omnes pertinent, quae omnium intersunt. Vulgo: *audi, heus tu* et *te stare volo.* Vtrumque emendavit Herm. Ceterum verba: *At ego stare te volo* plane desunt in Codd. Pall. *Nimium — saeviter*; ridet servum, qui saeviat. Versus affertur a Nonio p. 511. v. *saeviter*; pag. 349. ed. Gerlach. et Roth. ubi *a*, quod in Codd. Pall. scribitur *ha* atque ita vulg. Scriptura optimorum Codd. in hac interiectione semper fluctuat: *a*, *ah*, *aha*, *ha.* Equidem putaverim, *ah* esse dolentis, *aha* ridentis, *ha* mirantis. Hoc loco *ah* dolentis est, sed simulanter. *Emere melius est*; proverbialiter ut nostrum: Kauf dir einen, wenn du einen haben willst. — V. 55. Libri omnes *damnum* sive *dampnum* malum. Emendavit Gulielm. Quaestt. in Trin. c. 2. *Nisi quidem es obnoxius*; nisi ob alia bene de te merita tu ei multum debeas. Alii obscenum sensum subesse autumant. — V. 57. Vulgo et in libris omnibus: *uti iubes.* *Vti* nusquam ultima brevi invenitur.

V. 61. Vulgo *Sed respice.* Omittunt *sed* iam vett. editt.

Ch. 'Ipse homo optumús. *St.* Mare, terra, caélum, di, vostrám fidem.
Sátin' ego oculis pláne vídeo? Estne ípsus, an non ést? Is est.
Cérte is est; is ést profecto. O mí here exoptatíssume,
Sálve. *Ch.* Salve, Stásime. *St.* Salvum té. *Ch.* Scio et credó tibi.
Séd omitte alia; hoc míhi responde. Líberi quid agúnt mei,
Quós reliqui hic, fílium atque fíliam? *St.* Vivúnt, valent.
Ch. Némpe uterque? *St.* Utérque. *Ch.* Di me sálvum et servatúm volunt.
Caétera intus ótiose pércontabor, quaé volo.
Eámus intro; séquere. *St.* Quo tu té agis? *Ch.* Quonam, nísi domum?
St. Híccine nos habitáre censes? *Ch.* 'Ubinam ego alibi céuseam?
St. Iám — *Ch.* Quid iam? *St.* Non súnt nostrae aedes ístae. *Ch.* Quid ego ex te aúdio?
St. Véndidit tuus nátus aedis. *Ch.* Périi. *St.* Praesentáriis
'Argenti minís numeratis. *Ch.* Quót? *St.* Quadraginta. *Ch.* 'Occidi.
Quís eas emit? *St.* Cállicles, quoi tuám rem commendáveras;
'Is habitatum huc cómmigravit, nósque exturbavít foras.
Ch. 'Ubi nunc filiús meus habitat? *St.* Híc, in hoc postículo.
Ch. Mále disperii. *St.* Crédidi aegre tíbi id, ubi audissés, fore.
Ch. 'Ego miser minumís vehiclis súm per maria máxuma
Véctus capitalí periclo, pér praedones plúrimos
Mé servavi, sálvos redii; núnc hic disperií miser
Própter eosdem, quórum caussa fui hác aetate exércitus.

---

omisitque Herm. metro postulante. — V. 67. *Sed omitto alia* Codd. Pall. et vulgata. Emendavit Acidalius. — V. 69. *Di me salvum et servatum volunt.* Nunc demum intelligo, Deos me salvum et servatum velle, quum audio liberos meos vivere adhuc et valere. — V. 71. Vulgata: *Quo tu té agis* recte se habet, pronominis accusativo sub ictum collocato. Scripserat Herm. *quo tu agis te.* Sed *Quo te agis* simili prosodia legitur Most. III, 1, 35. — V. 74. *Praesentariis — numeratis.* Abundantia eius sermonis, qui rem exactissime et diligentissime exponit. Mit baarem, gezähltem Gelde. De simili abundantia cf. quae notavimus supra ad Milit. II, 2, 85. — V. 76. Vulgo: *Qui eas emit.* Emendavit Herm.

V. 80. *Minumis vehiclis;* huic Bothii emendationi pro vulgata: *meis periclis*, non potui non album calculum adiicere. Plane enim otiosa sunt: *meis periclis*, quum statim sequatur *capitali periculo;* nec puto, hominem sanum ita scribere potuisse. *Minima vehicula* recte dicuntur, opposita *maribus maximis.* Nam parva sunt omnia navigia, si cum immenso mari comparantur. *Hac aetate.* Citat Nonius p. 192, ubi *hoc aetate* scriptum legitur, ad quem locum observat Nonius, *aetas* etiam masculini esse

'Adimit animam mi aégritudo. Stásime, tene me. *St.* Vísne aquam
Tíbi petam? *Ch.* Res quom ánimam agebat, tum ésse offusam opórtuit.

ACTVS IV. SCENA V.

Callicles, Charmides, Stasimus.

Ca. Quid hoc híc clamoris aúdio ante aedís meas?
Ch. O Cállicles, o Cállicles, o Cállicles.
Qualíne amico méa commendaví bona?
Ca. Probo ét fideli, et fído, et cum magná fide;
Et sálve, et salvom te ádvenisse gaúdeo.
Ch. Credo ómnia istaec, sí ita est, ut tu praédicas.
Sed quis íste est tuus ornátus? *Ca.* Ego dicám tibi.
Thesaúrum effodiebam íntus, dotem, fíliae
Tuae quaé daretur; séd intus narrabó tibi
Et hóc et alia; séquere. *Ch.* Stasime. *St.* En. *Ch.* Strénue
Curre ín Piraeum, atque únum curriculúm face.
Vidébis iam illic návem, qua advectí sumus.
Iubéto Sangariónem, quae imperáverim,
Curáre, ut efferántur; et tu itó simul.
Solútumst portitóri iam portórium.
St. Nihil ést morae. *Ch.* I nunc, ámbula. Actutúm redi.
St. Illíc sum atque hic sum. *Ch.* Séquere tu hac me intró. *Ch.* Sequor.

---

generis, ut sic legisse non dubium sit. Pravo illum usum codice, ubi antea *hoc aetatis* lectum, iam alii viderunt. Cf. Dousa III, 25. Sed *hac aetate* legi iubet versus.

Act. IV. Scen. V. Callicles procedit, tumultu ante aedes facto excitatus. Is graviter accusatur a Charmide. Sed hic facile se purgat et amicum in aedes introducit, ut diligentius eum edoceat de rebus peractis. *Probo — fide.* Idem vocabulum aliter efformatum repetere solent, qui aliquid magno studio asseverare cupiunt. — V. 9. *Sed intus.* Pro pyrrhichio *intus*, ut alibi quoque. Cf. Mil. III, 1, 17. *quod intus meditati sumus.* Atque ita fortasse etiam Cas. III, 3, 24. *'Ego intus quod facto'st opus.* — V. 10. *Hem* in responsione eius, qui vocatus est ab altero, respondet nostro *he*, *heda!* Scripserat Herm. *en*, quod non probandum censeo. — V. 11. *Atque unum curriculum face;* noli restare in cursu, sed uno tenore curre usque ad portum. *Piraeeum* vulgo. *Piraeum* Codd. Pall. ut videtur. Cf. Cic. Epp. ad Att. VII, 3. — V. 16. Vulgo: *Nihil est morae. I, i, ambula.* In Codd. Pall. legitur: *Nihil est moracii ambula.* Locum sanavit Herm. — V. 17. *Illic sum atque hic sum;* celeritatem cursus significat servus. Uno eodemque temporis momento hic atque illic ero; tam celeriter curram. Tum vulgo: *Sequere tu hac me intro*, atque ita Herm. Sed Codd. et Edd. vett. *Sequere*

St. Hic méo hero amicus sólus firmus réstitit,
Neque démutavit ánimum de firmá fide.
Quanquam labores multos ***
Sed hic únus, ut ego súspicor, servát fidem.
Ob rém laborem eum égo cepisse cénseo.

ACTVS V. SCENA I.

Ly. Hic homo ést hominum omnium praécipuus,
Voluptátibus gaudiisque ántepotens.
Ita cómmoda, quae cupio, éveniunt,
Quod ago, ássequitur, subit, súbsequitur;
Ita gaúdiis gaudium súppeditat.
'Ac me Stasimus Lésbonici sérvos convenít modo:
'Is mihi dixit, súum herum peregre huc ádvenisse Chármidem.
Núnc mi is propere cónveniundust, út, quae cum eius fílio
'Egi, ei rei fundús pater sit pótior. Ego eo. Séd fores
Haé sonitu suó mihi moram óbiciunt incómmode.

---

tu me hac intro, qui ordo in metrum peccat. — V. 18. Vulgo haec sic leguntur: *Neque demutavit animum de firma fide; Quanquam labores multos* *** (sic hiatu significato) *Sed hic unus ut ego suspicor servat fidem: Ob rem laborem eum ego cepisse censeo.* Ad hiatum istum notavit Camerarius: *Reliqua desunt, quibus et numeri et sententia absolvatur. In exemplis vulgatis confusione omnia corrupta sunt.* Camerarii lectio consentit vulgatae, quae eadem est Codd. Pall. Taceo multa multorum emendandi conamina. Duo sunt, quae h. l. nondum satis considerata esse iudico. Primum, quod Stasimus scire nondum potest, quam fidus fuerit Callicles, quem in supp. tam vehementer accusaverat. Quapropter Camerarius ad notam superius citatam addidit: *dicuntur autem haec a servo εἰρωνικῶς.* Alterum est, quod recte vidit Weisius, non debere in scena longius morari aut restare Stasimum, quem celerrime abire iussisset Charmides. Quibus de caussis non dubito, cum Weisio statuere, hos quinque versiculos aliunde huc esse translatos. Accedit, quod eorum duo posteriores plane idem dicunt atque tres superiores. Quare adducor ut credam, duas hic manus male sedulas fuisse operatas, diversisque ex locis ista omnia adducta esse, undecunque sint desumpta.

Act. V. Sc. I. Laetus est Lysiteles, quod patrem sponsae suae advenisse audiit. Eum adire statuit. De numero quinque priorum versuum cf. Hermannus Elem. doctr. metr. p. 393. ubi anapaesticos hos constituit, sed quartum versum omisit, quod, quo argumento fecerit, non indicavit. — V. 1. Vulgo *omnium hominum;* emendavit Herm. — V. 4. Pro vulgato *subest*, iam Acidalius *subit* proposuerat, quod versus etiam requirit. — V. 5. *Suppeditare* intransitiva notione, ut loquuntur Grammatici, *praesto esse, in promptu esse, suppetere* significat. Gaudium gaudio praesto est, i. e. continuatur, cumulatur. — V. 6. *Ac me Stasimus.* Sic emendavit Herm. Vulgo: *Modo me Stasimus — convenit, is mihi*

ACTVS V. SCENA II.

Charmides, Callicles, Lysiteles.

Ch. Néque fuit, neque erít, neque esse quemquam hóminum in terra dum árbitror,
Quoí fides fidélitasque amícum erga aequiperét tuae.
Nam éxaedificavísset me ex his aédibus, absque té foret.
Ca. Sí quid amicum ergá bene feci, aut cónsului fidéliter,
Nón videor meruísse laudem; cúlpa caruisse árbitror.
Nám beneficium, hómini proprium, quód datur, prorsúm perit;
Quód datum utendúmst, repetundi id cópia est, quandó velis.
Ch. 'Est ita, ut tu dícis. Sed ego hoc néqueo mirarí satis,
Eúm sororem déspondisse suam ín tam fortem fámiliam,

---

dixit. Absorptum est *Ac* a syllaba extrema superioris versiculi, et v. *modo*, quod spacio deficiente reductum fuerat in vacuum superioris lineae spacium, confusioni ansam dedit. *Fundus sit potior*; utpote in quo firmius fundamenta, nuptiarum veluti aedificandarum, fieri possint. Vulgo: *eo. sed fores.* Vt metro succurreret, Herm. scripsit: *eo iam. sed fores.* Mihi credibilius videbatur, similes litteras *ego* absorptas fuisse. Quare dedi *Ego eo.* V. 10. *Obiciunt* Codd. Pall. *moram* posteriorem non elidit.

Act. V. Sc. II. Charmides omnibus, ut erant, intus exploratis fidem amici mirum in modum extollit. Tum Lysiteli filiam suam despondet, filium autem Calliclis filiam in matrimonium ducere iubet eique ignoscit. *In terra dum.* Non posset dici h. l. *dum*, nisi negandi particula praecessisset. Dicitur tamen *nuncdum.* De quibus formulis cf. notata ad Milit. V, 17. et ad Milit. IV, 2, 2. *Esse*, ut saepe, pyrrhichius est. — V. 3. *Aequiparet suum* vulgo. Sed *aequiperet* Codd. Pall.; et *tuae* flagitante sententia scribendum esse vidit Göller. *Exaedificasset.* Dictum ut *expectorare ex animo.* Accius Phoenissis et Cic. de Orat. III. apud Nonium p. 16. Haec Lambinus. Ceterum apud Cic. legitur de Orat. III, 58. *Tum pavor sapientiam omnem mi exanimato expectorat.* De formula *absque te foret* cf. supra Trin. IV, 1, 13. et Capt. III, 5, 96. et ibi notata. Adde Hand. Tursell. I, p. 66 seqq. et Kampmann. de *AB* praep. usu Plautino p. 34 seq. *Nam beneficium* cet. Sententia est: si quid beneficii des alteri, id tibi perire, non est, quod mireris. Sed quod alteri mutuum das, ut is eo, dum tu non uteris, utatur, id quandocunque cupis, repetere potes. Locus vulgo legitur sic: *Nam beneficium, homini proprium quod datur, proprium sumpserit.* Quae Herm. ediderat: *Nam beneficium, quod datur homini proprium, pro proprio perit.* At Codd. Pall. exhibent: *Nam beneficium, h. pr. q. d., prosumpserit*, quae recte videntur a Boxhornio emendata esse: *N. b., h. pr. q. datur, prorsum perit.* Addit Boxh. haec: distinguit poeta inter duum generum beneficia. Quaedam, inquit, propria facta accipientis, plane pereunt danti; quaedam utenda data repetendi copia et potestas danti est, quando velit; scita plane et egregia sententia. *Fortem familiam* divitem dici, testatur Nonius p. 306., hunc locum exempli causa afferens. Sed magis crediderim *potentem*, *pollentem in civitate* explicandum

Lysiteli quidém Philtonis filio. *Ly.* Enim me nóminat.
Ch. Fámiliam optumam óccupavit. *Ly.* Quíd ego cesso hos cólloqui?
Séd maneam etiam, opínor; namque hoc cómmodum ordítúr loqui.
Ch. Váh. *Ca.* Quid est? *Ch.* Oblítus intus dúdum tibi sum dícere:
Módo mi advenientí nugator quídam occessit óbviam,
Nímis pergraphicus sycophanta. Is mílle nummum se aúreum
Meó datu tibi férre, et gnato Lésbonico aibát meo:
Quem égo nec qui esset nóram, neque eum ante úsquam conspexí prius.
Séd quid rides? *Ca.* Meo állegatu vénit, quasi qui aurúm mihi
Férret abs te, quód darem tuae gnátae dotem: ut fílius
Túus, quando illi a mé darem esse allátúm id abs te créderet,
Neú qui rem ipsam pósset intellégere, et thesaurúm tuum
Mé esse penes, atque eum á me lege pópuli patrium pósceret.
Ch. Scíte edepol. *Ca.* Megarónides commúnis hoc meus ét tuus
Bénevolens comméntust. *Ch.* Quin conlaúdo consilium ét probo.
Ly. Quíd ego ineptus, dúm sermonem véreor interrúmpere,
Sólus sto; nec, quód conatus sum ágere, ago? homines cónloquar.
Ch. Quís hic est, qui huc ad nós incedit? *Ly.* Chármidem socerúm suum
Lysiteles salútat. *Ch.* Di dent tíbi, Lysiteles, quaé velis.
Ca. Nón ego sum dignús salutis? *Ly.* Immo salve, Cállicles.

---

esse. *Enim me;* cf. notata ad Mil. II, 5, 19. *Occupavit.* Cf. Nonius p. 356. qui v. *occupare* tenere, possidere interpretatur. Sed est potius dictio iocularis, pro eo, quod esset: *se insinuavit.* Er hat da eine sehr gute Familie in Beschlag genommen. *Hoc commodum; hoc* accusativus est, pendens a v. *loqui; commodum,* adverbium. Commodum de hac ipsa re, quam volo, incipit loqui. — V. 14. Vulgo *accessit.* Sed Gulielm. Quaestt. in Pseud. c. 2. ostendit *occessit* legendum esse. Festus p. 111. 187. *Occedamus Plautus ponit pro contra cedamus* cett. Cf. Göllerus ad h. l. Plauti.

V. 16. *Meo datu*, ut paullo post *meo allegatu.* Vide supra ad Trin. IV, 2, 151. *Quem ego;* cf. supra ad IV, 1, 2. *Neu qui. Qui*, ut saepe, significat *aliqua ratione.* Codd. Pall. *neu quis*, quod emendavit Acidal. in Trin. c. 8. *Lege populi;* lege publica, civitatis. — V. *Quin conlaudo.* Vulgo *Quin collaudo.* Cod. Pal. teste Bothio *Qui nunc laudo*, quod male recepit Both. Similiter infra *conloquar* scribendum erat.

V. 29. *Dignus salutis.* Ita ex Nonio, qui citat hunc versum p. 497., quo exemplo ostendat, genitivum pro ablativo poni. Sunt etiam alia exempla, iam collecta ab interpretibus. Cf.

Húnc priorem aequómst me habere; túnica propior pállio est.
Ch. Deós volo consília vobis vóstra recte vórtere.
Fíliam meam tíbi desponsam esse aúdio. *Ly.* Nisi tú nevis.
Ch. Immo haud nolo. *Ly.* Spónden' ergo tuám gnatam uxorém mihi?
Ch. Spóndeo, et mille aúri Philippum dótis. *Ly.* Dotem níl moror.
Ch. Si ílla tibi placét, placenda dós quoque est, quam dát tibi.
Póstremo, quod vís, non duces, nísi illud, quod non vís, feres.
Ca. Iús hic orat. *Ly.* 'Impetrabit te ádvocato atque árbitro.
'Istac lege fíliam tuam spónden' mi uxorém dari?
Ch. Spóndeo. *Ca.* Et ego spóndeo idem hoc. *Ly.* O, sálvete affinés mei.
Ch. 'Atque edepol sunt rés, quas propter tíbi tamen succénsui.
Ca. Quíd ego feci? *Ch.* Meúm corrumpi quía perpessu's fílium.
Ca. Si íd mea voluntáte factumst, ést quod mihi succénseas.
Séd sine me hoc abs te ímpetrare, quód volo. *Ch.* Quid id ést? *Ca.* Scies.
Sí quid stulte fécit, ut ea míssa facias ómnia.
Quíd quassas capút? *Ch.* Cruciatur cór mi, et metuo. *Ca.* Quídnam id est?
Ch. Quom ílle ita est, ut ésse nolo, id crúcior; metuo, sí tibi
Dénegem, quod me óras, ne me léviorem erga té putes.

Ruddim. II, p. 108. Est ad Graecam vocabulo ἄξιος struendi rationem. Ceterum non tacendum, in Codd. Pall. legi: *Non ego sum salute dignus*, quae lectio multis nominibus se commendat. — *Tunica propior pallio.* Proverbium, quod significat aliis rebus alias magis cordi esse. Transfertur saepenumero ad amicos, quorum aliis alios magis esse devinctos nobis ostendere volumus. Respondet Graeco proverbio γόνυ κνήμης. — V. 31. *Vobis* quod vulgo deest, addidit Herm. In V. C. Cam. post v. *vortere* vacuum spacium relictum est. *Nisi tu nevis.* Citat hunc versum Nonius p. 144. ubi *desponsatam* esse legitur ut vulgo. Herm. *desponsam esse.*

V. 34. *Mille auri Philippum;* h. e. *auri* (an Golde) *mille Philippeorum.* De adiectivo *Philippus* cf. supra ad Trin. IV, 2, 114. *Placenda dos quoque est*, placere debet. Eodem modo *pereunda est puppis* Epidic. I, 1, 69. quod ibi Salmasius perperam tentavit. Negat quidem Priscian. VIII, 9. tom. I, p. 394. ab huiusmodi verbis neutris deduci posse participia passiva futuri; neque quemquam unquam dici posse ait *standus*, *sedendus*, *surgendus.* Et recte. Sed comica oratio etiam in his idoneam habet excusationem. *Te advocato.* Cf. supra dicta ad Milit. III, 1, 68. — V. 39. *Spondeo idem hoc.* Ita, quod sciam, libri omnes. Herm. pron. *hoc* eiecerat. Both. *item hoc.* Notissima pronominum copulatio *idem hoc, quod idem, idem illud* et sim.

V. 47. *Levior* amicus est inconstantis fidei, negligentior in tuenda fide. Vulgo *ne te leviorem erga me.* Emendavit Herm.

Nón gravabor; fáciam ita, ut vis. *Ca.* Próbus es. Eo, ut illum évocem.
Ch. Míserumst, male promérita, ut merita, sí mi ulcisci nón licet.
Ca. 'Aperite hoc, aperíte propere, et Lésbonicum, sí domist,
'Evocate; ita súbitost, propere quód eum conventúm volo.

ACTVS V. SCENA III.

Lesbonicus, Charmides, Callicles.

Le. Quís homo tam tumúltuoso sónitu me excivít foras?
Ca. Bénevolens tuus átque amicust. *Le.* Sátine salvae? díc mihi.
Ca. Récte. Tuum patrém redisse sálvum peregre gaúdeo.
Le. Quís id ait? *Ca.* Ego. *Le.* Tún' vidisti? *Ca.* Et túte idem videás licet.
Le. 'O pater, patór mi, salve. *Ch.* Sálve multum, gnáte mi.
Le. Sí quid tibi, patér, laboris? *Ch.* Níhil evenit, né time;

Putabant Göllerus et Weisius, servari posse vulgatam, si referretur *erga* tanquam postpositum ad sup. *te.* Verum tum saltem scribendum erat: *ne te erga leviorem me putes.* Sed longe elegantius praeponitur *me.* — V. 49. Vulgo *male promerita, ut merita si mihi ulcisci non licet.* Quam lectionem Herm. distinctione adiuvandam censebat: *ut merita, si mi ulcisci.* Male. Nam *ut merita* non potest significare *tanquam essent bene gesta.* Emendandi viam monstrant Codd. Pall. ubi testibus Pareo et Bothio legitur: *male promerit aut meritasinis ulcisci n. l.* Necessario legendum est: *male promerita, ut merita sunt, si ulcisci non licet;* hac sententia: Lugendum est, si quae quis male fecit, ea puniri non licet, quemadmodum ille meruit. — V. 51. Vulgo: *Foras evocate; ita subitumst.* Sed aperte *foras* nihil est nisi interpretamentum; *subitost* exhibent Codd. Pall. Bothius *Foras vocate*, ut prius v. sit pro monosyllabo, quod saepe obvium est. Sed recte *foras* iam deletum a Reizio.

Act. V. Sc. III. V. 1. Novam scenam hic exordiendam esse, recte vidit Bothius. *Me excivit subito foras.* Ita vulgo et in libris mss Sed *subito* a metro secluditur delevitque Reizius. — V. 2. *Satine salvae?* Solennis formula, qua utuntur, qui de salute alicuius diligenter et amice quaerunt. De scriptura ambigitur. Donatus ad Terent. Eunuch. V, 5, 8. *salve* scribendum esse ait his verbis. *Salve. Integre, recte, commode. Plautus in Trinummo.* Iam sequitur hic versus. Pergit: *nunc adverbium est, producta e littera.* Sallustius: *inde ortus sermo, percontantibus utrinque, satin' salve? quam grati ducibus suis, quantis familiaribus copiis augerentur.* Sed litem composuerunt interpp. ad Liv. I, 58, 7. edit. Drakenborch., ubi *satin' salvae* scribendum esse, satis idoneis argumentis comprobatum est. Ceterum in Codd. Pall. legitur: *satiust salve*, quod vitium ortum ex male intellecta scriptura *satin e*, quam *satin est* interpretati sunt. *Recte*, respondere solent, de valetudine interrogati. Cf. Parei lexicon

Béne re gesta sálvus redeo; sí tu modo frugi ésse vis,
Haéc tibi pactast Cállicli huius fília. *Le.* Ego ducám, pater,
'Etiam et si quam aliám iubebis. *Ch.* Quámquam tibi succénsui —
Ca. Míseria una uní quidem homini est ádfatim. *Ch.* Immo huíc parumst.
Nám si pro peccátis centum dúcat uxorés, parumst.
Le. At iam posthac témperabo. *Ca.* Dícis: si faciés modo.
Le. Númquid caussae est, quín uxorem crás domum ducam? *Ch.* 'Optumumst.
Tu ín perendinúm paratus sís ut ducas. Plaúdite.

---

s. h. v. — V. 8. Vulgo *Callicli filia.* Bothius *Calliclai filia.* Emendavit Herm.

V. 9. *Etiam et si.* De connubio particularum *etiam et* vide notata ad Trin. prol. 6. Adde Cic. de Legg. III, 2, 4. ibique interpp. *Quamquam tibi succensui.* Hanc Charmidis orationem interpellat Callicles: *Miseria — affatim est* dicens. In his *affatim* eodem modo struitur, quo alibi et usitate *satis*, *frustra.* Sententia est: satis dat ille poenarum una ducenda uxore. Tum vulgo: *Immo huic parum est*, quod Herm. transpositione sanandum ratus scripsit: *I. h. est parum*, ad evitandum scilicet hiatum in v. *affatim. Optumum est.* De hac formula cf. ad Captiv. II, 2, 104; ibid. III, 5, 48.

I N D E X.

21*

LIPSIAE,
EX OFFICINA THEOD. HOEMII.





